


NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
8
45 E
2
ROMA



ΠΡΕΣΒΕΙΑ SIVE LEGATIO PHILIPPI III. ET IV. CATHOLICORVM REGVM HISPANIARVM AD SS. DD. NN. PAVLVM PP. V. ET GREGORIVM XV.

De definiendâ Controuersiâ
IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS
B. VIRGINIS MARIAE,
PER
Illustriss. & Reuerendiss. Dom.
D. FR. ANTONIVM A TREJO, Episcop. Carthaginensium, Regium Consiliarium, & Oratorem, ex Ordine Minorum.
Continens exactissimè omnia in hac materia desideranda ac consideranda, quà Theologica, quà Historica.
Descripta ac concinnata per P. FR. LVCAM VVADDINGVM, Hibernum, Manapiensem, eiusdem Illustrissimi Oratoris Theologum &c.

LOVANII,
Ex Officinâ HENRICI HASTENII,
Vrbis & Academiæ Typographi,
M. DC. XXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.


Summa Priuilegij.

PHILIPPVS D. G. Hispaniarum & Indiarum Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate suo sanxit, ne quis librum, qui inscribitur, *Legatio Philippi III. & IV. ad Paulum Papam V. & Gregorium XV. pro definienda Controuersia de Immaculata Conceptione.* Authore Reuerendo Patre, LVCA VVADDINGO, citra voluntatem & consensum HENRICI HASTENII Academiæ & Vrbis Louaniensis Typographi imprimat, aut alibi impressum, in suas ditiones importet venalemue habeat. Qui secus faxit confiscatione Librorum, & graui pœna mulctabitur, vt latius patet in literis datis Bruxellæ 20. Ianuarij, Anno 1624.

Signatum

DE WITTE.

Dom⁹ Profess: Rom S. J.



PHILIPPO IV.

HISPANIÆ, LVSITANIÆ,

NEAPOLIS, SICILIÆ ET INDIARVM

REGI CATHOLICO,

GERMANIÆ BELGICÆ PRINCIPI,

MAGNO MEXICANI ET PERVANI

ORBIS IMPERATORI,

OCEANI, INSVLARVMQVE, ASIÆ

ATQVE AFRICAE

DYNASTÆ


PIO FELICI INVICTO

PATRI PATRIÆ

Deuotus Nomini, Majestatique eius

MAXIMILIANVS DE BOVCHORNE,

D. Petri & Aulæ Brabanticæ Palatinus.



QVod votis ab ineunte ætate pio Parentum exemplo Maiorumque conceptis, REX Inuictissime, decretum mihi fuit Sanctissimæ Virginis Dei-Matris MARIÆ honorem & gloriam tueri pro viribus & propagare, id iam tandem publicè facere ordior felicissimis Catholicæ Tuæ Maiestatis auspiciis. Da veniam Clienti Tuo, REX Maxime, qui se suaque omnia libens meritò dedicat & simul Munus offert Virtute Tua, & Magnitudine non indignum. En supplex offero, & ad Tuam velut Aram suspendo æternum Paternæ & Tuæ Pietatis monumentum. Monumentum, inquam, celeberrimæ *Legationis* quam pro *Immaculata* S. MARIÆ *Conce-*

ptione PHILIPPVS III. Pijſſimus & Potentiſſimus Parens Tuus immortali cum ſua gloria ad S. D. N. PAVLVM V. P. M. direxit, miſſo Illuſtriſſimo & Sapientiſſimo Viro D. ANTONIO A TREJO, ex Generali Ordinis Seraphici Miniſtro, Epiſcopo Carthaginienſi. Quam Legationem Apoſtolicus ille Vir, tum pro Ordinis Sacri dignitate & merito, qui auctore Venerabili IOANNE SCOTO Doctore Subtili Immaculatum B. Virginis honorem, acerrimè, inſtar aquilæ, peruidit ſemper ac coluit; tum pro Heroico perpetuoq; Regum Catholicorum erga Originalem Dei-Matris Sanctitatem, Cultu & Veneratione præclariſsimè obiuit, cum incredibili Piorum omnium applauſu. Secutus fuit Magnus ille Fidei Orthodoxæ Vindex & Defenſor, exempla Chriſtianiſsimorum Imperatorum, Regumque Anteceſſorum ſuorum, Conſtantini Magni, Theodoſij, Martiani, Leonis, Iuſtiniani, Caroli Magni, Ludouici Pij, & vt cæteros prætercam, Caroli V. Auguſti, & Philippi II. Catholici, qui omnes pro Pace Eccleſiæ, & controuerſiarum definitione apud Summos Pontifices maximo opere laborarunt, & ad celeberrima Concilia Nicenum, Epheſinum, Chalcedonenſe, Tridentinum, Epiſcopos maximo numero ex S. Sedis Apoſtolicæ auctoritate conuocarunt ad Dei Opt. Max. Diuæque Matris Majeſtatem aſſerendam. O digniſsimam Summis Principibus Curam! Quam Deus Regnorum omnium Conditor & Arbiter, maximis etiã contra hoſtes victorijs ſemper & præmijs honeſtauit. Atque vt vetera prætereã, quid magis admirandum, quam ex quo tempore Rudolphum I. Auſtriacum, Deus ad Imperium perpetuæ Pietatis merito, palàm euexit, pleraque potentiſsima Europæ Regna in vnam Auſtriam, verè Auream ſtirpem Veſtram diuinitus confluxiſſe. Nec id ſolum, ſed immenſam illam Noui Orbis, omnibus antiquis intacti, Monarchiam Auſtriacæ Pietati reſeruatam, cum maximis Aſiæ & Africæ clauſtris & portibus, ad Religionem Catholi-

Catholicam vnà çum Imperio Catholico per reliquas Orbis partes feliciter propagandam. Pijſſimæ huic Legationi Optimus Regum immortuus, Tibi & Potentiſſimi Imperij, ac Eximij in Diuam Cultus hæreditatem ſupremis verbis relinquens, ad cœleſtia regna exceſſit. Tuæ Majeſtati, Rex Maxime, illa gloria cœlitus ſeruata eſt, vt Legationẽ nobiliſsimam per Illuſtriſsimos Proceres, Ducem Albuquerquium, & Comitem Montis-Regij apud Sanctiſsimum Pontificem Gregorium XV. proſequens, tandem eximium Decretum impetraueris quo Immaculatæ Conceptionis Dignitas Apoſtolico Iudicio mirificè eſt conſtituta.

Macte iſta Pietate & Felicitate, REX Catholice, & Sanctiſsimæ MARIÆ Honorem Regiè tueri & augere perge. Hoc enim non ſolùm Ferdinandus II. Cæſar Pius Felix Auguſtus, & Eximia illa Heroina Sereniſsima Domina ISABELLA CLARA EVGENIA, ALBERTI PII Belgarum Principis, omni Terreno Imperio Maioris, nuper Coniux digniſsima, cum vniuersâ Auguſtâ Domo AVSTRIACA, cæteriſque Proceribus ac Populis gratulantur & ſatagunt: ſed Beatiſsimus etiam ille ipſe Pontifex magnificè ſuis Litteris laudauit. *Populorúmq; Tibi Fidem, & Hoſtium Oppreſsionem haud temerè eſt pollicitus*, ex tam Heroico Potentis Virginis, Hoſtibus & Dæmonibus ipſis Terribilis, Patrocinio. Et annon clariſsima ſigna Deus & Diua dederunt hiſce temporibus, dum prælatâ Huius Imagine, & auxilio piè inuocato, ferociſsimi ſubitò Hoſtes cum innumeris copijs ſunt debellati; nobiliſsima Bohemiæ, Hungariæque Regna cum ampliſsimis Prouincijs Legitimo REGI reſtituta; Perduellium Regiones iuſtiſsimè, fortiſsimeque Cæſareis & Catholicis Auſpicijs à Maximis Ducibus ſubiugatæ? O Victorias celeberrimas, Nouis Conſtantinis, Nouis Theodoſijs, Nouis Carolis Magnis digniſsimas, D. Virginis Cultu & Veneratione

4. Iunij 1622.

* iiij impe-

impetratas! Huius inclytæ LEGATIONIS Acta fidelissimè conscripta & doctissimè à R. Patre F. LVCA VVADDINGO S. Theologiæ Romæ in Monte Aureo Lectore, & LEGATIONIS Theologo, nobis ab Amico ad legendum tradita, Magnisque Viris ostensa, visa sunt iis dignissima quæ ad Maiorem Dei, Diuæque Gloriam in lucem publicam prodirent. Egimus igitur pro veteri cultu, ergáque Seraphicum Ordinem, cui piè innexi sumus, affectu, vt hic Liber legitima Censura probatus in celeberrima Vrbe & Academia Tua Louaniensi, Orthodoxæ fidei ab omni æuo seruantissimâ, Typis publicis sit editus, sub Augustâ Tui Nominis Tutela. Atque huc non Ambitio nos impulit, ingenuè id testor; sed summorum Virorum hortatus, & Serenissimæ Principis Auctoritas cui expedire visum, vt Tuæ Maiestati consecratum extet publicè præclarissimum hoc Perpetuæ Dei-Matris Sanctitatis grauissimè assertæ, & Regiæ Catholicæ Pietatis Trophæum. Accipe igitur, REX Potentissimè, benignè hanc perpetui nostri cultus & obsequij velut obsidem Tabellam, & pendêre pátere in Augustissimo MARIANÆ Virtutis & Honoris Templo, dùm alia ad DEI, Diuæque gloriam felicissimis Tuis per omnes terræ fines Auspicijs diffundendam ex pijs Maiorum nostrorum Consilijs & conatibus molimur. Bruxellæ Anno Christi M. DC. XXIV. sexto Idus Maij, quo die Magnus olim Constantinus Nouam Romam Beatissimæ Dei-Matri, Cœli, Terræque Imperatrici dedicauit.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

DAmus, amice Lector, ad multorum imperium, ad plurimorum preces, quæ præsentes vidimus, quæ manus nostræ contrectauerunt. Imperantibus & precantibus eo facilius obsequuti sumus, quo serius significarunt meam in hac re operam futuris temporibus profuturam, & Ecclesiæ nonnihil vtilitatis allaturam. Quippe non mediocris esse emolumenti aduerterunt, vt qui post nos erunt, quo modo res Ecclesiasticæ peractæ sunt, sciant & exactè discere possint ad quos terminos Theologicæ peruenerint controuersiæ, quibus de causis, qualibus fundamentis stabiliuntur doctrinæ, qui in vnaquaque statuti sunt limites, quibus vtendum formulis loquendi, & demum quibus gressibus ad eum, quem habent statum, cultus Ecclesiastici pertingunt. Illa etiam vtilitas non parua, vt vera & sincera narratione rerum Ecclesiasticarum, serio & graui examine discussarum, magno pondere & grauissimis de causis statutarum, oblocutionibus hæreticorum, ecclesiasticas condemnantium actiones, occurratur, & per veram rei gestæ historiam, illorum refelli possint calumniæ. Quam mendaciter oblatrarunt Pomeranus, Tilemannus, Heshusius, Kemnicius, & alij huius farinæ nouatores contra ipsum Concilium Tridentinum, tum propter articulos fidei definitos, tum propter hanc ipsam controuersiam, licet nihil certi circa eam statuerit, nulla potiori ratione potuit probari, quam ex ipsis actis Concilij, & rem gestam narrantibus ijs, qui præsentes adfuerunt. Non quia illi obganniunt, & dolosè multa exaduerso confingunt, abstinendum in Ecclesia Dei à necessarijs & vtilibus controuersiarum decisionibus, sed potius ponderata, & redditâ fidei, quæ in nobis est, ratione, terminandæ quæ videntur necessariæ; & deinde blatterantibus hæreticis rerum gestarum sacris & sinceris occurrendum est monumentis. Si ad horum oblocutiones & detractiones sit attendendum, nihil prorsus agendum in Ecclesia, quam enim Pontificiam non condemnant actionem? quam Ecclesiasticam non velut insani irrident legem? quam non reijciunt doctrinæ Catholicæ definitionem? Id hæreticis familiare, quæ non probant, irridere, quæ suis delirijs contraria, vituperare, & vt sua stabiliant mendacia, nostras calumniare veritates. Egregie Tertullianus, Hoc illis negotium, non Ethnicos conuertendi, sed nostras euertendi, hanc magis gloriam captant si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur, quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt vt sua ædificent. *Ne ergo temporum obliuioso decursu post nos veniant, qui quæ coram nobis acta sunt, aliter aut minus serio vel minori necessita-*

Vtiliter memorantur res Ecclesiasticæ.

Hæreticorum oblo-quendi consuetudo.

Vide Canis. lib. 1. de B. Virgin. c. 5. Payua. lib. 5. defend. Trident. par. 3. & Vegam in Concil. Trident.

Tertull. de præscript. aduers. hæret. cap. 42.

cessitatis pondere aut leuiori circumstantiarum qualitate facta calumnientur, aut Ecclesiam tanquam ex aduerso positam, mendacijs dilacerent, morem gessi, quibus debui, ut quæ in hac difficili euenerunt controuersia, fideliter, sincerè & absque verborum lenocinio, aut fuco recenserem. Non etenim euasit quod historiæ finis est veritas nec ostentationi, sed fidei veritatique historia componitur. Veritatem non debet egredi, & honeste factis veritas sufficit. *Huic quam maximopere incubui, eamque facile fuit assequi, dum Regio Oratori à studijs & rebus intimis, gestis ipsis interfui. Theopompum aiunt dixisse* eum quidem optimum rerum bellicarum historicum esse, qui ipsius belli particeps fuerit, & quam plurima etiam pericula coram expertus sit. *Quo innuisse adiungunt, cum tantum reuera esse bonum historicum, qui de his scribat rebus, quibus interfuit. De ijs, qui de non visis & remotis, ex aliorum narrationibus, quibus omnem suam debent fidem, historias contexunt, quomodo non aliquando fallantur & à veritate aliena conglomerent, nisi diuina ope iuuentur, se ne scire fatetur August.* Historia sanè (*inquit*) cuius Scriptores fidem se præcipuè narrationibus suis debere profitentur, fortasis habeat aliquid cognitione dignum liberis, cum siue bona, siue mala hominum, tamen vera narrantur. Quamuis in eis cognoscendis qui Spiritu Sancto non adiuti sunt, rumoresque colligere ipsa humanæ infirmitatis conditione compulsi sunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, omnino non video, est tamen in eis aliqua propinquitas libertatis, si voluntatem mentiendi non habent, nec homines fallunt, nisi cum ab hominibus humana infirmitate falluntur. *Ne ego fallerer, sed veritatem quantum liceret, attingerem magna fuit ratio, quod ea fermè omnia, quæ scriptis tradidi, oculis conspexi, vel ab ipsis rerum authoribus plena & probata publicis instrumentis fide percepi. Citra mea tempora, vel pene ultimum hoc temporis lustrum, historiam non repetij, sed plano & sincero stylo quæ ab orientibus recentioribus tumultibus Bethicis notiora sunt, obseruaui. Neque quicquam, etsi vellem, fingere licuit cum superstites habeam qui mentientem non segniter redarguerent. Quare si nuda & certa veritate laus constat historiæ, nostra vacabit à calumnijs. Illud admonuerim quod si quæ prurientes aures, & inquietæ affectant mentes, requiras, non inuenies. Id forsan offendes, vel te offendat, quod affectum erga communem & piam de Virgineo conceptu opinionem præferamus, quod ad ampliorem eius declarationem optandam alios excitemus. Id verum fatear, non parum me huius dubij decisioni inhiare, ut vel hac unica ratione tot dissidiorum tempestates compescantur, & tantæ rei veritas manifestius eluceat.* Non (*ut quibusdam sæpius placuit dicere*) apertissimæ

Strabo l. 1. Geographis. *Historiæ laus, veritas.*

Polyb. l. 12. Hist. *Quis bonus historicus.*

August. l. 5. contr. Donat. c. 3. to. 7.

tissimæ veritati resistimus, sed aut pro manifesta veritate certamus, sicut ego existimo, aut certe sicut possunt putare, qui nondum istam quæstionem solutam esse arbitrantur, adhuc quærimus veritatem. *Tranquillo spiritu & quieta mente huius molestæ quæstionis decisioni insistimus, nullum litigij nisi volentibus, fomitem in enarrando miscuimus. Ita candidè, ita plenè res omnes complectimur, vt quas vel ipsi aduersæ sententiæ viri sciri velint, & propalari curarint, non abscondamus, sed omnes suis temporibus & rationibus dimetiamur. Non est in his rebus commotione animorum, nec subsannatione verborum agendum, detur locus Christianæ veritati, & inter Orthodoxos concordia non exulet. Mihi licet cum Cypriano asserere.* Nos quantum in nobis est propter hæreticos cum Collegis nostris non contendimus, cum quibus concordiam & dominicam pacem tenemus, maximè cum & Apostolus dicat, si quis putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Seruatur à nobis patienter & leniter charitas animi, honor collegij, vinculum fidei, concordia sacerdotij. *Iudicauit optimus antistes suam quemque vrgere posse opinionem absque eo quod turgeat iracundia; nec si rationes constringat, Christianam obinde solui concordiam.* Vidit & sensit (*inquit de eodem alius Afer antistes*) etiam diuersa sentientes posse salua charitate sentire. *Etsi quædam hinc inde referantur vel insinuantur, quæ quispiam vellet ex aduerso taceri; dum tamen omnem iuuant causam, & præcipua fuerint fundamenta Regum instantiæ, Pontificijque statuti, non tam stomachari debet quod recenseantur; quam dolere quod sic committantur. Vias necessarias tentarunt Illustrissimi Oratores vt definitionem obtinerent, aliorum conati sunt rationes euertere, fundamenta nudare, scandala perpetua esse probarunt, nouas causas adiecerunt: cuncta ex his Tractatibus licet colligere. Vale mi Lector, & his æquo animo fruere.*

Augus. l. 5. contr. Donat. c. 3.

Cyprian. Epist. 73. ad Iubaian. ad fin.

1. Cor. 11

August. citatus.

APPROBATIO.

FR. BENIGNVS A GENVA totius Ord. Min. Minister Generalis & Seruus, Dilecto in Christo P. FRATRI LVCÆ WADDINGO S. Theologiæ Professori salutem. Per patentes has nostras literas licentiam concedimus vt Typis detur *Historia Legationis* PHILIPPI III. & IV. *Regum Catholicorum ad* S. S. D. D. PAVLVM V. & GREGORIVM XV. *De dirimenda Controuersia Conceptionis Virginis* MARIÆ, quam sincere scriptam esse, vtilemque fore nostris & futuris temporibus nobis retulerunt, ij quibus reuidendam commisimus. In reliquis obseruanda monemus Concilij Tridentini, & nostri Ordinis statuta. Vale & pro nobis ora. Datum Romæ in Conuentu Aracœli, An. 1622. 4. Kalen Decembr.

F. BENIGNVS A GENVA

APPROBATIO.

VIdi ex commissione Reuerendissimi Patris Generalis *Historiam Legationis* PHILIPPI III. & IV. *Regum Catholicorum ad* S.S. D.D. PAVLVM V. & GREGORIVM XV. ex fide conscriptam à R. P. FR. LVCA WADDINGO Theologiæ Professore, & antiquorum nostrorum monumentorum accuratissimo vindice. Placet in re adeò controuersâ, sincera & candida narratio, per quam futuris consulitur temporibus in quibus liceat perspicere quanta cum maturitate, & quam ponderose Sacrosancta Mater Ecclesia, Ecclesiasticos indicit cultus, & Theologicas obfirmet disciplinas. Valde proinde dignum puto hoc opus vt publici fiat iuris, nec dubito quin publicam afferat vtilitatem. Dat. Aracœli Prid. Id. Decembr. 1622.

F. PHILIPPVS NEAPOLITANVS Doctor Parisiensis.

APPROBATIO.

EX mandato R. P. N. FR. BENIGNI A GENVA Ordinis Minorum Generalis Ministri perlegi summa cum voluptate *Histor. Legationis* PHILIPPI III. & IV. *Regum Catholicorum ad* S. S. D. D. PAVLVM V. & GREGORIVM XV. concinnatam à R. P. FR. LVCA WADDINGO Theologiæ Professore, in qua sinceritatem maximè suspicio, stylum laudo, & exactam in rebus Theologicis peritiam commendo; tantum abest vt quidpiam quod fidei, aut morum puritati repugnet, in accurato hoc opere deprehenderim, quod dignissimum puto vt typis mandetur. Datum in Conuentu Aracœli Romæ Idibus Decembris, 1622.

F. ANTONIVS A SALAZAR Theologiæ Professor.

APPROBATIO.

HÆc Legationis PHILIPPI III. & IV. Regum Catholicorum ad PAVLVM V. Pontificem Max. Historica narratio erudita est & ex fide conscripta, nihil continens quod sacris Canonibus vel Ecclesiæ Decretis quoquo modo repugnet.

GVILIEL. FABRICIVS Apostolicus ac Regius Librorum Censor.

APPROBATIO.

OPus hoc de *Immaculata Beatæ Virginis Conceptione* doctum & perutile est, vt ad honorem Beatæ Virginis & Catholicæ Ecclesiæ lumen merito imprimi possit. Quod puto 6. Ianuar. 1622.

EGBERTVS SPITHOLDIVS Canonicus & Plebanus Antuerpiensis Librorum Censor.



LEGATIONIS PHILIPPI III. ET IV. Hiſpaniarum, & Indiarum Glorioſiſsimorum Monarcharum DE Definienda Controuerſia IMMACVLATAE CONCEPTIONIS B. VIRG. MARIÆ.

SECTIO PRIMA.

TRACTATVS I.

De Exordijs huius Legationis.



NTIQVAM quotidianis incrementis inualeſcentem, multóque & Eccleſiæ, & ſæculi Principum fauore ſe ipſa ſemper robuſtiorem, deuotionem, in immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ, ex humilibus, & pæne deſpicabilibus principijs, & motiuis ita fouit, ſuſcitauit, & auxit hoc noſtro ſæculo Deus, vt omnem ampliſsimam Hiſpaniæ Regionem, aliaſque exteras nationes latenti quodam igne, & manifeſto zelo accenderit, & pæne inflammauerit ad tanti myſterij venerationem. Inenarrabilia ſunt; ſed & pæne incredibilia, quæ variæ virorum, ac mulierum congregationes, integræ Religiones, magnæ Ciuitates, egregiæ Communita- *Quã inualuerit hoc ſeculo opinio de immacul. Cõceptione.*

tes, & vastissima Regna suæ deuotionis fecerint pericula, & quam sub hoc Conceptionis nomine Deiparam religioso prosequantur affectu, manifestis, & sumptuosis ostenderint indicijs. Sed nihil sub sole ab omnibus approbatum, nihil sine contradictione, nihil æque ab omnibus receptum; variæ sunt in vnaquaque re hominum sententiæ. Qui puram sectantur Conceptionem, eam extra opinionem esse volunt, & omni proculdubio immaculatam contendunt, vltimum expectantes Ecclesiæ iudicium, vt pro Fidei arcano tantam Dei Matris profiteantur excellentiam.

Altera opinio alijs placet, & quare.

2 Aliud tamen est hominum genus, qui sibi persuadere, vel ab alijs persuaderi non possunt, vt credant tantam puritatem, & à peccato indemnitatem Virgini expedire, aut in matris, vel filij redundare dignitatem. Salubrius aiunt Virgini peccasse; honorificentius maculatam fuisse; præclarius, habuisse antiquæ originis culpam; quàm peccatum omne fugisse, maculam non contraxisse, culpam nullam vel subodorasse. Christo, tantæ Virginis filio, magis aiunt tribuere matris peccatum, quàm innocentiam; plus sibi acquirere honoris ex genitricis fœditate, quàm puritate; præclariora statuisse trophæa ex deuicta in matre noxa, quàm si semper, & vndequaque fuerit innoxia. Hæc suis Theologicis, & Fidei principijs, ex vniuersali seruitute humani generis, & superabundanti Redemptionis beneficio, per Christum seruatorem, per multa sæcula suadere conantur; sed persuadere non possunt; dum salua tantorum principiorum fide, cæteri horreant in hominum, Angelorumque Regina quidquam, quod seruitutem, indignitatem, vel fœditatem redoleat, admittere. Suum cuique in hac re studium, nec vituperabile, dum tamen veram, & laudabilem sibi quisque proponat metam, & æqua statera rem hanc collibret; Christi excellentiæ, & veritatis potius studio, quàm æmulationis affectu, suam quisque tueatur sententiam.

Non satis conuenit Christi & Mariæ excellentia.

3 Non laudare non possum, qui Christum laudare contendit, sed vereor ne ex tanto matris dedecore plus Christo addat opprobrij, quàm tribuat honoris. Dignum fideli viro studium, vt veras, & ineuitabiles velit Fidei regulas, nec eas irreuerenter permittat eludi. At sub generalibus quibusdam, quantumuis indignis, & miseræ seruitutis legibus, eam, quæ nostram seruitutem excussit, & mundi libertatem restaurauit, comprehendere, timeo ne satis conueniat tantæ matris excellentiæ, & dubito, an vndequaque cohæ-

reat

reat eiuſdem fidei principijs; Preſertim cum in ſanctâ & catholicâ Ecclesiæ vniuerſitate, per tot continuos annos, ſaluâ fidei veritate, videam & credi, & profiteri publicè, & manifeſtè næuum hunc, & infamiam ſordidati noſtri generis Mariam euaſiſſe. Nec credam leuiter ad id credendum inductum abſque omni ſpiritus inſtinctu, cui ſpiritus ſecretò adeſt, & indubitanter aſsiſtit, ne erret: nec abſque verbo Dei, vel ſcripto, vel tradito id profiteri, cui verbum Dei factum eſt ad conſumationem vſq; ſæculi cum eâ permanſurum; vt ſuâ ſemper ſtabilitate conſiſtat, ne in communi, ac generali doctrinâ doloſe circumueniatur ab hoſte. Nec ob hoc tamen primos damnamus contradictores, qui contrarium ſuis temporibus tradiderunt, quando peculiaris hæc Dei Matris dignitas, nondum plenè Ecclesiæ innotuit; nec etiam qui eos modo tenacitèr ſequuntur, plurimum commendandos affirmem, poſtquam vniuerſo fidelium cætui per latiſsima orbis terrarum ſpatia, Spiritus ſancti haud dubiè operatione certius perſuaſa eſt communis, & benigna ſententia; & Deiparæ Virginis prima, & præclara ſanctitudo, plenius reuelata, conualuit.

Negatiua ſententia adhæret Eccleſia.

4 Anterioribus ſæculis ita à quibuſdam, hæc pia tutabatur opinio, vt eis, qui contrariæ opinationi adhæſerant, liberè, & ſine offenſione id propalare liceret, nec ita durè audiebatur in populo, Mariam in vitæ limine, Patrum origine fuiſſe fædatam. At nunc prima illa, & peculiaris Mariæ innocentia ita hominum cordibus inſedit, ita Chriſtianis inſeritur affectibus, & ab vniuerſâ contutatur Eccleſiâ, vt vix, aut ne iure quidem, velint, vel infrænes populi, vel cordati Viri, vel Præclari Doctores, & grauiſsimi Præſules, aut vlla hominum conditio à paucis, & ſingularibus viris audire contrarium. Aliquale ducunt piaculum, in Maria piaculum admittere; non abſque crimine putant crimen gloriæ noſtræ inſerre, cum magno, & certo populorum ſcandalo, & tumultu.

Olim non tantopere diſplicuit affirmatiua.

5 Octo ab hinc annis fortius inualuit & validius præualuit in Hiſpania, præcipue in regione Betica hæc in Virginem deuotio, quam præ cæteris excitauit & mouit Franciſcus à SantIago ſiue à Diuo Iacobo Minorita vir ſingularis pietatis & probatæ ſanctimoniæ, cuius ſumma eſt commendatio inter Hiſpalenſes, Maioritenſes atque vtriuſque prouinciæ Beticæ, & Extremiduræ populos, quo ad vitæ ſpiritualis diſciplinam Margarita Auſtriaca Philippi III. coniux vſa eſt magiſtro; cuius etiam plura recenſentur

facta, humanam ſuperantia poteſtatem. Præmonitus hic & accepto in ſignum annulo (vt piorum grauiumque virorum habet teſtimonium) à Diuâ Virgine Guadalupenſe, ſiue ad aquas lupias de futuro poſt aliquot annos, non tamen ſine contradictione & tumultu, incremento venerationis & cultus erga ſuam immaculatam Conceptionem, indefeſſum ſe geſsit deinceps huius miſterij promotorem. Sincerâ perſuaſione & candido magiſterio affectum commouit & auxit duorum piorum grauiumque virorum Hiſpalenſis Eccleſiæ (quorum vnus Archidiaconus Carmonenſis & ex primarijs Canonicis, alter pius Eccleſiaſtes ob pietatis magiſterium ſummæ venerationis in populo) vt ſibi & alijs perſuaderent Mariam abſque vlla peccati ſorde conceptam. Deinde Maioriti prædicto Philippo III. prædixit ſub ſuo Dominatu vltro citroque dilatandam hanc piam credulitatem, ſuoq; firmandam auxilio, quo ne adeſſe negligeret, ſolenniter, & veluti ex ſacro oraculo commonuit; cui Rex quicquid in ſe erat auxilij impendendum promiſit. Hinc cœpit vehementius pullulare, exterius prorumpere, & plurimis communicari pius hic affectus, deuoto ac laudabili præſertim ſtudio prædictorum Hiſpalenſium, quod etiam ſuo fouit adiutorio Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus D. Don Petrus de Caſtro digniſsimus vitæ candore, & ſacra litteratura, illius loci Archiepiſcopus, nec non illius Eccleſiæ viri capitulares. Primas autem tulerunt partes duo ſupradicti, tam in promouendo feruesſcens, & multo feruore prorumpens hoc in puram Virginis Conceptionem populi obſequium, quam in retundendo moleſtas aduerſariorum acies quibus omnem prohibere tentarunt in tantum miſterium, venerationem.

Laudabilis Hiſpanorũ in Virginem affectus.

6. At difficile ſuâ cedit integer populus ſententiâ, nec facile à ſuo antiquo cultu grauiores reuocantur Eccleſiæ, & illo præcipuè, quo in Virginem feruntur, cuius, vel minimum elogium, vel tantillum honorem, ita præ oculis, & animis habent Hiſpani, ut facultates omnes, & vitam pro defendendis Mariæ priuilegijs libentiſsimè, & liberaliſsimè profundant. Prodigos ſui (ſi fas eſt ità dicere) homines certe aſſereres in Mariam; ſi quæ contempſerunt pericula, propter Mariam, ſi quas ſubierunt moleſtias & calumnias, ſi quas deuouerint ſubſtantias, & erogauerint opes, vt Mariæ puritatem colentibus, auxilio eſſent & obſequio, cominùs proſpiceres. Valdè, & validè Mariæ ſanctitati congra-

Et in eius immaculatam Conceptionem.

congratulati ſunt, ita vt in omnibus Eccleſijs, tam maioribus, quam inferioribus, in religioſis domibus, & in alijs quibuſcumque per annos integros magnis non pepercerint ſumptibus, & continuas, magnaſque habuerint per Bæticam prouinciam de Mariæ Conceptione feſtiuitates, ita vt omnes in hanc ſolam tranſire viderentur. Nec enim erat Sancti, vel feſti ſolemnis memoria, in quo præcipuè de Mariæ Virginis ſanctitate non ageretur, & doceretur ex ſuggeſtis, & conclamaretur in plateis, ita vt ſæpiùs mihi in mentem venerit illa ciuitatis Conſtantinopolitanæ, etſi celebrata, non tamen ſatis laudata, deuotio, Mariam Dei Genitricem, & θεοτόκον publicè in foro & in populo contra aduerſarios inuocantis, & prædicantis. Paſſa tamen non paucas à Neſtorio, & Anaſtaſio moleſtias; Nec ſuas etiam effugerunt Hiſpalenſes, dum apud Regem Catholicum non contemnendas ſubierunt calumnias, quaſi nouas, & inauditas introduxerint doctrinas; & inteſtinas fouerint, & auxerint in populis ſeditiones. Quas vt per ſuos internuncios coram Rege deterſerunt maculas, iniuſtaſque hominum probarunt querelas, à pientiſsimo Principe laudati, ſuas proſequuti ſunt celebritates, non tamen ſine multa contradictione; ſed iaculato è cælo fulmini, reſiſtentia vires addit, *contraria igni aqua paſtum præbet* (vt habet Philoſophus) *& multa ſunt quæ contradictione fouentur*. Diuina inuenta neſciunt humanis cedere moleſtijs, nec fortes boniue animi aduerſis franguntur, ſed roborantur. *Vt enim palmæ arboris ramus* (inquit Plinius) *impoſito onere non deflectitur in terram, cæterarum more, ſed remittitur, & vltra aduerſus ſarcinæ pondus erigit ſe: ita viri fortis animus, quò plus negotijs premitur, quoque magis ſæuit fortuna, hoc eſt erectior.* Et vt habet Poëta Tragicus,

Hiſpalen. male audiunt apud Regem, ſed immeritò.

Contradictione quædam fouentur.

Ariſt. 2. de anim. c. 4. tex. 43.

Plin. lib. 8. c. 41.

> Ανδρῶν γὰρ ἐσθλῶν σπέρνον οὐ μαλάσσεται
>
> *Virorum fortium pectus non langueſcit.*

7 Non elanguerunt Bætici, non tepuerunt aduerſis, non animos depoſuerunt impetiti, ſed fortius impugnati in cœpto perſtiterunt Virginis obſequio, nouos ſibi addentes animos, & circumvicina regna ad ſimiles honores Deiparæ tribuendos exhortantes, & inuitantes. Omnia libenter, & alacriter in ſe nouas has nouenarias (nec enim paucioribus circumſcribebatur diebus tanta feſtiuitas) ſolemnitates admiſerunt; magna & præclara affigentes trophæa Marianæ de originali peccato victoriæ; platearum exitus,

Bætici contradictione feruentiores.

tus, vicos, publicas vias, compita, templorum frontes, regiarum valuas, hoc obſignantes elogio, *Maria concepta ſine peccato originali.* Vna erat totius Hiſpaniæ vox, idem Ciuitatum, & Populorum conſenſus & concentus, nullâ vnquam fœdatam maculâ Mariam. Sed quò magis hæc fama percrebuit, & deuotio vndique peruagata eſt, eo magis maculati conceptus tutores ſuam inculcabant ſententiam, & communem receptamque doctrinam impugnabant, lacerabant, exprobrabant.

Mira aduerſariorum contradictio.

8 Non tantopere admirati ſunt cordati viri, quod propriam ſuam, antiquam, vel antiquatam tueri curarent ſententiam, imo & aduerſam pro viribus fugare intentarent (hic enim gentilis, & innatus eſt cuique proprij dogmatis amor) ſed quod tot modis, religioſis viris indignis, & priuilegium hoc ſingulare Mariæ, tanquam heterodoxum & abominable, contra expreſſas Pontificum & Trident. ſanctiones condemnarent, & à ſe diſſentientes non paucis afficerent conuitijs, nec facile ferendis appeterent iniurijs, vt ex hiſtoriæ decurſu licebit videre. Hinc verò multorum in ſe concitarunt animos, & prouocarunt calamos, qui iniurias voluerunt remetiri. licet etenim *Chriſtianum ſit & laudabile in proprijs iniurijs patientiam tenere,* (vt ait Chryſoſt.) *nec vt in beneficijs, honeſtum ſit,* (aſſertore Seneca) *merita meritis repenſare, ita iniurias iniurijs; quia illinc vinci turpe eſt, hinc vincere inhumanum:* adeo tamen ſenſibilis, & impatiens eſt hæc noſtra deprauata natura, vt *neſciam quis noſtrûm poſſit implere* (velut aſſerit Rabbanus) *vt laceretur opprobrijs fama noſtra, & exultemus in Domino; eleganter* (inquit) *in quodam legi volumine, quod ſi non quæras gloriam, tamen dolebis cum inglorius fueris.* Quod & re ipſâ in hoc noſtro congreſſu compertum eſt. Nam ita doluerunt multi, vt eorum gloriæ detraheretur, & ignominiosè de illorum ſententia ageretur, & fama: (quod & paſsim fiebat, & publicè) vt ſibi tacendum non duxerint, ne *veteres ferendo iniurias inuitarent nouas,* aut malè audirent in populis, & ignominioſis, ſtolidis, ſordidiſque viris ſolùm hæc placere videretur opinio. Aggredientes aggreſsi ſunt alij, offendentes offenderunt laceſsiti, & prouocati (vt per publicas conſtitit Regi informationes, & ego ipſe non ſemel, aut vno in Hiſpaniæ loco conſpexi) vindictam pararunt, & bellum, ita vt tota ferè arſerit in diſsidij incendium Hiſpania, nec locus vllus eſſet abſque querela. Grauiora, & indigna quæ tunc hinc inde euenerunt, clariora ſunt, quam vt à me referri indigeant,

Plures in ſe concitarunt.

Chryſoſt in Matt. hom. 11.

Seneca de ira, c. 23.

Non facile feruntur iniuriæ.

Rabban. in illud Matth. *Gaudete & exult.*

Aul. Gel. Atticar. lib. 18.

geant, aliorum iam litteris consignata, & publicis iudicata sententijs. Quare nullus mihi vitio vertat, quod publica, & iudicata, verè, & absque omni sinistro & prauo affectu breuiter perstringam, dum ex his omnis nostræ & Legationis, & Historiæ series dependeat.

9 Quæ per totos primos tres annos euenêre sciens & libens prætereo, in aliudque tempus differo, vt propius accedam ad rem nostram, & Legationis narrationem, quam solùm mihi cordi est modo desiderantibus offerre. Illud dumtaxat admoneo, tantis efferbuisse scandalis, & patuisse dissidijs illas Regiones, vt illarum calamitati compatiens Sanctissimus Dominus Paulus Quintus proprio suo motu, & satis manifesto pacis zelo, & amore concordiæ illectus, has quæ sequuntur emiserit litteras Apostolicas.

Pontificis & Regis studium de sedandis scandalis.

S. D. N.

D. PAVLI *Diuina prouidentia Papæ Quinti Constitutio, innouans alias editas Constitutiones de Conceptione Beatissimæ* VIRGINIS MARIÆ.

PAVLVS Papa Quintus ad perpetuam rei memoriam.

REGIS *pacifici quanquam nullo nostro merito diuina dispensatione vices gerentes in terris, ex muneris nostri debito, pacis, & concordiæ inter Christi fideles, præsertim Ecclesiasticas personas, quæ alijs in viam pacis dirigendo & in vnitate spiritus continendo sunt præpositæ, conseruationi sedulò inuigilare cupientes, ea quæ à Prædecessoribus nostris Roman. Pontif. ad scandalorum semina tollenda salubriter constituta sunt, cùm hostis antiqui insidijs, qui ab initio dissidia serere cœpit, minime obseruari, aut varijs modis eludi dignoscuntur, vt inuiolata seruentur, opportunis remedijs, quantum cum domino possumus prouidemus. Olim, siquidem per fœlicis recordationis Sixtum Papam* IV. *Prædecessorem nostrum accepto, quod nonnulli diuersorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum*

publicè per diuersas ciuitates & terras affirmare non erubuerant, & quotidie prædicare non cessabant, omnes illos, qui tenebant aut asserebant Gloriosam, & immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos; eiusdemque immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientesq; sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmabant, grauiter peccare: sed & prædictis prædicationibus non contenti, confectos super eisdem suis assertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum assertionibus, & prædicationibus non leuia scandala in mentibus fidelium exorta erant, & maiora merito exoriri formidabantur indies. Idem Sixtus Prædecessor huiusmodi temerarijs ausibus, & peruersis aßertionibus & scandalosis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri poterant, obuiare volens, huiusmodi aßertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent, aut tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosq; desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc reprobauit, & damnauit, ac statuit & ordinauit, quod prædicatores Verbi Dei, & quicunque alij cuiuscunq; status, gradus, aut ordinis, & conditionis eßent, qui ausu temerario præsumerent in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare huiusmodi sic per eum improbatas, & damnatas asertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere excommunicationis sententiam eo ipso incurrerent, à quâ ab alio, quam à Romano Pontifice, nisi mortis articulo, nequirent absolutionis beneficium obtinere; similiq; pœna, & censuris subiecit eos, qui ausi eßent aserere contrariam opinionem, tenentes videlicet Gloriosam

riosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum id esset à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum. Hanc verò Sixti Prædecessoris Constitutionem Oecumenica Tridentina Synodus postea innouauit. ac deinde similis record. Pius Papa Quintus, etiam Prædecessor noster, statuit, & ordinauit, & mandauit, quatenus nemo cuiuscunq; ordinis, vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel vbicunque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare rationibus, vel doctorum authoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumeret, qui contra faceret suspensionis pœnam à Diuinis absque noua declaratione ipso facto incurreret, si modò esset in sacris constitutus, & à quocunque præterea gradu, siue dignitate, vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso iure priuatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuò inhabilitatus censuræ ipso etiam facto obnoxius foret; super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, siue absolui non posset, &, nihilominus alijs pœnis, si opus foret, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subiectus esset, prout subiecit. Cæterum quandiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non esset, oppositaq; sententia condemnata, liceret viris doctis in publicæ Academiæ disputationibus, siue Generalium, aut Prouincialium capitulorum, vel vbi aliàs interessent qui rem capere possent, nec scandali vlla subesset occasio, de illa quæstione disserere, & argumentis vtramlibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra, veluti erronea prædicaretur, seruarenturq; illa omnia, quæ à dicto Sixto Prædecessore statuta sunt, quorum singula etiam quantum ad alias pœnas duxit innouanda, & innouauit, prout in Sixti, & Pij Prædecessorum

literis

litteris desuper confectis plenius continetur. Verùm licet hæc prouidè statuta sint, nihilominus, sicut accepimus, non nulli in diuersis Christiani orbis partibus interminatis quæstionibus nimis intenti, dissensionum huiusmodi, iam pridem Ecclesiæ disciplinæ vigore recisa germina coalescere procurant, indéque contentiones & rixæ non sinè Dei offensâ, & scandalo plurimorum exortæ sunt, & grauiores indies ne exoriantur periculum est, nisi à nobis opportunè prouideatur. Quamobrem motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris Constitutionum Sixti, & Pij Prædecessorum huiusmodi veriores tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, easdem Constitutiones Apostolica authoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & etiam quo ad earum pœnas quascunque, etiam absolutionis reseruationem innouamus, & inuiolabiliter ab omnibus, etiam Regularibus cuiuscunque ordinis, & instituti, & alijs quibuscunque tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis, cuiusuis status, gradus, ordinis, & conditionis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ quàm sæcularis, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò facienda mentio obseruari præcipimus & mandamus, donec à Romanâ Apostolicâ Sede huiusmodi controuersia fuerit definita. Ac præterea si quis quouis modo contrauenerit, præter supradictarum Constitutionum pœnas respectiuè ipso facto incurrendas etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate ac voce actiuâ, & passiuâ in quibuscunque electionibus eo ipso absque aliâ declaratione, priuatus existat, necnon ad concionandum, & publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat, à quibus non nisi à nobis ipsis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pariter absolui, seu super ijs dispensari possit, & nihilominus alijs pœnis nostro, & eorundem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbi-

trio

trio infligendis subijciatur, prout eum subijcimus per præsentes. Et contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares, cuiusuis Ordinis & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascunq; Ecclesiasticas & sæculares personas cuiuscunque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quam sæcularis, vt præfertur, tam Episcopi, & Prælati superiores, alijq; Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos seuerè animaduertant. Nos enim ijs, & eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & authoritatem ijsdem authoritate & tenore tribuimus & impartimur, eosq;, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire præcipimus & mandamus. Non obstantibus omnibus ijs & singulis, quæ tam Sixtus, quam Pius prædecessores prædicti in litteris suis huiusmodi voluerunt non obstare: Quibus omnibus & singulis eorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, volumus, & dicta authoritate decernimus, quod præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valuas Basilicæ principis Apostolorum de vrbe in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent, quodq; præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die VI. *Iulij, Millesimo sexcentesimo decimo sexto, Pontificatus nostri anno duodecimo.* S. COBELLVTIVS.

Anno à Natiuitate Domini Nostri IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo decimo sexto, Indictione decima

quinta,

quinta, die verò nona mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. PAVLI Diuina prouidentia Papæ V. anno duodecimo, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ, per me *Augustinum Bracherium*, Cursorem. *Siluerius Pontirolus*, Mag. Curs.

Rex autem Catholicus tot quotidie populorũ commouebatur querelis, vt Legati Apostolici Antonij Caietani Capuani Archiepiscopi, & non ineruditorum Præsulum, nec infimorum, quos tunc habuit in curia præsentes, Virorum, Archiepiscopi Compostellani, Episcopi Conchensis, & Episcopi Vallisoletani, consilium requisierit, quid in tanta rerum commotione agendum erat, & an illæ Constitutiones Apostolicæ sufficienter hunc ignem extinguerent. Quorum vt illud fuit arbitrium efficaciori esse tanta mala præuenienda remedio, litterasque Pontificias solum ea innouare, quæ Sixtus Quartus, & Pius Quintus in hac re præceperant, nec firmior spes esset inquietos animos æmulatoriasque mentes plus modo compescendas in his nouis, vel renouatis præceptis, quam illorum Pontificum ætate, qua satis super hac re inuigilatum est, & sudatum, quin mala hæc interirent; decreuit per internuncium instantius à Beatissimo Patre, & summo Pontifice petere, vt efficacius hæc scandala sopiret, & rescissione alterius sententiæ scandalorum germina rescinderet.

Instat Rex apud Pontif. pro vlteriori remedio.

10 Huic obeundo muneri in Vrbem destinauit Placidum de Tosantes, virum grauissimum, & doctum, quondam Benedictinorum in Hispania Generalem, sibique è rostris non infacundum declamatorem; adhibuitque itineris comites, & laboris participes, qui sollicitudini huius causæ incumberent, & eidem pertractandæ, & promouendæ regio, & Hispalensis Ecclesiæ nomine assisterent, duos quos supra dixi viros, qui dum secum piè perpenderent, quantum ab ipso ferme ouo (vt ita dicam) creuerit hoc negotium sub sedula cura & indefesso labore Franciscanorum, & quod annoso atque æquo iure illorum iam proprium euaserit, ne viderentur in alienam messem falcem immittere, & suum vere facere quod alias putabatur alienum, vtque fælicius succederet, quod tantopere desiderabant, Franciscanis tertij instituti Maioriti se adscripserunt

pſerunt in publico conſeſſu ſolitoque ritu emiſsis votis in manibus Generalis Miniſtri : His nouos rei feruores ,& maiores progreſſus non immeritò tribuunt Hiſpani, quibus & ego non modicè putem de tanto opere, & zelo gratulandum ; qui nec laboribus, nec ſumptibus parcebant, vt opus hoc Dei (ita facilè mihi perſuadeo) promoueant, & plures Aduerſariorum moleſtias, & temporum aduerſitates in Hiſpaniâ, & Romæ viriliter contempſerunt, & contemnendas ſibi inuicem quotidie prædicabant, & hortabantur, donèc à noxæ, & culpæ fæditate ſacratiſsimam liberarent Mariam, vel ſereniorem his rebus faciem ſuperinducerent. Quibus acceſsit alius non minoris zeli nec mediocris litteraturæ vir Petrus à Miraual Bethicus quem in pretio ob ſpectatas virtutes habebat Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſuarumque conſtituit in Romanâ curiâ cauſarum vindicem, paucis ab hinc diebus ad Epiſcopatum vocatus , qui conſilio & litteris intra proprios lares ad ſexennium & vltrà his viris ſemper adfuit,& negotium non parum adiuuit.

11 Hi gratanter à ſanctiſsimo Antiſtite recepti, & benignè exauditi, obtinuerunt decretum ſatis fauorabile ab Illuſtriſsimis ſacræ Congregationis, ſancti officij Inquiſitionis Cardinalibus coram Sanctiſsimo Domino in Monte Quirinali promulgatum, ab eodemque reualidatum,vt nullatenus affirmatiua ſententia,ad quam populi, & fideles ſcandalizabantur, & irritabantur, ampliùs proponeretur in publicis actibus, nec doceretur è cathedrâ, nec prædicaretur è ſuggeſtu, nec diſputaretur in theſibus. Attamen grauitèr, & ſeuerè cautum eſt, ne ab alijs impugnaretur, aut nominaretur, vllaque illius fieret mentio. Cuius decreti dum frequens mihi ſit memoria in his tractatibus illud datâ operâ ſubijciendum, iudicaui.

Nouum emittitur decretum circa Virg. Conceptionem.

Feriâ Quintâ Die 31. Augusti à Nauitate Domini Nostri IESV CHRISTI; *1617.*

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico, in Monte Quirinali coram Sanctissimo Nostro Domino, PAVLO Papa Quinto Diuinâ Prouidentiâ.

12 SANCTISSIMVS *Dominus Noster post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustrissimorum & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè ac diligentèr perpensâ, prouidè considerans, quòd quamuis in Constitutione fælicis recordationis Sixti IIII super Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ (pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus) editâ à Sanctâ Tridentinâ Synodo innouatâ, & deinde in aliâ Constitione sanctæ memoriæ Pij Quinti super eadem re, quam similitèr Sanctitas sua innouauit cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciore earum obseruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamèn neutra veluti erronea, aut hæretica damnetur; nibilominus ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & Actibus publicis, Quod eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriuntur in populo Christiano cum magnâ Dei offensâ, scandala, iurgia, & dissensiones. Propterea volens huiusmodi*

Ex publica assertione affirmatiuæ oriebantur scandala.

modi ſcandalis ex debito ſui munere prouidere, decreuit, & præcepit, ac præſentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cuiuſuis Ordinis, & Inſtituti Regularibus, & alijs quibuſcumque tam Eccleſiaſtici, quam ſæcularis, etiam ſi ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua eorum neceſſariò eſſet facienda mentio, vt in poſterum, donec articulus huiuſmodi à Sanctâ Sede Apoſtolicâ fuerit definitus vel per Sanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Concluſionibus, & alijs quibuſcumque Actibus publicis aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali. Contra facientes eadem Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, & ſuâ, ipſo facto incurrendis. Per huiuſmodi tamen Prouiſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſupra diſpoſita. Vlterius ſub eiſdem cenſuris, & pœnis, mandans quod negatiuam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali in prædictis publicis Actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de eâ aliquo modo agant, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſsè mandauit, vt extra hos caſus publicorum Actuum in reliquis omnibus ſupradictæ Conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & exactè obſeruentur, perinde ac ſi præſens Decretum non emanaſſet. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiter obſeruari, non obſtantibus in hâc parte ſupradictis Conſtitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus; Volens, & decernens pro obſeruatione & executione præſentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiuſmodi tranſgreſſores, & etiam Regulares cuiuſuis Ordinis, & Inſtituti etiam

Præcipitur ne publicè proponatur affirmatiua.

Non tamē penitus reprobatur.

Nec de ea licet publicè agere.

Aliæ Pontificū conſtitutiones extra publicos actus manent illæſæ.

Decreti tranſgreſſores ſeuerè puniendi.

quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæculares personas cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, tam Episcopi, & Prælati superiores, & alij Ordinarij locorum, quam hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & authoritatem contra eosdem trangressores procedendi, & pœnis coërcendi, puniendi, &c. Voluit demum ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quod præsens Decretum, seu illius exemplar ad valuas Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimata fuissent; quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Decreti publicatio & fides.

ANDREAS DE PETINIS,

Sanctæ Rom: & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

Anno à Natiuitate Domini Nostri IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo decimo septimo, Indictione decimâ quintâ, die verò 12 mensis Septembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri PAVLI Diuinâ prouidentiâ Papæ V. anno 13 præsens Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ, per me *Franciscum de Clericis*, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

SYLVERIVS PONCIROLVS, Magister Cursor.

Romæ ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1617.

Decretum

13 Decretum hoc vt accepit Hispania summo exultauit gaudio, nec conceptam de tanto beneficio lætitiam sub pectore potuit continere; quin in exteriores prorumperet iubilos, & solemnes præpararet ludos, & spectacula. Plurimi etenim in populis præ oculis solùm habentes, affirmatiuam interdici publicis actibus sententiam, satis obindè fautum, & consultum putârunt negatiuæ, & fidelium deuotioni & quieti. At alij viri docti, & circumspecti penitiùs rem introspicientes, & enucleantes, licèt fauorabile hoc Decretum iudicârint, non tamèn adeò, vt vlterior, & maior non deberet in hac re fauor expeti, & expectari. Nec tam efficax duxerunt esse scandalorum remedium, vt plura, & magna in posterùm non possent timeri, sicùt, & ipsa videre fecit experientia.

Quid in Hispania de hoc decreto senserint.

14 Ita plures Theologiæ Magistri, & consilio præstantes animaduerterunt & Regi suggesserunt; inter quos magnam obtinuit fidem propter animi præstantiam, & spectatam prudentiam, per vniuersam Hispaniam, imo & integram Europam (quam, dum nostri sodalitij teneret clauum, lustrauit, & illustrauit) Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Franciscus à Sosâ Episcopus Oxomensis, posteà electus Segouiensis, qui & verbis, & notulis his, quas latino idiomate subijcio, omnem Decreti substantiam, commodum, & incommodum comprehendit & Regi patefecit.

Episcopi Oxomensis de decreto iudicium.

DOMINE,

„Decretum sanctæ Congregationis Cardinalium à suâ Sanctitate confirmatum, præceptum continet de non affirmando, quod Beata Virgo Domina Nostra peccatum habuerit originale siue in Sermonibus, siue in alijs publicis Actibus, propter scandalũ quod ex eiusmodi assertione recipit populus Christianus. Magnâ hoc dignum æstimatione: 1°. quia hucusque nihil tale prohibitum est sub censuris: 2°. quia mandatum hoc non est singulare pro peculiaribus Hispaniæ partibus, sed vniuersale, pro totâ Ecclesiâ: 3°. quia negatiua opinio iàm constituta est in superiori gradu, & proximiori, vt definiatur, sicùt sua prætendit Majestas.

Aestimatione dignũ decretum propter tria.

His tamen non obstantibus, Decretum non plenè sufficit, vt obuietur scandalis, imò occasionem præbere potest maioribus. 1°. quia supradicta prohibitio solùm extenditur ad casus in Decreto contentos, nimirum ne in Sermonibus, aut Actibus publicis affirmatiua doceatur; & amplum patet ostium, vt puritas San-

Non sufficit tamen vt plenè tollantur scandala.

ctißimæ Virginis multis impugnetur modis, & verbis, & scriptis: 2°. quia dum relinquuntur quoad cætera in suo vigore Extrauag. & Motus proprij aliorum Pontificum (contra quæ peccatur, & hæc scandala emergunt, dum sinistrè explicantur) non solùm eadem adhuc viget occasio discordiæ verùm & augetur multis difficultatibus, quæ circa huius Decreti sensum occurrent: 3°. quia iubetur etiam in Decreto, vt qui de piâ agunt sententiâ, non impugnent contrariam, quomodo verò hoc intelligendum, vel exequendum sit, inter variè opinantes nouæ orientur discordiæ, accusationes, & tumultus: 4°. quia si non potuerunt tres Motus proprij variorum Pontificum, & Concilium Oecumenicum Trident. in quo Sixti Extrauagantes confirmantur compescere nimios quorundam ausus, ne audacter obloquerentur Sanctionibus Apostolicis, dicendo eas non obligare, & à Pontificibus, qui suis vel paßionibus, vel affectionibus ducebantur, emanasse, aliaque his similia, quæ affirmatiuæ partis authores dixerunt, quomodo sufficiet, vt sileant, vel quomodo eos refrænabit ab huiusmodi loquelis, quod nec Motus proprius est summi Pontificis, sed Constitutio quædam Cardinalium à Sanctißimo Domino confirmata? Vltimo cùm certum sit Papam non posse errare dum definierit de fide vel ea statuerit, quæ ad vniuersalis Ecclesiæ mores spectant, aliter verò posse; dum non definierit hanc controuersiam, semper magnus patebit aditus discordijs, & sinistris interpretationibus Decretorum, & oblocutionibus contra Pontifices.

Quantum verò vtriusque partis fautores huic Decreto tribuent, & qualiter vnusquisque illud ad suam mentem, & sensum explicabit, clarum habemus exemplum in alio eiusdem congregationis Illustrißimorum Cardinalium Decreto in materiâ de auxilijs, huic nostro fermè per omnia simili, & promulgato ad eundem finem de consequendâ inter controuertentes pace, & obuiandis scandalis; & tamen tantum abfuit, vt hoc obtinuerint, vt potiùs maiores in dies orirentur simultates.

Maturius Decreti emolumentum expendit Rex.

15 Scriptum hoc, & verba tanti viri, & cuius consilium in precio habuit Rex, aliorumque de hac re iudicium eum commouerunt, vt altiùs secum rem hanc expenderet, & solemnia, quæ præparauit, gratulatoria festa suspenderet, quæ Lermæ tunc agebat, donec ipso experimento, & temporis decursu quanti faciendum esset Decretum, pateret, & si ad eius publicationem aduersario-

rum

rum cessaret circa Virginis innocentiam contradictio, in Populis constaret.

16 Interim tamen humiliter magnas habuit gratias Sanctissimo Domino, propterea quod ad suas preces à publicis conuentibus, & consessibus minus gratam illam sententiam relegârit, per quod facilius se in suis Regnis pacem consequuturum sperabat, licet simul aduerterit se plus in hac re expectasse, nec spem omnem deposuisse, nec depositurum donec in gratiam, & obsequium Dei genitricis, & Christianæ Reipubl. bonum, & quietem, sua Sanctitas difficultatem hanc vltimo terminaret. Gratificatus etiam est ad eundem modum, & similia aduertendo Illustrissimis Cardinalibus sacræ congregationis Inquisitionis contra hæreticam prauitatem, quia Decretum illud ediderunt. Illustrissimo Cardinali Scipioni Burghesio, sanctissimi Domini Nepoti, quia eidem Decreto promulgando, & confirmando suis precibus adfuit apud auunculum; & Illustrissimo Cardinali Gaspari de Borja tunc Regij Oratoris munere in vrbe fungenti, quia vt ederetur non parum adiuuit. Alij etiam ex Ciuitatibus, & Regnis, tàm sæculares proceres, quàm Religionum Præfecti suam gratitudinem, & gaudium suis litteris sancto expresserunt Pontifici, & per publica iuramenta, & vota, quæ illis diebus nuncupabant, contestati sunt populis negatiuæ sententiæ veritatem, & magnos eis addiderunt animos ad maiores iubilos, & festa.

Gratias habet Sanctissimo Domino.

Et Illustrissimis Cardinalibus.

Alij etiam suum exprimunt gaudium.

17 Maculatæ verò Conceptionis fautores ad tantam Hispaniæ lætitiam & publica Academiarum multarum vota contristati, non parùm laborarunt in deterrendis populis à celebritate, in retardandis Academijs à voto, in explicandis ad suam mentem clausulis Decreti, & nostris insinuantes sibi plus cæteris sanctum fauisse Antistitem, & Cardinales; publicè insuper contra eorum præceptum suam inculcantes sententiam. Hinc noui, & grauiores tumultus, hinc recentes discordiæ, quibusdam conquerentibus transgredi decreta Apostolica, alijs è regione negantibus, & vtrinq; in alterutrum sæuientibus verbis, item & conuicijs inuehentibus, ita vt non à veritate alienum prorsus tunc illud videretur Ouidianum,

Noui post Decretum tumultus.

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Ouid. l. 3. de Pon. eleg. 7.

Hæc ergò populos vndique nouiter commouerunt, & perturbarunt, ita vt nouæ deferrentur querelæ ad Regem Mantuam Car-

pentanam(quod Madritum vocant)redeuntem ,rogareturque vt reuirescentia sopiri curaret scandala, ne latiùs & periculosius serperent prioribus.

18 Re ipsâ,& magnâ experientiâ comperit Rex verum esse,quod circa Decretum aduerterunt (vt suprà dixi) viri eruditi, vnde, & omnem sibi adhibendam curam esse duxit, vt statim malorum imminentium principijs obstaret, nam

Cogitat de illorum remedio Rex.

Ouid. l. 1. de rem. amoris.

---- serò medicina paratur.
Cum mala per longas conualuere moras.

Quas vlterius non duxit protrahendas, sed conuocandum esse secundò grauiorem & ampliorem conuentum præcipuorum sui status virorum, vt eorum maturo consilio tutiùs procederet ad remedium. Duo adfuerunt Cardinales S.R.E. Toletanus vnus, Dominus Zappata, alter Archiepiscopus Compostellanus, duo illi supranominati in primo conuentu Episcopi, Conchensis & Vallisoletanus, Primarius Salmanticensis & Complutensis Theologiæ Professores, doctrinâ, & vitæ integritate spectatissimi. Ille Eremita Augustinianus, hic laicus Presbyter, Confessarius Regius Ordinis Prædicatorij, Prouincialis Fratrum Minorum Prouinciæ sancti Iacobi, duo Prædicatores Regij, ex Societate IESV vnus, ex Carmelitarum Ordine alter, Abbas demùm Grauissimi Sancti Martini Cœnobij Madritensis Ordinis Sancti Benedicti vir vndequaque grauissimus, ita vt ex omnibus fermè Ecclesiæ statibus congregati sint viri, qui vnum hoc perspicerent, & consulerent, quid in tanto tumultu deliberandum esset,& quid Catholico Regi in hoc negotio incumberet.

Congregat grauissimos viros quos consulat.

19 Propositi sunt his consulibus processus authentici ex varijs transmissi ciuitatibus de scandalis nouitèr exortis, & grassantibus discordijs per Illustrem & Nobilem quendam Heroëm Hispalensem Henricum Guzmannum, qui Regiâ schedulâ, & authoritate constitutus est in Curiâ Mantuanâ huius negotij Procurator, & Agens, quique omnem admouet curam, & sollicitudinem in Virginis puritate defendendâ, & promouendâ. Quibus perlectis, & sedulò examinatis indicârunt digna esse illa scandala, & dissidia, quibus obueniretur, & insopirentur tempestiuè, alia grauiora indubitanter exoritura. Regi ergo consuluerunt, vt omnia illa, quæ in primâ oratione supplici inferius referuntur incommoda, & rationes Sanctissimo Domino exponeret per Prælatum aliquem Illustrem,

Quod illorum Regi consilium.

Illuſtrem, & doctum, qui ſuâ, vel Oratoris vice fungeretur in vrbe; & donec vltimam obtineret definitionem, rogaret interim, vt omninò iuberetur taceri opinio affirmatiua.

20 Annuit horum conſilijs Rex, & quæ antea excogitauerat, media proſequutus eſt, ab omnibus expectans Academijs, Ciuitatibus, Eccleſijs, Prælatis, & Ordinibus litteras, in quibus quid ſibi videretur in hâc re exponerent, & de definiendâ Controuerſiâ apud Sanctiſsimum Dominum inſtarent. Præ omnibus verò ſui Regni Prælatis vnum ſupra nominatum elegit Dominum Franciſcum à Soſâ Epiſcopum Oxomen: à ſe propter hoc tunc electum Segouien. quem nouit optimè verſatum in rebus vrbis, & orbis; ſæpiuſque apud ſummos Pontifices de rebus arduis egiſſe fæliciter, & in Virginis Immaculatã Conceptionem ſummè propenſum. Hunc admoneri iuſsit Regij ſui placiti, & deſiderij, cui ſi ſatisfacere vellet, aut poſſet, citò citiùs Romam eſſe petendam, vt fauſto, & fælici omine tantæ Reginæ, tantique Regis opus abſolueret. Sed licèt hominem tot laboribus attenuatum, podagrâ vndique laborantem, & multis magniſque curis ſenio iam exanguem, multa prægrauaret ætas, fermè 70. agentem annum, tamen ad Regis Nuncium ita iuuenilem, ac validum induit animum, vt ſtatim reſponderit ſe non ex tunc ſed iamdudum fuiſſe in procinctu, ſuiſque ſumptibus abſque Regio ſubſidio iter hoc longum, tædioſum, & magnarum expenſarum, aggreſſurum, & perfecturum: modo votis velit Deus adeſſe, & pulſans ad fores mors non præpediret. Sed non pares tanto animo hominis vires, & eius conatui præualuit ſenectus. Dum etenim Oxomenſi valediceret Epiſcopatui, quem ſummâ prudentiâ per aliquot rexit annos, & Regi vellet gratificari propter collatos ampliores redditus, grauioremque oblatam Eccleſiam Segouienſem; & ab eodem cuperet inſtrui plenè, & præſens, de eius deſiderio in hâc Legatione fungendâ, diem clauſit (proh dolor) extremum, illi hilarem, nobis mœſtum, qui hominem vndequaque, & omnibus numeris abſolutum, noſtræ ſodalitatis ſplendorem, & cauſæ huius non inualidum promotorem perdidimus, ſub Idus Ianuarij anno 1618.

Eligit Rex Epiſcopum Oxomen: quem ad S. Dominũ mittat pro hac cõtrouerſia definienda.

Morte præuenitur Epiſcopus.

21 Tanti viri mors licet Regem quantiſper contriſtaret, non tamen Regium penitus deiecit, aut conterruit animum, quin in ſuo deſiderio perſiſteret, & de eodem exequendo anxiùs cogitaret. Plura molitus eſt in Virginis obſequium, dum de alio eligendo, & mitten-

Alia molitur Rex in Virginis obſequium.

mittendo viro ſecum diutiùs, & altiùs meditaretur. Propoſitum ei fuit non inane, nec ſuis progenitoribus indignum, de inſtituendâ, & erigendâ, (ad exemplum Clariſsimi Cæſaris Aui ſui Caroli Quinti,) grauiſsimâ Sodalitate in Conceptionis Immaculatæ honorem, in Regio ſanctimonialium ſtrictioris obſeruantiæ ſanctæ Claræ Conuentu, in quo ſub communi Regulâ, habitu, & victu præclariſsima, & fæminarum Nobiliſsima Sereniſsima Margarita Auſtriaca fælicis Imperatoris Maximiliani filia, & ipſius Regis Conſobrina, coronas, & ſceptra, quæ ſibi parabantur, & offerebantur, pro nihilo ducens, pauperem, & nudum in cruce ſponſum pauper exuuijs ſæcularibus depoſitis, & mundi ſpretis illecebris Deo laudatiſsimè famulatur; & huic promouendo negotio ſolicitius incumbit. Voluit etiam Rex ſe Oeconomum huius dici confraternitatis, ſuamque fæliciſsimam ſobolem Sereniſsimum Principem, & fratres, confratrum adſcribi numero, vt ſuo ſuorumque ductu, & exemplo, omnes Hiſpaniæ Regnorum Proceres ad eandem conuocaret Sodalitatem. Statuit etiam ſe ſuaque Regna voti ſolemnis nuncupatione ad tantam de Virgine excellentiam credendam in perpetuum obſtringere. nihilque non conſiderabat, quo maiores huic rei adderat vires.

Pontifex ulteriorem diſſuadet in hac re inſtantiã.

22 Sed dum hæc orditur, & tractat, ecce aliquorum ſuaſu ſuperueniunt Pontificis litteræ, non ſolum officioſæ, vel familiares, ſed prementes, & vrgentes ſatis, quibus rogabat, & ſuadebat vt Rex orthodoxus tantam in hâc re deponeret ſolicitudinem, nec vlteriori apud ſe de huius Controuerſiæ definitione ageret inſtantiâ, propriâ ſubſcribens manu, ſe totum quod potuit, & expediebat in Decreto nouiſsimo præcepiſſe. Hac inexpectatâ Epiſtolâ pauliſper conticuit, animumque collegit deuotus Monarcha pro ſuâque erga Beatiſsimum Patrem, ſummâ reuerentiâ, & fideli obſequio, dum rerum ſtatus hoc permitteret, & malorum ingruentium qualitas toleraret, voluit pro Pontificis nutu, non curam omnem deponere, ſed mitigare, & quam diſſuadebat Pontifex inſtantiam, in commodius tempus differre.

Obſequitur Rex.

Nova referuntur Regi tumultus.

23 At hæc ſibi proponenti, & obſequioſè ſecum ſtatuenti, perſtrepit bellum, ſacrum vndique bellum inter regulares, & Eccleſiaſticos viros; & tumultus veteres, & diuturni, nouique exorientes quotidiè ei afferuntur, & referuntur ex diuerſis ciuitatibus, & Regnis, quæ ab eo efficax remedium, & debitum expoſcebant patrocinium.

cinium. Videre erat modestissimum, & religiosissimum Principem hîc fluctuantem, & cogitabundum hærentem in tantâ anxietate. Labor vndique, perplexitas, & difficultas. Nescit quo se vertat, quid potius agat, penitus ignorat. Si Pontificis annuat votis, periclitantur populi; si populis verum expetat remedium, obstant Pontificis litteræ; si rogat, timet Papam offendere; si non rogat, suis timet nocere. Hinc nolit obesse, nec illinc deesse. Quodnam ergo in tantâ dubietate consilium? Consulendos in hâc etiam difficultate putauit, quos suprà nominauimus viros Consulares (vno Vallisoletano dempto Episcopo, quem multâ ætate, & venerabili senectute languentem, Deus ad meliora vocauerat) quibus omnem vtrinque dubitandi exposuit rationem, litterasque Pontificias expandit, quos etiam plenè informari iussit, de molesto Regnorum statu, & tumultu. Quibus inuicem collatis, comparatoque scandalorum pondere, cum litterarum suasu, & exhortatione, præcepit, vt quid sibi in tantâ rerum difficultate videretur, aperiant.

Quomodo euobuenias nescit.

Consulit iterum grauissimos Viros.

24 Illi graui lance, & ponderosâ trutinâ expensâ, & lectâ Pontificiâ Epistolâ, & considerato calamitoso Hispaniæ statu responderunt, Christiano Principi, sub conscientiæ reatu, incumbere inquietis suis Regnis prouidere, remediumque necessarium à Summo Pontifice humiliter flagitare: litteris verò, aut votis Pontificijs in hoc non obueniri, dum eas ad quorundam, qui suæ causæ timebant, instantiam datas esse facilè licuerit iudicare, nec Sanctissimo Domino constiterit de tantâ Regnorum Hispaniæ calamitate, vel remedij necessitate, & pereuntibus, vel periclitantibus populis subueniri nolle pium pastorem & benignum Pontificem, neminem sine eius iniuriâ potuisse asserere. Situm igitur, & depositum apud solum eundem Pontificem efficax malorum remedium, tam inueteratæ scilicet Controuersiæ Decisionem, denuò consuluerunt, per peculiarem, sed grauem, & cordatum Oratorem instantius, & quantocius expetendam.

Prælatorũ responsio.

25 Horum innixus consilio, & fretus sententiâ, de nouo eligendo, & creando Oratore pius cogitauit Monarcha, bonumque duxit quorundam, præcipuè vnius ex Consulibus præfatis grauissimi, & pijssimi Viri, arbitrium de seligendo ex omnibus vnum Reuerendissimum P. Antonium à Trejo nostrum olim Generalem Moderatorem, qui huius Legationis munus posset obire, tùm

Alium sibi creare statuit Rex pro hoc negotio Oratorem.

quòd

quòd familiare erat Pontificibus,& Regibus ſupremos huius ſodalitij viros ad ſimilia munia, & Legationes aſſumere: tum vt ad hoc electo Epiſcopo Soſæ, frater fratri, generalis generali, in curiâ experto expertus, & ſi Regi placeret Epiſcopo Epiſcopus ſuccederet; tum quod ingenij præſtantiâ, in hoc myſterium deuotione, litteris, & rerum difficilium ſuperandarum facilitate, & arte, omnino huic negotio neceſſarijs, non modicè præſtaret. Tum demum (quod minimũ non eſt) quia in vrbe haberet, qui ei auxilio poſſet eſſe, & conſilio Illuſtriſsimum Dominum Gabrielem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem de Trejo fratrem germanum, hominem numeris omnibus abſolutum, quem in curiâ non parùm venerabantur omnes, tum propter vitæ integritatem, & litterarum ſingularem ſplendorem, tum quòd eius voci, & egregiæ prudentiæ Catholicus Rex fidit, quod alij nulli ex Cardinalibus vel paucis, omnem pro ſe ſuiſque Regnis in ſummorum Pontificum electione diligentiam, & publicum ſuffragium.

Generalem Ord. Min. elegit ad hoc munus

26 Quod ergò approbauit, exequutus eſt conſilium bonus Princeps & per ſuum Secretarium admoneri iuſsit hominem Maioriti, vel Madriti tunc degentem, ut ſe ad tædioſum hoc, ſed honorificum munus, & iter, accingeret; taliterque res ſuas diſponeret, ut dum ad Iunij initium ſuæ Præfecturæ curriculum abſolueret, nouumque ſibi crearet ſucceſſorem, Religionique Prælatum, ſtatim poſsit de hac Legatione obeundâ cogitare. Et ut honorem adderet, & animum, ei Epiſcopatũ conſignauit Carthaginenſem regni Murciæ, Valentino regno confinis, primum, & præcipuum; in Hiſpaniâ antiquitate, authoritate, & amplo annuo redditu ſatis commendatum, ad quem ex aliis non infimis Eccleſijs ſolent prouehi grauiores Epiſcopi.

Et ad Epiſcopatum Carthag.

Dignas Regi habet gratias.

27 Huic bono, & fælici nuncio comitèr, & gratantèr ſobrius reſpondit vir ſe multas debere, & habere gratias liberaliſsimo, & pijſsimo Principi propter vtrumque beneficium; Illud autem ſe maius reputare quod ad laborem propter Deiparam obeundum, quàm ad Epiſcopatum eum elegerit, nihilque ſe preclariùs, aut honorificentiùs ducere, quam Cœlorum Reginæ, & Hiſpaniarum Regi inſeruire, præcipuè in digniſsimo hoc obſequio, cui ille totus ſemper affectu, & animo incubuit, & quod ſuo fermè iure ex Minoribus vni debebatur, quippe pro hoc Virginis elogio per integra ſæcula non parum deſudarunt, nec tepidè decertarunt.

Omnem

Omnem etiam spopondit se curam adhibiturũ, vt quamprimum à tanti sodalitij regimine absolueretur, statim se pararet, & accingeret ad opus. Addidit, se per semetipsum Regi ampliùs gratificaturum, & præsentem largiores gratias redditurum.

28 Vt prudens, cordatumque hoc Regis consilium insonuit in Curia, lateque per omnes Hispaniæ Regiones fama percrebuit, exultauit in gaudio totum vndique Regnum propter Virginis honorem, & quem tantopere optabat, splendorem. Plurimi etiam vndequaque & Regi de tanto ministro, & viro optimè merito de tanto gratulati sunt honore. Nostrum vbique fermè terrarum sodalitium sui capitis decore magnopere gaudens, suas adiecit laudes, hilaritatemque multis & manifestis prodidit indicijs, electus verò Episcopus non tam se Episcopum cogitauit, quam ex Minoribus vnum, nec tàm de futuro fastu, quàm de præsente suo statu, & fratrum curauit regimine. Imminebant comitia generalia in grauissima, & capacissima Salmanticæ Minorum æde celebranda, cui amplas expensas, & magnos sumptus hinc inde parabat, & prouidebat, interim sui fratris Illustrissimi Cardinalis curæ committens, vt pro se ad Regis votum in Episcopum Carthaginensem consecrando gratiæ, & litteræ obtinerentur, Pontificiæ. Illustrissimo etiam Scipioni Cardinali Burghesio Sanctissimi Domini Nepoti propter antiquam, & arctam cum eo necessitudinem in vrbe contractam, dum in ea Religionis nostræ res aliquot retro annis administraret, scripsit quanta in eum fuerit Regis liberalitas, & quanto pius Monarcha flagrauerit studio, de decidenda hac Controuersia, ad illamque flagitandam, & obtinendam se ab eodem Rege destinari in vrbem, illius exposcens in hac re consilium, & Sanctissimi Domini consensum. Cui officiosè responsum; duram ei incumbere, vel commendari prouinciam, nec velle aliud in hac re Sanctissimum Dominum statuere; licèt libentissimè annuerit eius in vrbem aduentui; se verò ei summopere gratulari de collato honore, & maximopere eius desiderare conspectum.

Multorum in hac electione gaudium.

Quid interim curauerit electus.

29 Congregatis per integrum Maium ex Minoribus grauioribus, & conscriptis Patribus Salmanticæ, adfuit & electus Episcopus, qui Capitulum, quod vocant, regeret. Adfuit & Illustrissimus Dominus Antonius Caietanus Apostolicus in Hispania Legatus, qui in Capitulo præsideret, & rebus pacificè dispositis, & optimè moderatis, omniũ ferme suffragijs in decedentis Episcopi seu Generalis

Dissoluit & absoluit comitia generalia Minorum.

C

ralis locum 4. nonas Iunij ann: 1618. Sufficitur Reuerendissimus Pater, Benignus à Genua optimè de Religione meritus, & cuius vitæ probitas, religiosæ disciplinæ zelus, & laudabilis in omnes æqualitas fælicem spondent Prælatum, & regiminis exitum.

30 Vt fæliciter absoluta sunt comitia, & tantam deposuit sarcinam tamquam ampli Ordinis regimen, sed non affectum, me pro veteri sua in me beneuolentia sibi adsciscens in socium, vt ei in illis, quæ litterarium studium exposcerent, adessem, MantuamCarpentanam, seu Madritum remeauit, vt iam liberiùs agenti, liberiùs liceret de nouo suscipiendo, & exequẽdo onere, & honore cum Rege tractare. Id factum per tres integros menses dum pontificiæ expectantur pro consecratione litteræ, quibus acceptis, cum magno magnorum heroum, & Curiæ procerum concursu in Regio, & Religioso Monialium, de quo supra præfati sumus, cœnobio 3. Idus Septembris Episcopalem ordinẽ suscepit, & infulam, non sine summa lætitia Serenissimæ Infantis Margaritæ, quæ se coram tantâ decorari vidit dignitate, quem illa in illud vsque tempus habuit Prælatum, & religiosâ venerata est humilitate.

Mantuæ consecratur Episcopus.

31 Iam sacratus Episcopus nihil amplius sibi vel expectandum, vel morandum duxit, sed pro Regijs votis, & suis, Virginis opus & longum iter aggrediendum. Vnde confestim insigne, & mundi illud miraculum, regium Sancti Laurentij Escuriaci siue del Escorial cœnobium, in quo tunc temporis Rex animi quieti, & Religioni vacabat, perrexit, vbi benignissimè, & honorificentissimè ab eodem, & Aulicis regijs receptus, fauorabiliter est dimissus iam priuilegijs, titulo, & honore extraordinarij Oratoris, quæ magni ducuntur apud Hispanos, duodecim etiam millibus aureorum, pro sumptuum subsidio, alijsque fauoribus donatus.

A Rege multis donatur fauoribus.

32 Hæc tanta tanti Regis in hominem collata beneficia impertitique honores multorum in eum intra & extra curiam stimularunt inuidiam, quæ *virtutis & gloriæ semper comes est, bonosque plerumque insectatur*, & vt ait Nanzianz. *Probum virum sequitur, æstrum impuri animi.* Quod semper feruet, & alienis honoribus veluti subiectis facibus fortius ebullit. *Malum* (inquit Cypr.) *iugiter permanens, & sine fine peccatum, quantoque ille cui inuidetur successu meliore profecerit; tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit.* Sed illi præ cæteris præstanti florentique fortunæ alterius inuident, *qui vel pares sunt, vel inferiores, se etenim relictos sentiunt, illum autem dolent euolasse.*

Multorum in eum concitant inuidiam.

Cicer. l. 4. ad Herennium.

Nanzian. in Eccles.

Cyprian. serm. de liuore.

Cicero 2. de Orat.

cendisse. Ex his insurrexerunt in virum per secretum murmur, & bellum, qui fæliciores desiderarunt præpedire successus, (quod inuidorum est commune) & ardentem illius contristare fortunam.

33 Sed immoto ille perstitit animo, nec calumniis perterritus, nec honoribus mutatus, in omnes benignus, in cunctos familiaris, nouum nouæ gloriæ non induxit supercilium, nec antiquam, aut religiosam deposuit modestiam. *Nec calumnia nec honore mutatur.*

Non tamen hic mutata quies, probitasve secundis *Stat. 5. 121*
Tumuit, tenor idem animo, moresque modesti
Fortunæ crescente manent.

Illud solum curauit, & summopere desiderauit quantocius à regijs ministris expediri, sibique tradi quæ tradenda erant scripta, & Legationi necessaria.

34 Hæc vt obtinuit, litterasq; habuit apud se omniũ Academiarum, Ecclesiarum, Prælatorum, Religionum, Regnorum & Ciuitatum Hispaniæ, in quibus a Sanctissimo Domino enixius orabant, vt hoc mysterium vellet aperire, Curiæ valedixit Kalendis Octobris vndeviginti a sua Consecratione diebus, & per suum Episcopatum recto transiens itinere, in eoque omnia cum magna sibi subiectorum fidelium acceptatione ordinate disponens, infirma aliquantulum valetudine, Carthaginem (ad oras maris Mediterranei sitam, a qua nomen accepit Episcopatus, & in qua solium Episcopale nuper fuit erectum, & vbi eum ex Regis præcepto expectabant triremes, in quibus transfretandum erat) appulit, ad Nouembris initium, marique se tradidit discrimini, dissuadentibus suæ Ecclesiæ Capitularibus, & ijs qui eum ad nauem deducebant, imo & ipso triremium præfecto, quippe quod illud periculosissimũ, & maximè tempestuosum erat anni tempus, in quo nemo audeat nauigare, & triremes vndique ad securi, & tranquilli portus asylum se solent recipere, & in quo verum sit illud Ouidianum. *Curiæ valedixit.* *Nauem conscendentem dissuadent multi.*

Nauita sollicitus tam ventos horret iniquos. *Ouid. 2. Amor. 11.*
Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.

35 Sed ille intrepidus in Dei feruens opere, omnia quæ obijciebant, pericula floccipendens, & pijssimæ Dei Genitricis se committens tutelæ, stellam maris, & nauigantium sydus tutamque patronam, ducem sui inuocans itineris, eiusque immaculatæ Conceptionis pro qua pugnaturus, & oraturus pergebat, effigiem suæ triremis puppi affigens. *Mari se tradidit discrimini.*

Seneca in Med. Act. 2.

[illegible] nunc [illegible]
[illegible]
Terrasque [illegible]
[illegible]
Dubioque [illegible] aequora [illegible],
Posuit [illegible] ligno
[illegible]
Numen [illegible]

Feliciter nauigat.

Et tam feliciter fluctus procellasque maris effugit, & periculosum nimis triremibus infestum, sinum Narbonensem alijs Lugdunensem per multarum horarum momenta, & sub 25. mentis Nouembris nocte, quam pro dira, & sibi infelici obseruant nautae, transfretauit, vt naucleri, vel triremiculatores, qui per mare illud Mediterraneum per viginti, & plures annos aequora [illegible] dissecantes cursitabant, iuramento affirmauerint tantam maris tranquillitatem, aerisque serenitatem sub inconstanti, & inclementi illo tempore plus sibi videri Virginis Mariae gratiae, quam syderum cursui tribuendam, nec se aliquando tam feliciter, tam prospere nauigasse. Ecquid mirum, aut fide indignum vt fluctus componeret, vel omnino tolleret, & marinos subigeret motus ijs, qui suae patrocinaturi erant causae? & quae maria planauit, & iter Patribus ad Concilium Ephesinum ex remotissimis confluentibus regionibus, benignè suos tutata tutores, si his etiam suae innocentiae fautoribus suo adesse voluerit patrocinio?

[illegible]

30 Tandem Idibus Decembris ad illum se applicuerunt portum triremes, qui, vt quibusdam placet, antiquitus dicebatur Centum cellas, modo Ciuitavecchia Italis nominatus, vbi nauale conscendentem Oratorem milites Pontificij Praesidij, & Turris Dux cum signo bombardarum, & tormentorum bellicorum fragore, & tubarum clangore S^{mi}. Domini, & Illustrissimi Cardinalis Burghesij nomine, salutarunt; & statim ab ipsismet Praefecti, & Aulici, [illegible] & domo exceperunt. Hinc sui aduentus Illustrissimum [illegible] fratrem per litteras admonuit, & [illegible] se recepit [illegible] in Castrum Braccianense excellentissimorum, & magnorum Ducum Vrsinorum, in quod iam aduenerant & Dux ipse D. Paulus Iordanus Vrsinus [illegible] Cardinalis de Vrsinis, Cardinalis de Trejo, multi Hispani, & Ital. Heroes, [illegible] Hispanorum

Et in castrum Braccianense.

Eccle-

Ecclesiæ viri de quibus ſupra, D. Mattheus Vaſquez, & Doctor Bernardus Taurinus ſiue Hiſpanice de Toro, qui præ cæteris Oratoris inhiabant aduentui, & poſt hos omnes, Illuſtriſsimus Cardinalis de Borja, qui ordinarij Regis Legati vice fungebatur, & cui pio ſuo munere, & generoſitate incumbebat ſolemnitatem præparare ſplendidioris in vrbem introitus; qui ferme omnes vndique officiosè, & curialitèr Oratoris incolumi, & proſpero aduentui congratulati, poſt tertium diem, ab illo lautiſsimè, & ſplendidiſsimè conuiuio excepti, eundem comitati Oratorem perrexere Romam per viginti millia paſſuum diſtantem. In itinere obuios habuit omnium ferme, Cardinalium, Principum & Heroum Hiſpanis adhærentum & eius aduentui gratulantium currus ſejugos quos de campagna, vel ſex equorum vocant Itali, quibus comitatus Romam honorificè ingreſſus ſtatim Sanctiſsimum Dominum viſit à quo perbenignè ſuſceptus, colloquium cum eo ſatis familiare habuit de Regis ſalute, & Hiſpanicarum rerum ſtatu, deque ſuo fælici itinere, eique officioſam & commendatitiam ſuæ perſonæ & negotij dedit Regis Epiſtolam, nihil tunc de ſua tractans Legatione. Salutatis etiam Domino Cardinali Burgheſio, & Salmonæ Principe Sanctiſsimi Domini Nepotibus ad fratris ædes ſe collegit, vt quamprimum de impoſito ſibi negotio agere valeret.

Eius aduentui gratulantur multi.

Honorificè vrbem ingreditur.

37 Noluit in longum rem protrahere, ſed ante quartum à ſuo aduentu diem 14. Kal. Ianuarias rem omnem, & Regis deſiderium Sanctiſsimo Domino expoſuit quod & iam ex eiuſdem Regis litteris (quas ſuprà diximus porrexiſſe, & quarum exemplar hic ſubnectimus) ſuæ Beatitudini conſtitit.

Legatus de hoc negotio agit apud Pontificem.

SANCTISSIME PATER.

Ita expedit quieti Chriſtianæ Reipublicæ, vt extinguantur ſcandala, quæ proueniunt ex diuerſitate ſentiendi circa myſterium puriſsimæ Conceptionis Dominæ noſtræ, vt omnino compellar ad deſtinandum Sanctitati Veſtræ extraordinarium meum ſuper hac re Oratorem Epiſcopum Carthaginenſem, vt in ea Curia aſsiſtat, & Veſtræ Beatitudini omnia circa hanc rem particularitèr repræſentet, ac iuſtas, vrgenteſque proponat, quæ extant, rationes, vt digneris huius Controuerſiæ deciſionem, tantopere neceſſariam, exhibere. Supplico S. V. vt integram ei adhibendo fidem in omnibus quæ meo nomine in hoc negotio dixerit, com-

Regis ad Pontificem epiſtola.

placeat illum benignè audire, & prædictam decidere controuersiam eâ breuitate, quam & res ipsa expostulat, & de sancto, & pio tuo zelo expectatur. Eum etiam honorare, & æstimare velit Vestra Beatitudo tanquam peculiarem meum Oratorem, & secundùm quod ipse propter multas, & præclaras animi dotes meretur. Ille Sm. Vram. plenè de omnibus informabit, eius proindè relationi, atque ijs, quæ Cardinalis Borja referet me remitto. Dominus noster sanctissimam personam Beatitudinis vestræ in bonum, & prosperum conseruet regimen suæ vniuersalis Ecclesiæ. Datæ apud S. Laurentium 24. Semtembris, anno 1618.

Propriâ manu hæc ipse REX *subiunxit verba.*

Non possum in hac re non esse importunus apud S. V. spero tamen tibi non futurum molestum in re tanti obsequij & Dei, & Sanctissimæ eius Genitricis.

Sanctitatis Vestræ deuotus admodum, & humilis filius D. PHILIPPVS *Dei gratia Rex Castellæ, Legionis, Aragoniæ, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Portugalliæ, Nauarræ, Indiarumque qui Sanctos admodum tuos Pedes, & manus exosculatur.*

REX

Ex mandato Domini nostri Regis

ANTONIVS DE AROSTIGVI

Secretarius.

Plurimas ei tradit litteras circa hanc rem.

38 Ipso etiam die capsam non mediocrem obtulit literarum Academiarum, Regnorum, Ciuitatum, Ecclesiarum, Præsulum, & Religionum suis fasciculis distinctarum. Quatuor fasciculis satis magnis continebantur litteræ Regnorum quæ sub Corona Aragoniæ reguntur.

Vno includebantur litteræ Regni Lusitaniæ. Altero Hispaniæ, vel Castellæ Regni in Comitijs congregati; Alio non exiguo, Archiepiscopi Toletani, Hispaniarum Primatis, omniumque Episcoporum sibi suffraganeorum.

Alij continebant, Archiepiscopi Compostellani, & suffraganeorum litteras.

Alij, Archiepiscopi Hispalensis, & suffraganeorum.

Alij, Archiepiscopi Granatensis, & suffraganeorum.

Alius

Alius habebat fasciculus, litteras Academiarum Hispaniæ; Salmanticensis, Complutensis, Vallisoletanæ, Toletanæ, Compostellanæ, Hispalensis, Granatensis, Siguntinæ, Oxomensis, &c.

Alius item, litteras Reuerendissimorũ Patrum Confessariorum Regis, & Principis Catholicorum, aliorumque Patrum Doctissimorum Ordinis Prædicatorij.

Alij erant tres fasciculi magni litterarum Præfectorum, & Prouinciarum omnium Religionum, vnâ dumtaxat exceptâ. Harum litterarum exempla otiosum, & molestum nimis esset apponere. Illud nosse sufficiat omnes ad eundem tetendisse finem, omnes idem à Sanctissimo Domino expetijsse, omnes ab eodem hoc solum rogasse, vt Controuersiam hanc dirimeret, quid etiam circa vtramque partem sentirent, adijcientes.

39 Has vt accepit litteras Sanctissimus Dominus, & petitionem Catholici Regis attentiùs, & affectuosiùs audiuit, laudauit valdè Regis pietatem, & commendauit vtique Regnorum, & fidelium in B. Virginem deuotionem. Se tamen dixit, tunc ampliùs nil posse in hac Controuersia præstare, præter id quod iam fecerat, & quod ab eo tunc postulatum est, & maturiori hanc rem considerationе indigere. Institit, quâ potuit modestiâ Orator, multas variasque protulit rationes, quibus ad profundiorem, & diuturniorem huius rei considerationem Sanctissimum prouocauit Antistitem, pluraque de scandalis, & tumultibus Hispaniæ retulit, quibus ad commiserationem, & remedium malorum, Pontificis animum flecti potuisse iudicauit. *Pontificis responsum.*

40 Hoc ipso die Illustrissimos Cardinales Burghesium, & Gallum Cardinalitij Collegij Decanum; & subsequentibus, Cardinales cæteros, Principes, & Principum Oratores pro Romanæ Curiæ consuetudine visitauit, vnicuique eorum Regis Catholici exponens desiderium, & vt in Virginis Mariæ obsequium, & fauorem suis votis, & animis vellent adesse, rogauit. Singulis porrexit Cardinalibus regias litteras huius rei commendatitias, quæ ad Oratorem, postquam Curiæ Madritensi valedixit, transmissæ sunt Murciam, dum res sui Episcopatus componeret, & disponeret, quarum exemplaria subnecto, obseruatâ potius in translatione proprietate & dispositione verborum Hispani idiomatis, quàm phrasi aut elegantiâ Latinâ; vnde non solùm ad sensum, sed ad verbum ferè omnes transcripsi.

Reuerendo admodum in Christo Patri Cardinali BVRGHESIO *meo valde charo, & dilecto Amico.*

41. D. Philippus Dei gratia Rex Castellæ, Legionis, Aragoniæ, &c. Reuerende admodum in Christo Pater Cardinalis, mihi chare & valde dilecte Amice; Episcopus Carthaginensis in illam proficiscitur Curiam, vt Oratoris mei extraordinarij fungatur munere, & m[illegible]t apud Sanctissimum Dominum, vt velit mysterium purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ aperire. Et licèt ego de hoc ipso scribam Suæ Beatitudini; idemque humilitèr, & ea quam rei grauitas exposcit, instantiâ, flagitem, Cardinalique de Borja commendem, vt meo nomine ille etiam omnia, quæ expedierint media adijciat, vt tollantur scandala, & incommoda, quæ ex diuersis his opinionibus oriuntur, & præcipuè illa, quæ nouissimè constat euenisse ex Decreto à sua Sanctitate promulgato, propterea quòd minus efficax sit remedium quàm sperabatur, & credibile sit, quòd dum sua Beatitudo benè perceperit iustas, efficacesque rationes, quæ offeruntur, & in promptu sunt, dignabitur nobis declarare hoc mysterium; nihilominus volui vt tibi etiam tua sit pars in causa tanti obsequij, & honoris Dei nostri, & Gloriosæ eiusdem Genitricis; & te affectuosius deprecari, sicut & deprecor, vt suæ Beatitudinis animum ad hoc disponas ea cura, & solicitudine, qua ego te hoc facturum confido, & sicut ipsius rei qualitas exigit, ad bonum & quietem Christianæ Reipubl. Omnia particularius intelliges per Cardinalem Borjam, & prædictum Episcopum, quem honorabis, & existimabis, quemadmodum per semetipsum, & multas, præclarasque animi dotes meretur, in quo mihi singulariter complacebis. Et sit, Reuerende admodum Cardinalis mi valde dilecte amice, Dominus noster in tui continua tutela, & protectione. Datum Madriti 9. Septembris, Anno 1618.

EGO REX.

Ex præcepto suæ Majestatis

ANTONIVS DE AROSTIGVI
Secretarius.

Exemplar

Exemplar Epistolæ eiusdem Regis ad Illustrissimum Cardinalem Gallum Sacri Cardinalium Collegij Decanum, ... [illegible]

47 D. Philippus Dei gratia Rex Castellæ, Legionis, Aragoniæ, vtriusque Siciliæ, &c. Reuerende admodum in Christo Pater Cardinalis, mihi valde chare & dilecte Amice. Dum Episcopum Carthaginensem in illam destino Curiam, vt mei Oratoris extraordinarij fungatur munere, & instet apud suam Sanctitatem circa declarandum mysterium purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ propter ipsius negotij grauitatem & momentum, & quia tantopere expedit quieti Christianæ Reipublicæ & concordiæ Religionum, & omnium fidelium ac Dei Genitricis deuotorum, qui hac opinionum contrarietate scandalizantur, volui etiam te affectuose rogare, sicut & rogo, vt causam hanc tibi commendatam habeas, & cures quantum ad te attinuerit eam dirigere ad desideratum finem. Præterquam enim quod ad ita faciendum obligeris ex ratione tuæ dignitatis, singulariter mihi in hoc complacebis. Et benigne exaudire, & magnopere honorare velis prænominatum Episcopum, ita etenim & illius persona, & multæ præclaræque dotes merentur. Et sit Reuerende admodum Cardinalis mi valde dilecte Amice Dominus noster in tua continua tutela, & protectione. Datæ Madriti 9. Octob. An. 1608.

EGO REX

Ex præcepto suæ Maiestatis

ANTONIVS DE AROSTEGVI

Secretarius.

Exemplar Epistolæ ad Illustrissimum Cardinalem de Borja, qui tunc Regij Oratoris Ordinarij vice fungebatur in Vrbe.

48 D. Philippus Dei gratia Rex Castellæ, Legionis, Aragoniæ, &c. Reuerende admodum in Christo Pater Cardinalis de Borja, & Velasco mihi chare, & valde dilecte Amice, Episcopum Carthaginensem (per quem hanc accipies Epistolam) in illam Curiam mitto ad obeundam Legationem extraordinariam apud Suam Beatitudinem, vt velit declarare myste-

mysterium purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ, & sic cessent scandala, quæ euenerunt in Populo Christiano ex opinionum diuersitate, & quæ vltimò agnita sunt per Decretum suæ Beatitudinis; cum non fuerit efficax illud remedium, quod à suo pio & sancto zelo sperabatur in re tanti momenti. Et quamuis probè norim quod perspectâ rei grauitate, & magnâ conuenientiâ, vt hoc declaretur mysterium, solicitè, & diligenter quantum in te fuerit adiuuabis Episcopum, vt suæ Beatitudini viuaciter repræsentet prementes vrgentesque rationes, vt hoc fiat (de quibus ille benè est instructus, & quas tibi refert cum ijs quæ offeruntur) tamen hoc tibi volui iniungere, sicut iniungo, quod ei assistas, & adsis, eumque adiuues in omnibus quæ expedierint, eo affectu, quem ego mihi de te promitto. Familiarius circa hæc cum eo communicato, & cum animaduerte de ijs quæ tibi videbuntur expedire vt fiant, eo tempore, & occasione, quibus hoc expediendum sit negotium. Omnia adiunge media, quæ fuerint necessaria, meo etiam nomine pete, a quibus expedient, ad bonam negotij directionem, vt similiter instent apud suam Sanctitatem, (est enim causa hæc omnibus communis) certiores eos reddens mihi valde placiturum, quod eorum quilibet per se, & quantum potuerit, adiuuet, & promoueat opus hoc tam sanctum in Dei obsequium, & bonum Christianæ Reipubl. Honora etiam, & existima valde ipsum Episcopum, sicut meretur propter suam virtutem, sapientiam, & laudabilem zelum, quo pergit ad hoc negotium peragendum. De his omnibus maximopere gaudebo. Ad suam Beatitudinem in Episcopi commendationem, & authoritatem litteras dedi, quarum exemplar hic tibi mitto. Et sit Reuerende in Christo Pater Cardinalis de Borja & Velasco mihi valde chare, & valde dilecte amice, Dominus noster in tui continua tutela, & protectione. Datum apud S. Laurentium 24. Septembris, Anno 1618.

EGO REX.

Ex præcepto suæ Majestatis

ANTONIVS DE AROSTIGVI

[illegible]

Exemplar

Exemplar peculiaris Epistolæ ad Illustrissimum Cardinalem de Trejo Illustrissimi Oratoris fratrem.

44. D. Philippus Dei gratia Rex Castellæ, &c. Reuerende admodum in Christo Pater Cardinalis, mihi valdè chare, & dilecte Amice. Quamuis iam perspectum habeas quot, quantæ, & quàm iustæ se offerant rationes, vt Sua Sanctitas velit, sicut desideratur, mysterium aperire purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ, & Episcopus Carthaginensis frater tuus (quem in illam mitto Curiam, vt pro me Legatione fungatur extraordinariâ, & vt hoc solum postulet) in particulari te de omnibus informabit: attamen has ad te volui dare litteras, vt magnopere tibi iniungam, sicut & iniungo, vt eum adiuues, & dirigas in hoc negotio ea solicitudine, & cura, quam rei grauitas expostulat, alliciendo, & disponendo suam Beatitudinem vt hoc mysterium declaret, ad hoc vt multa cessent inconuenientia, quæ sequuntur ex opinionum contrarietate, & præcipuè quæ nouissimè visa sunt post Decretum, quod Sua Beatitudo emisit, propterea quod non tàm efficax fuerit remedium, sicut sperabatur ex sancto, & pio suo zelo, & Reipubl. expediebat Christianæ. Ita ego Suæ Beatitudini scribo, hoc ab eo efficacitèr flagitans, sicut tibi tuus referet frater. Scripsi etiam Cardinali Borjæ, vt eum adiuuet ad efficacitèr, & solicitè meo nomine instandum in hoc, & similitèr cæteris Cardinalibus, sicut ipse percipies. Ad omnia, quæ pro tuo virili feceris, vt benè dirigatur, & breuitèr expediatur hoc negotium, magnopere gaudebo. Et sit Reuerende Cardinalis mi valde, & dilecte Amice Dominus noster in tui continua tutela, & protectione. Datum Madriti 9. Octob. An. 1618.

EGO REX.

Ex præcepto suæ Majestatis

ANTONIVS DE AROSTIGVI
Secretarius.

45 Exemplar Epistolæ ad Illustrissimos Cardinales de Ara cæli Prædicatorij Ordinis, & de Aquino, quibus specialitèr, & affectuosiùs duxit Rex scribendum. Pio enim suo timore verebatur, ne ille

ille propter innatum erga ſuam Religionem, & Religionis opinionem affectum, hic propter reuerentiam, & amorem Diui Thomæ ex cuius familia, vel progenie deſcenderat, huic definitioni, vel declarationi obſiſteret. Eadem erat ad vtrumque Epiſtola nominibus duntaxat mutatis.

46 D. Philippus Dei gratia Rex Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, &c. Reuerende in Chriſto Pater Cardinalis Aquine, mihi valde chare, & dilecte Amice. Quia tanti res eſt emolumenti vt Sua Sanctitas declaret (quod tantopere conuenit, & deſideratur) myſterium puriſsimæ Conceptionis Dominæ noſtræ ad quietem Chriſtianæ Reipubl. & concordiam Religionum, & pacem omnium fidelium, & deuotorum Dominæ noſtræ Dei genitricis, qui per contrarietatem opinionum ſcandalizantur, ex qua magna reſultant inconuenientia conſideratione digna, mitto in illam Curiam Epiſcopum Carthaginenſem, vt Legatione fungatur extraordinaria apud Suam Beatitudinem; & efficaciter ſuper hoc apud eam inſtet. Et quamuis ſim certus quod cum affectu, & promptitudine adiuuabis, vt dirigatur hoc opus ad bonum, qui intenditur finem, (ad hoc enim teneris propter tuam dignitatem, & plures, quæ in te concurrunt rationes.) Verumtamen volui te affectuoſius rogare (quod & facio) vt coneris pro tuo virili diſponere Suam Beatitudinem; vt declarationem hanc emittat ea breuitate, quam rei grauitas expoſtulat, & negotium hoc promoueas, & dirigas, ſicut de tuo bono zelo in cauſa, quæ tantopere in Dei, & glorioſæ Suæ Matris vergit obſequium, mihi promitto. Magna mihi erit in hoc complacentia, & quod circa hæc benignè audire velis prædictum Epiſcopum, qui plenè de negotio hoc eſt inſtructus, & eum magnopere honores ſecundùm quod meretur per ſemetipſum, & multas egregiaſque dotes. Et ſit Reuerende Cardinalis, mi valde & dilecte Amice, Dominus noſter in tui continua tutela, & protectione. Datum Madriti 9. Octobris, Anno 1618.

EGO REX

Ex præcepto ſuæ Majeſtatis

ANTONIVS DE AROSTIGVI

Secretarius.

Præter

47 Præter has litteras alias etiam dedit ad suos Proreges, & Ministros in Italia, ad Ducem Vrsaonem Regni Parthenopæi, id est, Neapolitani amplissimi, & ditissimi Proregem, ad D. Comitem de Castro Siciliensem Proregem, ad Ducem de Feria Mediolanen. status Gubernatorem; vt omnes sui status, & amplæ ditiones idem quod illorum Rex, & Hispaniarum Regna petebant, insimul postularent, & Oratori Regio in omnibus, quæ huic negotio expediendo expediebant promptissimè adessent. Vnum est exemplar ad omnes sub diuersis titulis, & formulis loquendi, parumper mutatum, quod hic subijcio.

REX.

45 Illustris Dux, noster cognate. Episcopum Carthaginensem Romam mitto, vt meus sit Orator extraordinarius, & instet apud D. Papam de declarando mysterio purissimæ Conceptionis Dominæ nostræ. Et quia ad meliorem directionem huius negotij conueniet, quod ex omnibus partibus contutetur, petendo hoc idem à Sua Sanctitate (causa namque est generalis, & quæ tantopere expedit quieti Christianæ Reipublicæ, & ad excusanda scandala, & inconuenientia, quæ sequuntur, vel oriuntur ex diuersis opinationibus, præcipuè quæ nuperrimè prodierunt ex Decreto Suæ Beatitudinis, quia non erat illud, quod sperabatur efficax remedium, de qua re Romam scribo quæ conueniunt) iniungo tibi magnopere, quod si tuo pro hoc negotio indiguerit auxilio, & assistentia, hæc ei in omnibus, quæ offerentur, & ille aduertet, exhibeas eo affectu, & cura, quæ rei grauitas expostulat. Familiarem etiam te exhibeto prædicto Episcopo quo tibi scribat quod fuerit circa hæc necessarium, & præcipuè eo tempore, quo negotium hoc fuerit perficiendum; in quo gratum mihi exhibebis obsequium. Datum apud S. Laurent. 24. Septembris, Anno 1618.

EGO REX.

Ex præcepto Suæ Majestatis

ANTONIVS DE AROSTIGVI

Secretarius.

49 Nec his contentus orthodoxus Princeps, voluit ſcire quid de hac ſua petitione ſentirent alij, & quo affectu myſterium hoc proſequerentur cætera Regna, & nationes. Quod ſi vnum erat omnium votum, voluit, vt omnes apud Sanctiſsimum Dominum intercederent, vnaq; eſſet omnium petitio, vt ita deſideratam Controuerſiæ deciſionem multiplicatis interceſſoribus largiretur. Scripſit itaque ad ſuos Legatos in Italia apud Genuen. & Venetos, in Germania apud Imperatotem, in Bohemia apud Ferdinandum Bohemorum Regem, In Gallia, apud Regem Chriſtianiſsimum, in Flandria apud Archiducem Albertum, vt Imperatoris, Regum, & Principum voluntates explorarent, & ſuas ab eis litteras expoſcerent, in quibus hoc idem à Sanctiſsimo Domino enixius obſecrarent. Exemplar dabo litterarum ad Legatum Germaniæ, his etenim concordant cæteræ, in nihilo ferme præter titulos, vel terminos loquelæ, diuerſæ.

Epiſtola Catholici Regis ad Illuſtrem, & Nobilem Virum Comitem de Oñate ſuum apud Imperatorem Oratorem.

REX.

50 COmes de Oñate mihi affinis & à Conſilijs & in Germania Orator. Epiſcopus Carthaginenſis Romam proficiſcitur, vt meus ſit ibidem Orator extraordinarius, & inſtet apud Sanctiſsimum Dominum de declarando myſterio puriſsimæ Conceptionis Dominæ noſtræ. Et quia ad bonam directionem huius negotij expediret, quod omnes Principes, & Reſpubl. Illud foueant, & adiuuent, idem à Sua Sanctitate petentes, eſt enim omnibus communis hæc cauſa, & tendens in quietem Chriſtianæ Reipubl. & ad excuſanda ſcandala, & inconuenientia, quæ oriuntur ex diuerſitate opinandi, & quæ nuper conſtiterunt ex Decreto, quod Sanctiſsimus Dominus edidit, quia non erat adeo efficax remedium (ſicut ſperabatur) Tibi iniungo, vt meo nomine eas adhibeas cum Imperatore diligentias, quæ conuenire videbuntur, vt ſtatim efficaciter in hac ipſa conformitate ſcribat Suæ Beatitudini & ſuo Legato in Vrbe præſcribat, vt Imperatoris nomine omnia ſemper apponat media, & præſtet officia quæ conuenerint, & in hoc cum prædicto concurrat Epiſcopo, vt familiaritèr, & liberè ei reuelet omnia huic rei neceſſaria, & tempus, & occa-

& occaſionem in quo media hæc ſint applicanda. Apud S. Laurent. 16. Septembris, 1618.

Ego REX

Ex præcepto ſuæ Majeſtatis

Ioannes de Ciriça

Secretarius.

Alia eiuſdem Catholici Regis Epiſtola ad eundem Comitem de Oñate.

Rex.

51 Comes de Oñate mihi affinis à Conſilijs, & in Germania Legate. Præter illa, quæ per alias litteras, hoc ipſo die datas, tibi præſcripſi vt agas apud Imperatorem, vt ſcriberet Suæ Sanctitati circa declarandum myſterium Conceptionis, ad quod Romam mitto extraordinarium meum Oratorem Epiſcopum Carthaginenſem, expediet etiam vt eiſdem vtaris diligentijs apud Regem Ferdinandum, & Archiducem Maximilianum, vt pro ſuo virili adiuuent etiam hoc noſtrum intentum, quibus poterunt vijs; cauſa etenim hæc eſt generalis, & quæ conducit quieti Chriſtianæ Reipubl. In hoc mihi te ſeruiturum agnoſce. Apud S. Laurentium 16. Septembris, 1618.

Ego REX

Ex præcepto Suæ Majeſtatis

Ioannes de Ciriça

Secretarius.

52 Poſtquam, quas ſupra poſuimus Catholici Regis litteras ijs, ad quos deſtinabantur, diſtribuit, & miſit Orator, æquum, & neceſſe duxit eundem de rerum ſtatu admonere, & quod ſuum fuerit cum Sanctiſsimo Domino colloquium referre. Per primum itaque curſorem ſequentes ſcripſit orthodoxo Principi litteras, in quibus ſuccinctè attingit plura, & potiora quæ ſupra retulimus, & rei ſtatum, & difficultatem enarrat.

Epiſtola Illuſtriſſimi Oratoris ad Catholicum Regem Philippum III.

DOMINE,

53 VT illam obirem Legationem, qua fungi apud Suam Sanctitatem Veſtra mihi præcepit Majeſtas, parumper ab infirmitate conualeſcens miniſtratis mihi ad mandatum Veſtræ Majeſtatis duabus ad transfretandum triremibus claſsis Hiſpaniæ, Carthagenâ ſolui. Genuæ ſub ſeptemdecim diebus, cum nauigauerim fælicisſimè, & cælo adeo ſereno vt Dei peculiari beneficio tanta videretur tribuenda aëris mariſque clementia in Suæ Sanctiſsimæ Genitricis obſequium, triremes applicui. Aliam, quæ ſola erat in Portu, ad Veſtræ Majeſtatis præceptum mihi præparauit Dux Turſis, & hinc ſoluens, ad Ciuitatem Veterem, curſus nautici terminum, perueni, abſoluto ſub integro menſe integro itinere. Romam perueni die Dominica, decima ſexta huius Menſis, ipſoque eodem die Sanctiſsimi Patris Pedes exoſculatus ſum. Pro magno duxit de V. M. vtriuſque Principis, & Infantum audire ſalute: ſed quia moris non eſt, nihil ei tunc de hoc negotio propoſui. Subſequenti tamen Mercurij die, ſolemni, quo ſolet, modo, Legatione functus ſum, proponens ſtatim in initio, obſequium, ſubiectionem, & obedientiam, quæ ſanctæ Sedi Romanæ Veſtra exhibet Majeſtas. Dixi etiam, quod ſub eiuſdem obedientiæ profeſsione V. M. me ad Suam Beatitudinem deſtinauit, vt repræſentem quanti fecerit vltimum Decretum, quod à Sua Sanctitate emanauit, in quo publicis interdixit actibus doctrinam contrariam, illi, quam tota fermè veneratur Eccleſia; & per quod Veſtra Majeſtas indubitanter ſperabat pacem, & quietem ſuis ſubditis conſequendam. Attamen cum modo experientia conſtiterit magnum, & latum adhuc patere oſtium grauioribus ſcandalis, & proinde ſe teneri iudicauerit V. M. ad nouiter inſtandum, & ſupplicitèr rogandum à Sua Beatitudine, vt omnem omnino aditum, præcludere velit his quæ modo graſſantur, & ijs, quæ prudentèr, & iuſtè timeri poſſunt in poſterum, per definitionem, & propoſitionem illius doctrinæ, in quam Veſtra Majeſtas omnium ſuorum Regnorum, Prælatorum, Academiarum, & vniuerſæ fermè Eccleſiæ pietas propendit.

Illam

Illam verò securè, & absque erroris periculo proponi posse fidelibus subiunxi, tum quod infallibiliter Summ. Pontif. definienti Spiritus sanctus intimè assistat, intellectum illuminet, nec eum errare permittat; tum quod negotium suo veluti iure hoc sibi vendicet, in eoque statu vigeat, vt absque vlla difficultate possit determinari, quippe aliud nullum in Ecclesia antequam definiretur meliorem, aut maiorem hac habuit dispositionem, vt Pontificis definitione decideretur. Commoda etiam, & emolumenta definitionis perstrinxi, auctum iri pietatem, & deuotionem in Virginem Sanctissimam, Deo, & Deiparæ maiorem accumulari gloriam, magnopere fideles consolandos, & exhilarandos; quod, etiam ægregiæ Tuæ Majestatis satisfieret pietati, sibi Sua Sanctitas nomen adquireret æternum, & demum hæreticos confunderet, qui temerè, & inuerecundè contrarium pro fidei articulo dogma statuerunt. Hanc etiam dixi Deum tribuisse mercedem, & præmium multis ægregijsque suis in Virginem obsequijs, dum occasionem ei præbebat omnium maximam, & honorem inæstimabilem eidem Deiparæ offerendi. Qua potui etiam efficacia significaui, quanto studio, & anxietate hanc percupiat V. M. definitionem, & Sanctissimo Domino ante oculos proposui quanta sit obligatio annuendi iustis votis, & pijs precibus tanti Regis, qui hoc nostro misero æuo firmissima est Ecclesiæ columna. De his largius protraxi sermonem, & largum contexui discursum, quem ne tædium V. M. pariam in aliud differo tempus, V. M[ti]. simul cum tractatibus, & opusculis in hac Legatione conficiendis, transmittendum. Omnia hæc attente, & benignè Sanctus Pater audiuit, & magnopere se laudare, & æstimare respondit V. M[tis]. pietatem, attamen difficilem videri rem hanc quam postulat, nec aliud modo sibi à Deo inspirari, nec à conscientia dictari præter illud, quod ante præceperat in Decreto, & pro parte Vestræ Majestatis tunc fuerat flagitatum. Ad hæc sub debita modestia quibusdam institi verbis, & postremò recedens adiunxi, spem mihi non minimam esse, quod Suæ S[tis]. animum Deus flecteret, & emolliret vt V. M. pio desiderio satisfaceret. In veritate, Domine, grauissimum est hoc negotium & ponderosissima petitio. Vt exaudiatur, & obtineatur quod in votis est, multâ opus est patientiâ, perseuerantiâ, & feruentibus Orationibus. Hæ vt fiant, oro vt iubeat V. M. in suis Regnis. Securè interim, & certo credat Vestra Ma-

jestas omnem hic adhibendam esse diligentiam possibilem, omnia applicanda media, quæ conuenire iudicabuntur, & omnes proponendas esse rationes efficaciores, vt V. M. pium suum consequatur desiderium, quod & facere, statim vt appuli, cœpi, dum Cardinales inuisi, & suas cuique litteras distribui. Præter quæ aliud hucusque nihil fieri licuit. Deus V. M. custodiat incolumem ad suæ Ecclesiæ bonum, & subditorum suorum splendorem. Romæ 23. Decembris, Anni 1618.

DOMINE

Humillimus Sacellanus V. Majestatis

FR. ANTONIVS A TREJO
Episcopus Carthaginensis.

54 Nihil amplius sub illo mense vel anno peragere potuit Orator, nec alias adhibere diligentias propter instantes Natiuitatis Domini festiuitates, nec tamen omnino cessauit ab opere, sed quia res hæc erat Theologica, & Theologicis peragenda principijs, validè studijs incumbens, me ad laboris partem vocauit, plures, & mage necessarios tractatus mihi præscribens componendos, quos suo ordine præfixis argumentis sequenti tradam Sectione. Sub hac priori, qua potui breuitate complexus sum, quæ ante iniunctum hoc munus Illustrissimo Oratori euenère, & quæ ille sub ann: 1618. suæ Legationi vtinam tam felicitèr quam sincerè, & prudenter, dedit initia.

Historiæ Legationis Philippi III. Ad Paulum V. Sectionis Primæ Finis.

LEGA-

LEGATIONIS PHILIPPI III. ET IV.

Hiſpaniarum, & Indiarum Glorioſiſsimorum Monarcharum

DE

Definienda Controuerſia IMMACVLATAE CONCEPTIONIS B. VIRG. MARIÆ,

SECTIO SECVNDA.

TRACTATVS II.



RANSACTIS ſolemnioribus his feſtiuitatibus, & Domini Epiphania, nouiter ſibi inſtandum iudicauit Orator; & ne fortaſſe, quas ſub menſe Decembri elapſi anni propoſuit Sanctiſſimo Domino Orationes, ei iam exciderint, & vt nouas adderet, cauſamque quæ Catholicum Regem vrgebat, vt poſt emiſſum Decretum, de vlteriori remedio inſtaret apud Suam Sanctitatem, ei ob oculos per atramentum, & chartam poneret, Orationem hanc ichethicam, ſiue ſupplicem, & totius rei narratiuam concinnandam curauit, quam, & ad Idus Ianuarias, vel circitèr in ſolemni Legationis functione, Suæ Beatitudini tradidit, breuiter verbo, & voce tenus ei omnem ſcripti medullam proponens. Ad initium numeros apponi voluit, ſub quibus veluti ſub breuiori compendio facilius, & abſque tædio Suæ Sanctitati tot tantiſque Vrbis, & Orbis negotijs circumſeptæ, videre, & comprehendere liceret, quod diffuſius in ipſa aduertitur Oratione.

ORATIO PRIMA Ἱκετικὰ

AD S.MVM D.NVM

PAVLVM PAPAM V.

Rationes, & motiua, quæ Catholicum Regem impulerunt vt per peculiarem Oratorem denuo instaret circa determinandam Controuersiam de intemeratæ Virginis immaculata Conceptione; & status totius causæ aperitur.

Summarium eorum, quæ supplici hac Oratione Sanctissimo Domino proponuntur.

1. Refertur, qua pietate Rex Catholicus postremum Sanctissimi Domini Decretum susceperit.

2. Duos in illo egregios fines considerauerunt cordati viri.

3. Quam sinistrè interpretati sint Decretum fautores opinionis affirmatiuæ.

4. Suggerebant æquè negatiuæ, ac suæ impositū fuisse in Decreto silentium.

5. Et in secretis confabulationibus ac M SS. sibi licere suam inculcare opinionem.

6. Ad suam etiam suggestionem emissum Decretum.

7. Post Decretum solicitius docebant opinionem affirmatiuam.

8. Nullus est, qui audeat aduersariorum excessus coercere.

9. In fautores opinionis negatiuæ acriter inuehuntur.

10. De his admonitus Rex Catholicus conuentum coëgit grauissimorum virorum.

11. Rem omnem proponit, & congregatorum Præsulum exposcit consilium.

12. Respondent, Regi nouiter esse instandum de vlteriori remedio.

13. Præscribunt, quæ debeantur Sanctissimo Domino exponi.

14. Instandum aiunt circa sciti Conceptionis pars formitatem.

15. Et de sedandis tumultibus, qui adhuc perdurant.

16. Nullum iudicant efficax remedium, præter diffinitionem.

17. Hanc instantissime petandam resoluunt.

18. Illorum acquiescit Rex Consilio.

19. Tria proponit Orator consideranda Sanctissimo Domino.

BEATISSIME PATER.

Decretum suæ Beatitudinis à Rege Catholico debita excipitur pietate.

1 EPISCOPVS Carthaginensis Majestatis Catholicæ apud tuam Beatitudinem Orator pro intemeratæ Virginis immaculata Conceptione, ea qua debet humilitate ac submissione ad pedes tuos prouolutus, & post humillima pedum oscula, obedientissimi filij tui Philippi tertij nomine exponit, sanctum, ac prudentissimum Decretum à sacra sanctæ Inquisitionis congregatione promulgatum, & à Tua Beatitudine confir-

confirmatum in Controuersia Conceptionis Beatæ Virg. Mariæ, hilari fronte, libenti animo, & promptissimo ad obediendum, debitaque deuotione, pietate & humilitate ab eodem Rege Catholico susceptum fuisse, dum sperauit futurum illud efficax remedium ad sedandos tumultus, & extinguenda scandala, quæ in Hispania grassabantur. Quod enim ex summa tua sapientia, singularique prouidentia emanauit, & à sanctissima intentione processit, indubitanter putauit non minoris futurum efficaciæ.

2 Idemque viri doctissimi crediderunt, qui duos, eosque egregios te in eodem habuisse fines ac motiua suspicabantur. Vnum, vt affirmatiua opinio cum honore sepeliretur, ne fautores illius exacerbarentur immodicè; Alterum vt dum careret Magistro, & Doctore, facile à fidelium memoria laberetur, & ita pia doctrina in omniũ reciperetur cordibus, plantaretur affectu; & alia à scholis, à Cathedris, ab vniuersa exularet Ecclesia; cuius ita præsentibus obuiaretur incommodis, vt futuræ præuenirentur discordiæ.

Duo in illo præclari fines considerantur.

3 Sed heu (proh dolor) vtroque statim fine nos vidimus frustratos; Aduersarij etenim quid intendebatur, præsenserunt; & ne illorum interiret opinio, nullum non mouerunt lapidem, & hunc præcipuè, vt populis persuaderent, tuum illis fauere decretum, piæ vero sententiæ fautoribus nequaquàm, sed affirmatiuam te laudasse, & approbasse. Quod ex eo comprobant, quia non solum eandem te ei tribuisse probabilitatem, quam ante decretum habuerat, sed multò maiorẽ affirmabant. Et addiderunt Pontificum neminem hucusque ei tantùm applausisse, quippe non fuit ex omnibus vnus, qui eam impugnari, aut falsam, imò & parum piam, dici, prohibuerit; quæ, & similia omnibus strictè in hoc interdicuntur decreto. Vnde Tuam Beatitudinem suæ opinionis fautorem, protectorem, ac patronum prædicare non cessabant, & te illam ab omnium calumnijs, aut impugnatione per tot tantasque censuras reddidisse securam.

Frustratur effectus ob aduersariorum actiones & interpretationes.

4 Vlterius suggerebant æquè piæ opinioni, ac affirmatiuæ impositum fuisse silentium; licet enim non expressè iubeatur sileri, tamen moralitèr impossibile putabant eam posse prædicari aut doceri, quin rationibus eius ostendatur probabilitas, & contrariæ probetur falsitas; quin huius declarentur fundamenta, illius eneruentur principia; quin huic tàm vetustos Patres, quàm Neotericos omnes adhæsisse Doctores, illam si quos habuit antiquos, eosque

Dicunt negatiuæ etiam imponi silentium.

non

non magni nominis, fautores, modo ab omnibus derelictam & destitutam esse dicatur; quæ omnia sub grauissimis pœnis Tua Beatitudo voluit interdicta. Quid? Quod neque illi prohibeantur suam sententiam in proprijs Conuentibus suos edocere discipulos, aut de ea disputationes aut scholasticas concertationes habere in suis monasterijs, dummodo magnus non intersit concursus populorum. Imò nec se prohiberi dicunt in nouis libris eam prælo mandare, neque aliter, imò minus licere fautoribus piæ sententiæ de sua agere vel disputare quàm illis de propria, contendebant. Nam etsi de hoc in decreto expressa non habeatur prohibitio, tamen vltra indirectam, per ipsos ibi prætensam, prohibitionem, affirmabant Tuam Beatitudinem ad illorum instantiam per suum Vicarium in Vrbe, præcepisse ne cui permitteretur in thesibus publicè asserere, quod Beata Virgo fuit concepta sine originali. Quod, tanquam si tale præcepisset Tua Beatitudo, Magistrum Sacri Palatij ita rigorose peragere in Vrbe audio, vt nec in aliquo nouo libro, neque thesibus illud permittat excudi.

Nec omnino interdici ne dicatur affirmatiua.

Multa sibi adhuc licere per decretum contendunt.

5 Præterea addebant sibi licere per hoc decretum particulares habere confabulationes, & priuatim apud omnes indiscriminatim de sua loqui & tractare opinione, manuscriptos codices per ciuitates ac populos disseminare, in ijsque rudes, & ignorantes docere suam doctrinam, quod se breui præstituros spondebant, populumque docturos ne vlterius scandalizetur. In quo non leuiter, licet inaniter, & infructuosè laborarunt; spe (vt dicebant) ducti, quod postquam suæ opinionis ignari illam perceperint, Tua Beatitudo, quæ contra illam edidit oracula vel decreta, indubiè reuocabit, & amplas in illorum fauorem pronunciabit sententias. Quod exinde confirmabant, quia Tua Beatitudo proprium non expedierit Diploma, aut ex motu proprio aliquid sanxierit, sed quicquid factum sit, hoc Congregationis tantum esse decretum, faciliter reuocabile; ideo concessum, vt Regis satisfieret instantiæ, & scandalum quantisper cessaret paruulorum.

Et pro eorum dictamine factum esse decretum.

6 Hæc & alia huiusmodi non solum in Hispaniæ prouincijs, sed & in Vrbe & passim per Italiam in suum fauorem spargunt quotidiè. Diuulgarunt etiam multa apud omnes, addideruntque pro eorum dictamine, & desiderio factum esse decretum, extractumque fuisse ex quodam Predicatoriæ Religionis statuto, facto sub grauissimo patre Generali Xauierre, postea Sanct. Rom. Eccles. Cardi-

Cardinali, cuius hæc est substantia. *Strictè prohibemus, ne quis audeat in publico prædicare, vel docere quod Beata Virgo fuit concepta in peccato originali propter scandalum fidelium.*

7 Hæc omnia permulti illorum quotidie, & solicitè per domos fidelium & suorum amicorum cursitantes, curabant hominibus persuadere, per quod supradictos fines à Tua Beatitudine intentos, vidimus omninò delusos. Etenim tantum abest vt illorum sepeliretur opinio, vt potius solicitius vndique persuaderetur, & doceretur, magno cum Christianorum scandalo, ita vt in magnam deuenerint desperationem immaculati conceptus sinceriores zelatores & cultores, putantes iam negotium hoc irremediabile, dum asseueranter dicerent aduersarij, Tuam Beatitudinem nihil penitus iam in hac materia facturam, & in nullo piæ sententiæ fauturam; imò alteri adhæsisse, eamque approbasse. Insuper videbant aduersarios in indignas prorupisse actiones, & noua & magna passim excitasse scandala, quorum aliqua in particulari memoriali fideliter Tuæ Beatitudinis præsentabo conspectui.

Solicitius post decretum docetur affirmatiua.

Puri Conceptus Virginis zelatores quasi desperant de remedio.

8 Grauius ferendum erat, quod nullum iam puræ Conceptionis zelatoribus relictum videbatur tantorum malorum remedium. Nec enim erat qui huiusmodi excessus aut scandala auderet, seu vellet cohibere vel punire. Si enim Tuæ Beatitudinis Nuncium & Apostolicum Legatum super his coërcendis requirebant (vt sæpius factum est ante, & post decreti promulgationem pro præteritorum, & præsentium varietate & grauitate malorum) incunctanter respondebat, recurrendum esse ad sanctæ Inquisitionis tribunal. Cum autem ad hoc recursum est, rem ad se non pertinere dicebat, nec decere per sua supplicia in illos animaduerti, eo quod non parua ei inuritur infamia, qui per sanctæ Inquisitionis ministros punitur; & in omnem familiam aut cognationem eius, redundat ignominia. Ordinarij verò locorum Prælati se nihil circa hæc audere fatebantur, quibusdam ducti timoribus, & exemplo Apostolici Nuncij & Inquisitorum.

Nullus est qui aduersariorum reprimat excessus.

9 Si verò aliqui suum erga piam opinionem affectum demonstrabant, aut eam quibuscunque fauoribus prosequebantur, apud aduersarios statim male audiebant, quorum vitæ & famæ in suis conuersationibus apud quoscunque detrahebant; & quod grauius est, ex ipsis suggestis & rostris non modicis eos conuicijs, & cauillosis aut palliatis iniurijs afficiebant, ac contra eos, qui suæ non adhære-

Acriter inuehuntur in negatiuæ fautores.

hærebant doctrinæ, irritatoria verba & inuectiua non pauca effundebant, vocantes eos ignaros, idiotas, ſimplices, ſtultos, & quamplurimis huiuſmodi ignominijs eos proſequentes, quorum multa, ſimul cum iniurijs illatis, in particularibus de his tractatibus omni ſuſpicione vacuis, largius tuæ Beatitudini referam.

Ad Regem plura post Decretum ſcandala deferuntur.

10 Qui vero Dei zelabant honorem, Virginis Deiparæ optabant ſplendorem, Eccleſiæ deſiderabant tranquillitatem, rituum ac ceremoniarum eiuſdem affectabant vniformitatem, & Tuæ Beatitudinis deſiderij conſecutionem, de his omnibus ex omni ciuitate & loco Catholicum admonuerunt Regem, & vt prouideri de maturo curare vellet remedio, inſtantiſsmimè rogauerunt. Ille autem ne temerè remedium aliquod adhibere videretur, congregari iuſsit conuentum grauiſsimorum virorum, ad quem vocauit Illuſtriſsimos Cardinalem Toletanum, & Cardinalem Zapata, Compoſtellanum Archiepiſcopum, Epiſcopum Conchenſem, Epiſcopum Vallisoletanum, Confeſſarium ſuum: duos itidem Prædicatores Regios, duos primarios duarum grauiſsimarum Academiarum Salmanticenſis & Complutenſis Theologiæ prælectores, & Prouincialem vnum ordinis Diui Franciſci, Abbatem etiam ædis D. Benedicti Matritenſis.

Congregas Cardinalium & Prælatorũ grauiſſimum conuentum.

Proponitur cõgregationi ſtatus negotij & Regis intentum.

11 His congregatis, propoſitum eſt hunc Regis fuiſſe animum, à Tua Sanctitate petere, vt vellet vltimam huic Controuerſiæ addere definitionem. Quod ſi hanc ſtatim non obtineret, rogare vt iubere dignaretur Tua Beatitudo pro ſcandalorum remedio, ne quis vllatenus auderet affirmatiuam opinionem publicè aut ſecretò docere, nec verbo aut ſcripto vllo modo de ea agere, & quod præciperetur vt omnes vndique fideles eodem nomine ac ſenſu, quibus ab Eccleſia celebratur, colerent feſtum Conceptionis Beatiſsimæ Virginis. Magna etenim fuit ſemper omnibus petra ſcandali, diuerſitas huius ſolemnitatis. Cum etiam in Decreto Pontificio vltimo ſolum prohibeatur publicè prædicari, aut doceri alteram opinionem, magnum videbatur patere oſtium ſcandalis & diſſentionibus, vt experientia compertum erat. Etenim in priuatis, & ſecretis colloquijs de ſua agebant opinione aduerſarij, ex quibus maiora & grauiora proueniunt ſcandala: tum quia liberius vtrimque altercantes loquuntur, & effrænatim ſuis ducuntur paſsionibus ad affirmandum vel negandum, quod pro ſuis viſum fuerit affectibus, ſine moderamine, & immodeſte, vno in alterum ſine teſte,

ſine

ſine iudice inuehente; tum quia ſæpius, & paſsim hæ offeruntur conuerſationes, non vna aut alterâ feſtiuitate, vel particularibus diebus (quos ſacratos & deſtinatos habent ad conciones & lectiones) ſed omni hora & tempore, frequenteſq; habent colloquutores & auditores, qui audita ſtatim alijs referunt & per vulgus ſpargunt. Hinc frequentiores diſſeminãt diſcordias, dum quod aliquibus dicitur cum illorum ſcandalo, omnibus communicatur cum magno totius reipublicæ diſcrimine. Varia ſic vndiq; orta ſunt inter eccleſiaſticos & ſæculares diſsidia, quorũ plurima eueniſſe poſt huius Decreti ſanctionem omnibus eſt manifeſtum. Quare iuſsit Rex vt prædicti Prælati ac Patres, quid in tantis moleſtijs faciendum erat, conſulerent, & de recurſu pro vlteriori remedio ad Tuam Beatitudinem, quid ſibi videretur, renuntiarent.

12 Illi maturè penſatis, quę pientiſsimus Rex propoſuerat, & conſideratis non leuiter tantis Regni & Eccleſiarum tumultibus, eóque plures naſci ex colloquio familiari, & ſecreto quàm publica lectione, & ſolemni prædicatione, quo plures ſunt confabulatores, & collocutores, quã magiſtri & prædicatores; & quo ſollicitius illi curant, quod per ipſos ſuppleatur, quicquid his per prohibitioné non licet; neceſſarium duxerunt ad Tuam Beatitudinem recurſum pro efficaciori tantorum malorum remedio, ad quod poſtulandum ſub conſcientiæ reatu Catholicum Regem teneri iudicarunt. *Patrum Congregatorum Conſilium.*

Hoc verò Tuæ Beatitudini nullatenus diſpliciturum collegerunt ex eo, quod in prudentiſsimis tuis litteris tam in prima Conſtitutione a te edita, innouando factas à tuis Prædeceſſoribus, quàm in vltimo Decreto fatearis, quod perſpicuum eſt, obligationem eſſe Paſtoralis officij obuiare ſcandalis, & diſcordijs fidelium; hanc quoque pro vnica, & ſpeciali ratione, Decreta hæc publicandi, ſtatim in eorum aſsignes initio. Hæc autem hoc tempeſtuoſo tempore nihil minor, aut infirmior eſt, quam ante Decretum; cum ex particularibus conuerſationibus maiores in dies naſcantur diſcordiæ, & eiuſdem ſpeciei, plura numero, grauiora qualitate, ſcandala ſuccreſcant. Quæ certè (vt illi rectè cenſuerunt) ad Regem attinet tibi referre, & opportunum ac efficaciſsimum pro ſuis ſubditis & Regnis deprecari remedium. Nec enim hæc te celare licet, namque (vt inquit Bernardus) *oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in Regno Dei.* Imò ſi illa ad ſe non referret Catholicus Rex, iuſtè ti- *Regi conuenit Regni ſui ſcandala Papæ referre.* Bernard. epiſt. 190 ad Innocentium.

E muerunt

muerunt Illustrissimi Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & Patres congregati Tuam Beatitudinem posse conqueri de Catholica Maiestate, & mirari quod in tantis Hispaniæ motibus & nouis scandalis sileret, & ad vestrum Apostolatum non recurreret. Imo veriti sunt ne vestra Sanctitas in Catholicum Regem iustè vsurparet verba illa, quæ Leo magnus in Flauianum intorsit. *Miramur fraternitatem tuam quicquid illud scandali fuerit*) quod scilicet paucis ante mensibus Constantinopoli acciderat) *nobis silere potuisse & non potius procurasse, vt primitus nos insinuatio magis tuæ relationis instrueret.*

Leo ad Flauian. Epist. 8.

Præscribũt Consules quæ sint sanctissimo Domino proponenda.

13 Omninò ergo necessarium iudicarunt, de his certiorem facere Tuam Beatitudinem; & insuper exponere magnum magnis patere aditum scandalis, & certam extrui viam tumultibus, dum prohibetur ne de affirmatiua opinione quisquam publicè verbum faciat. Quia moraliter impossibile est piam prædicari, & doceri à fundamentis, quin alterius sententiæ rationes eneruentur, ac probabilitas infirmetur, quod à Tua Beatitudine strictissimè ac sub grauibus pœnis interdicitur.

Vnde vnum vel alterum eligendum est; aut penitus ab hac opinione prædicandâ, & docendâ abstinere, quod æquum non est, nec auctoritati Ecclesiæ, nec tantæ Christianorũ deuotioni consentaneum: vel eam, quo decet ac solet modo, prædicare & docere. Sed imminet statim non contemnendũ periculum. Aduersarij etenim si prædicari aut doceri negatiuam, & impugnari affirmatiuam, aut de ea tractari audiuerint, statim accusationes formabunt, & Decreti pœnas in prędicatores exequi expostulabunt. Quod, quantę futurũ sit causa discordiæ, tumultus, imo & cruentarum rixarum inter vtriusque partis fautores, inter integras familias, & grauissimas communitates, nullus erit, qui non facilè præsentiat.

Monendam etiam Tuam Beatitudinem dixerunt, adhuc imminere scandalum, si contrariæ partis sectatores discipulos, qui ad ipsos confugiunt, in suis Conuentibus partem affirmatiuam doceant, & concertationes ac disputationes de illa habeant; quod sibi licere vel non esse prohibitum per Decretum, dummodo magnus populi concursus non intersit, (vt supra dixi) constanter affirmant. Quod scandalum adhuc erit intolerabilius, si in nouis libris suam sententiam prelo mandare audeant, quod etiam sibi non esse interdictum affirmare præsumunt; quasi actus ille non esset magis publicus, quam publicæ disputationes, lectiones vel conciones.

Consu-

14 Consulendā etiam dixerunt Tuam Beatitudinem circa ipsam festi Conceptionis celebrationem; an liceat in ea celebranda à sensu Eccl. Romanæ discrepare? In prima etenim ad Tuam Beatitudinē supplicatione hoc Rex Catholicus intendit, vt vnanimiter ab omnibus colerętur immaculata Conceptio V. Mariæ. Cum autem ad hanc, & cæteras Regis instantias, solum responderit Tua Beatitudo te prohibere, ne affirmatiuæ opinionis sectatores amplius in publicis concionibus aut lectionibus suam prædicēt vel doceant sententiam; dubium facescit, si facta hac prohibitione, liceat contrarijs publicè ac solemniter celebrare non Conceptionē, sed Sanctificationē Virginis à peccato? Quod si liceat, non parua erit occasio scandalorum populo Christiano, ac in Virginem deuotissimo, dum inter Missarum solemnia & fratrum psalmodiam, in magno populi concursu audit publicè profiteri, ac expressè ex illorū mente supponi, quod B. Virgo originale contraxerit peccatum, cuius contrarium piè, sanctè, ac purè vniuersaliter affirmat, & celebrat Ecclesia. Nec certè in hac parte futile ac sine fundamento erit hoc scandalū; nec est aut fuit paruulorum & indoctorum solum, sed & grauissimorū ac doctissimorum hominum, dum dubitant, nec illis constet, qua auctoritate aut cuius Pontificis licentia, hunc nouiter introduxerint ritum, aut discrimen celebrandæ Conceptionis, quum antiquitus, & ante paucos elapsos annos, sub eodem nomine cum Catholica Ecclesia, ac Romano Clero illam coluerint, vt planè ac apertè ex illorum antiquis constat Martyrologijs, Breuiarijs, & Missalibus; nunc autem, vt videre est in Missali ipsorum ad diem 8. Decembris in Kalendario, & in festo ipso, pro Conceptione apposuerunt Sanctificationem; de quo specialem offeram Tuæ Beatitudini tractatum. In hoc dubio & discrimine non parum aut leuiter certe doctissimi quique scandalizantur, & fideles à festi deuotione ac veneratione retrahuntur.

Consulendum Pontificem de festi celebratione.

Festi dissonitas magna parit scandala.

Recens est hac celebritatis dissonantia.

15 Præter omnia hæc etiam considerarunt illius congregationis Prelati, quanta, ac qualia fuerint scandala antiqua, quam sine fructu fuerint supplicia, quam inefficacia remedia, quoties intenta per Sixtum IV. tribus grauissimis pro hac sola materia editis Cōstitutionibus, quarum nulla sufficit, vt tumultus sedaretur; per Alexandrū VI. qui per alteram, quæ Sixtus statuit, confirmauit, ac insuper iudices, pro executione Apostolicarum litterarum, constituit; per Pium V. dum alias emiserit, in quibus non dissimilia à Sixtianis præcepit; per

Scandala adhuc grassantur.

Non potuerunt illa extinguere Pontifices.

Concil. Oecumenicum Trident. in confirmatione constitutionum Sixti; nec tamen aliquid horum sufficerat ad sedanda scandala & lites tollendas. Ita Tua Beatitudo expresse ait dum nouo Diplomate prædecessorum, & concilij Decreta reualidauit, & aliud insuper nouissimum, rigorosum satis, addidit Decretum. Quibus non obstantibus mala adhuc perdurant, illaq; nos, non sine magno nostro malo, quotidiè experimur. Nec Regum potestas, aut valida Principum manus, id potuit efficere, aut cooperari per horribiles minas, terrores, aut pœnas seuerissimas, præcipientes vt summorum Pontificum obseruarentur sanctiones, in veneratione haberentur Decreta, atq; Ecclesiasticæ haberetur ratio consuetudinis. Quid in hoc negotio laborarint Galliarum Reges, quid insudarint Aragonum, & Cataloniæ Principes, quid Nauarræ, quid Valentiæ, quid Maioricarum, & alij Reges Catholici? satis omnibus notum est, & desideratam adhuc in suis Regnis non sunt assecuti quietem.

Nec Reges Catholici.

16 Totale ergo ac vnicū congregati Præsules iudicarunt esse malorum remedium, vt quid in hac Controuersia tenendum esset, diffiniretur, quod & ipsos affirmatiuæ sententiæ patronos visum fuit desiderasse. Tantas etenim in illos molestias ac graues calumnias Controuersia hæc excitauit, vt honorabiliter illam finiri perciperent. Nullum autem honorabiliorem definitione putant præcipui inter illos in hoc casu exitum, seque libentissimè definitioni dicunt assensuros. Quare præter hanc, aliud quodcunq; iudicant cordati viri inefficax remedium, dum ad nullum aliud acquiescent aduersarij, & ad omnia quæ præter definitionem adhibebuntur, varias solutiones, & intricosas interpretationes adducent, Diffinitioni autē colla, tanquam veri, & obedientes Ecclesiæ filij, submittent, & quicquid proponetur alacriter, & facillimè amplectentur.

Nullum vidit aptū malorum remedium, nisi diffinitio.

17 His ergo & alijs rationibus ac motiuis non infirmis, graui trutina libratis, vnanimiter prædicti Prælati censuerunt æquum, & necessarium esse vt à Tua Beatitudine instantissimè peteretur, vt quid in hac re tenendum sit aperte & determinatim per diffinitiuam sententiam velit aperire, nullaque in re tanti momenti negligeretur solicitudo, quin omni efficacia & cura Tuæ Beatitudini repræsentaretur tam ampli Regni, tam Catholicæ ditionis necessitas, & periculorum instantium, & præteritorum scandalorum grauissimum pondus, quo tua ad subueniendum populo Christiano clementia facilius valeat inclinari.

Hanc resoluunt instanter petendam.

Horum

18 Horum maturo iudicio & prudenti tantorum virorum arbitrio acquiescens Rex pientissimus, & Regnorum suorum scandalis laborantium illectus necessitate, misit ad Tuæ Beatitudinis pedes me tibi deditissimum seruum, qui pro ipso instantissime flagitem, & qua possem submissione, humilitate, ac affectu deprecer, vt suis regnis ac populis, scandalis oppressis, ac seditionibus commotis, dignetur paternè compati, & hanc Regi & subditis gratiam præstare, Controuersiam hanc adeo ingratam, & exosam dissoluendo diffinire; quod Christianæ Reipublicæ, cuius hinc desiderata pax pendet, gratissimum futurum sperat, & spondet. Pacem namque, & Christianam tranquillitatem aliter consequendam non esse, ampla & veridica scandalorum informatio, quam Tuæ Beatitudini offeram, satis superque ac euidenter demonstrabit. Ex qua etiam apertè constabit, quam parum obseruauerint aduersarij vltimum Tuæ Beatitudinis Decretum, & quam facile pœnas, in illo contentas, contempserint.

Rex Catholicus illorum annuit Consilio.

Quid petit & desiderat apud Sanctiss. Dominum.

19 Ex his omnibus tria non leuiter Beatitudini Tuæ consideranda, inferre licet. Primum quantum distet ab executione, sapientissima dispositio tui vltimi Decreti, & quàm fraudetur vtroque illo fine à te intento; quorum etiam culpâ hæc accidant, innotescet. Alterum est, quod si Apostolica Decreta apud tales tantosque viros parui fiunt, quid erit inter simplices & rudes? quem illis honorem exhibebunt? Indocti Doctorum sequentur exempla & quod illi parui faciunt, hi facillimè contemnent. Vltimum tandem, & quod maximè mentem & animum tuum (Beatissime Pater) inclinare debet, est, consulendum certe esse Tuæ, & Ecclesiæ authoritati, quæ non contemnendum in hac re patitur detrimentum, dum in longum hæc protrahitur Controuersia, non sine quotidiano Apostolicarum litterarum contemptu, vt in alio memoriali clarius & diffusius monstrabo. Hæc humiliter precatur & rogat Catholicus Rex Philipus, vt Tua Beatitudo velit secum altius cogitare, & vltimam iam tandem manum huic rei apponere, Controuersiam hanc definiendo. Hoc sperat tanti Regis pietas obtinere. Dignus est, qui pro summo suo in Te & in Ecclesiam obsequio, exaudiatur à Tua Beatitudine quam Deus Opt. Max. per multos ac felices annos in Ecclesiæ splendorem, & fidelium commune gaudium & consolationem seruet incolumem.

Tria consideranda proponuntur.

Vt rationes has nouæ Regis instantiæ, & Controuersiæ dirimen-

dæ Sanctiſsimus Dominus ab Oratore, ſcripto accepit, & verbo, non improbare, ſe dixit Regis inſtantiam, nec pium condemnare in Virginem affectum, ſed quod Chriſtiani, & Cordati Regis eſt feciſſe: Pontifices tamen omnibus Regum, & Principum votis adeſſe non poſſe, præſertim in ijs, quæ non humanâ, ſed diuinâ terminantur ſententiâ, nec hominum iudicium, ſed Spiritus Sancti inſpirationem, & internum expoſcunt impulſum. Spiritus autem quando, & vbi vult ſpirat, ſecundùm ſuæ diuinæ diſpoſitionis, & prouidentiæ ſecretũ. Nec temere, inquit, licet homini his ſe ingerere, nec fidei declarandis præcipitanter intendere arcanis, ſed multâ & magnâ opus eſſe conſideratione, & matura deliberatione, vt aliquid ſtatuatur de fide, & præcipuè in hoc ipſo negotio, circa quod variæ fuerunt hominum ſententiæ, & grauiores inter ſe diſsidebant Doctores. Addidit, traditum ſibi ſcriptum, quando per tempus liceret, ſe lecturum, & rationes expenſurum; tumultus verò Hiſpaniæ componi poſſe, dummodo ſecundum Decreti ſtatuta, & licentiam animaduerteretur in tranſgreſſores, & Chriſtianæ pacis perturbatores. Non facile poſſe hos coërceri, nec in eos animaduerti reſpondit Orator propter rationes in oratione poſitas, quas humilitèr rogauit Sanctum Antiſtitem, vt dignaretur percurrere, & ſecum examinare. Ex quibus & cæteris, quæ offerebantur, fas erat colligere vlteriori indigere Hiſpaniam ſuorum tumultuum remedio. Per hæc fecit tunc finem dicendi, benignè dimiſſus à Sua Beatitudine.

Hoc ipſo tempore ſuperuenêre Sereniſsimorum Auſtriæ Archiducum eiuſdem voti & deſiderij litteræ quas Sanctiſsimo Domino noſtro ſolemni vt ſolet ritu detulit qui pijſsimorum horum principum res curat & cauſas agit in Curia: cui affabiliter & grauiter à Pontifice reſponſum magni eſſe apud ſe momenti pias ſanctorum Principum preces, tales tamen eſſe quibus ex tempore & ex abrupto non liceat ſubſcribi, nihil vero omittendum fore dixit in quo iuſte ijs poſsit ſatisfieri. Litterarum iſtud exemplar.

SANCTISSIME PATER.

Quæ Regis Catholici in Deiparam pietas impulit, vt à Sanctitate Veſtra litteris ſuis expeteret quatenus illa authoritatis ſuæ Decreto Conceptionis immaculatæ myſteriũ aſſerere dignaretur, eadem nos deuincti, Regis precibus noſtras quoque coniungere

partium

Partium nostrarum esse credidimus, quibus maximè in votis est tantæ Virginis cultoris desiderio intelligere Sanctitatem Vestram sententiæ suæ interpositione annuisse. cuius accelerationem si quæ vnquam tempora desiderarunt, præsentia certe sunt, in quibus quantum in deprimenda Virginis excellentia hæreticorum prauitas desudat, tantum in ea extollenda Orthodoxorum zelus debet eminere quorum deuotioni incredibile est quantum mysterij supradicti declaratione accedet. ergo dum illam pro tanti negotij pondere & paterno Sanctitatis Vestræ in nos affectu, vna cum Rege Catholico ardenter expectamus, Deum Opt. Max. rogabimus quatenus Sanctitatem Vestram Ecclesiæ regimini & solatio diu seruet incolumem. Furæ 6. Decembris, Anno 1618.

SANCTITATIS VESTRÆ &c.

Ad horum aliorumque Principum preces, suas sæpius addebat tam apud Pontificem, quam apud Illustrissimos Cardinales Regius orator, nihilque omittebat quod huic tanto bono promouendo conducere videretur. Sed dum hac solicitudine, & curâ ad Regis votum, & ordinem res has tractabat Orator, aliæque adhibebantur diligentiæ, secretum insurrexit in Catholicum Regem murmur, & insolens quorundã detractio, indigna, & grauiora impropèrantium. Iam sinister hic, sed secretus rumor incepit per quosdam in Hispania, dum ibidem grauissimos illos adhibuit Rex de hac re Consiliarios, totusque in hanc curam incubuit, omnemque apposuit, vt in suis Regnis pacificè, & tranquillè absque feralibus odijs, & dissidijs suam viuerent vitam Christiani, sed & maximè Ecclesiastici: Mussitatio hæc latius serpsit, & pluribus se communicauit, ita vt iam clarius suos proderet authores, & audactèr absq; timore, vel erubescentia essent qui dicerẽt plurimum sibi arrogasse Regem Catholicum, suas metas transilijsse, sæcularia spiritualibus immiscuisse, Ecclesiasticis se rebus ingerere attentasse, & tum demum grauissimam adiecerunt calumniam, & vocem, schismaticum hoc esse, vel schismatici more se Regem in his gessisse, vt vim inferre velit Pontifici, definitionem extorquere tanti mysterij, ac satis superque in hac re iam egisse Pontificem, nec vlterius debuisse Regem instare.

Tantæ in tantum & tam orthodoxum Principem calumniæ obueniendum iudicauit Orator, & temerarios ausus insolentesque

horum loquendi modos compeſcendos, vel refellendos voluit ſolidioribus, & manifeſtis rationibus, & ipſius facti notitiâ, per quam & maledicorum retunderetur obtrectatio, & cæteris ſana, & recta pateret Regis intentio, & quantâ prudentiâ, quantâque cum ſubmiſsione ad Eccleſiam & Eccleſiæ verticem ſe geſſerit in omnibus. Apologiam ergo, quæ ſequitur, grauioribus & ſincerioribus viris communicari, & ſpargi fecit in Vrbe, per quod factum eſt, vt parum æquum illud murmur paulatim ceſſarit.

Apologia pro Rege Catholico, & quod rectè, & catholicè ſe geſſerit in ijs, quas adhibuit diligentias pro definienda Controuerſia Conceptionis Virginis Mariæ.

Poſſe, imò debere, & teneri Hiſpaniæ Regem Philippum III Regni ſui tumultus circa Controuerſiam de Conceptione Virg. Mariæ exortos ſedare, Eccleſiaſticorum tollere diſcordias, & apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum PAVLVM *Papam V. de ſcandalorum agere remedio: Pontificum Decretis, orthodoxorum Conciliorum pondere, Sanctorum Patrum authoritate, vtriuſque iuris contextu, & tum demum firmiſſimis oſtenditur rationibus.*

Periculosè ſuperiorum negatur poteſtas.

1 NIhil vnquam Reipubl. pernicioſius, nihil populis periculoſius, nihil vndequaque grauius infert damnum, nihil plus affert detrimenti, quam legum inſcitia, circa ſupremas poteſtates ignorantia, & quid Præfecti, Reges, Monarchæ, in ſuis poſsint dominijs craſsè neſcire. Hinc ſæpenumerò populorum tumultus, hînc Ciuitatum diſcordiæ, hînc Regnorum diſsidia, nihil ſuo loco conſiſtit, nihil firmum, aut ſtabile, nihil in Republ. pacatum, omnia ſuſque deque aguntur, dùm quid Monarcha valeat, aut poſsit, ab indomitâ plebe, & ſeditioſo tumultu, aut penitùs neſcitur, aut malitioſè negatur. Quorum eo grauior ignorantia, quo grauius eſt, quod neſcitur. *Plurimum etenim intereſt* (vt ait Auguſt.) *in quantum, aut in quibus rebus erratur*, præſertim ſi res diuinæ ſunt, aut de iure controuertitur ſupremarũ poteſtatum; nam in his tam iniuſtè principibus negatur, quod poſſunt, quam impiè conceditur, quod non licet. Promiſcua etenim Eccleſiaſticæ & ſæcularis poteſtatum confuſio non parua intulit damna Eccleſiæ, non parùm

Aug. l. 2. de don. perſeu. cap. 21. tom. 7.

parum nocuit regnis, cruenta excitauit bella, & opulentas subuertit nationes: Dum enim alterutro foro, aut vtrilibet Principi ius suum denegatur, aut quid valeat, dubitatur; consilio, armis, bellorum strepitu, quid possit, ostendit, & ne proprium lædatur, aut aliquantulum minuatur, curat dominium. *Cauenda ergo in rebus grauioribus pessima mater ignorantia, cuius pessimæ itidem sunt duæ filiæ, falsitas, & dubietas; illa perniciosior, ista molestior.* Qui leges non scrutatur, Canones nescit, Apostolicas sanctiones non vidit, & regum potestatem ignorat, inscitiam suam facile prodens, falsò & periculosè, quod regum est, negat, vel temerè, & molestè, quæ certa sunt, dubijs inuoluit. Aug.

2 Cuius rei argumentum non obscurum, aut vetustum, sed patulum, & nouitium quosdam præbuisse sciolos in Hispania accepi, quorum inscitiam ad alios in Italia non ignoti nominis viros comperi transfusam. Propter calamitosos tumultus, varias discordias, non contemnendas lites, & innumera exorta scandala in Hispaniæ Regnis propter æmulatoriam, & contentiosam disceptationem quorundam contra Virginis Mariæ originalem Sanctitatem, & conceptus indemnitatem, animum applicuit Philippus III potentissimus in orbe Christiano Monarcha, ad pacem suis Regnis consequendam, & amotis seditionibus serenam tranquillitatem superinducendam. At quia inter ecclesiasticos & de ecclesiasticis lis erat, temerè, aut præcipitanter illorum se ingerere noluit discordijs, sed pientissimè, & catholicè ad Ecclesiæ accurrit fastigium, instantissimè à Summo Pontifice fidei magistro petens, vt velit tantæ calamitati obuenire. Nihil ipse in tanto Regni florentissimi discrimine & superimminenti periculo peregit, nihil Rex sua authoritate præcepit, nullum ex tantis, quæ potest, voluit adhibere remedium. Non rogauit, non iussit, Catholicorum more prædecessorum, regnorum suorũ Primates, & Archipræsules, vt Nationalia cogerent Concilia, in quibus statuerent quid circa hæc facienda essent in suis dominijs. Noluit, quod potuit, quæ Serenissimi Aragonum Reges in suis regnis ordinarunt circa hanc Controuersiam, ad alias suas ditiones extendere. Renuit, quod à multis inculcatum fuit, ab officijs, cathedris, & Regijs stipendijs excludere eos, qui aliter quam omnes, vel præcipuæ totius orbis Academiæ, & ipsa Ecclesia Vniuersalis docet, sentire constaret. Nihil horum effecit, nihil regiâ potestate intentauit, sed Ecclesiasticos tantùm adhibuit Consiliarios; doctissimos Prælatos, pijssimos Doctores consuluit, quid

Calumnia sciolorum quorundã in Regem Catholicum.

quid in tantâ diſcordiâ faciendum. Quorum idem cum ipſo Rege conſilium fuit, ad Summum Pontificem confugiendum, & firmiſſimè inſtandum, quod & fecit, vt tantæ cladis adhiberet remedium. Ita Religioſa Clementiſsimi Principis fides (quod in Theodoſio Iuniore magnus laudauit Leo) *hanc reuerentiam diuinis detulit inſtitutis, vt ad ſanctæ diſpoſitionis affectum, authoritatem Apoſtolicæ Sedis adhiberet, tanquam ab ipſo Beatiſſimo Petro totum cuperet declarari.* Hæc ſola, hæc vna tanti, & tam Catholici Regis in re tanti momenti ſolicitudo, hæc vna eius diligentia, vlterius nullatenus his ſe immiſcuit diſcordijs. Quid verò in tam recto Conſilio detractorum, & ſciolorum deprauatus affectus? quid prauè diſpoſitorum in tam inculpabili actione calumniare potuit inſcitia? Hoc ipſum, quod iuſtum erat, feciſſe. Non licere Regi Eccleſiaſticis ſe cauſis immiſcere, nec de ſpiritualibus aliqualiter agere, conſtanter affirmarunt, cuius regimen dicunt non immeritò ad negotia ſolùm extendi ſæcularia. Grauius aliquid addiderunt, & indigniori notâ, & Regem, & Regis factum affecerunt, magnum erga Hiſpaniæ Rempubl. zelum præferentes, illius condolentes exitio, Anglicani regni hinc prouenisse dicebant interitum, quod illius Reges, & Principes, Eccleſiæ vſurpare aut minuere voluerint dominium; nec modo aliter, aut æquius in hâc Controuerſiâ Regem feciſſe Catholicum. O rectos Iudices, ô præclaros Cenſores, ô bonos Hiſpaniæ Amicos, qui & Regi timent, & certum Regni deplorant exitium!

Leo Epiſtola 15. ad Synodũ Epheſinam.

Quam inique & iniuſte hæ calumniæ.

3 Sed timere deſinant, metum deponant, ob hoc non peribit Regnum, non hinc timenda ruina; Catholici, & pij Regis firmum manebit Imperium, in cuius manum dedit Deus tantorum iura Regnorum. Hæc pietate fouet, fide imbuit, Religioni Chriſtianæ ſubegit, tantum abeſt, vt ab illâ deficiat. *Pietate in Deum* (vt de ſe Theodoſius, & Valentinianus gloriati ſunt) *& ſubmiſſione ad Eccleſiam nihil* Hiſpaniæ Regibus *antiquius eſt.* Quando Sacerdotibus (vt de Pulcheriâ interrogauerat Leo) *quando Chriſtianæ religioni aut fidei defuerunt*, vt ita temerè, & facilè hi eorum timeant, aut prædicent inconſtantiam? Quid ſiniſtrum, quid minus rectum, aut pium, in eo, quem hoc noſtro æuo Fidei protectorem Deus conceſſit Eccleſiæ, quid contra Eccleſiam moliri viderunt, vt Eccleſiaſticæ iuriſdictionis eum dicant inuaſorem? Quando Pontificijs neceſsitatibus ope, armis, claſſe, ſubſidio defuit, vt de eius ergà Pontificem fide, & amicitiâ dubitent? Hi velut ægri frenetici pium accuſant

Theod. & Valen. in Epiſt. Cyrill. in Concil. Epheſ. Leo Epiſtola 21. in actis Concil. Chalced. par. 1.

cuſant Medicum, ſanam, & bonam reſpuunt medicinam. Indignum ſanè, & ſatis iniquum, vt tanti regis laudabile factum horum inſcitiâ, tam iniuſtâ notetur cenſurâ, & pientiſsimi, & Catholici Regis feruentiſsima fides, & inuiolata deuotio huiuſmodi calumnijs tam grauem ſubeat infamiam. Referam? ſed & dicam, quod de eiuſmodi ſuſurronibus, & detractoribus Bernardus ſcripſit ad Ludouicum Regem Francorum: *Sunt aliqui, qui Regem conturbant, & conturbare nituntur Eccleſias, ſua lucra ſectantes, quodque grauius eſt, Summi Pontificis, & Sereniſſimi Regis gratiam, & amorem, diabolico ſtudio dirumpere moliuntur. Abſit hoc; iudicium portabunt quicumque ſunt illi, & Rex ſemper faciet, quod bonus Rex, ſicut hactenus fecit.* Credite viri iudices, non mihi, ſed omnibus, imò ipſi experientiæ, & his quæ voſmetipſi oculis videtis, & rei veritate palpaſtis, nullum ex Regibus aut Monarchis tantum Summo Pontifici, aut eius Prædeceſſoribus obedijſſe, nec Eccleſiæ deſideraſſe, aut promouiſſe Dominium, quantum ſolus hic & votis, & factis ſemper obedierit, & Eccleſiaſticum dilatauerit, vel conſeruarit Imperium. Bernard. epiſt. 282 ad Ludouic.

4 Quæ ergo quorumdam audacia, vt in tantum Regem verba faciant? Quæ licentia, vt nimiam ſibi ſumere licentiam dicant moderatiſsimum Monarcham? imo quæ auctoritas, vt Principum maximum, qui tantos ſuo ſubdidit Imperio, ignaræ ſubijciát cenſuræ? *Plus certe* (Seneca teſte) *quàm regnare videtur, cui liceat cenſuram agere regnantium.* Vbi ſumma illa reuerentia, & fides debitæ Regibus, quas, omnia in vniuerſum iura, leges politicæ, ſanctiones Pontificiæ & Apoſtolicæ, & ratio ipſa expoſtulant? *Non alio animo* (Seneca) *Populus Rectorem ſuum intueri debet, quam ſi Dij immortales poteſtatem ſui viſendi faciant.* Magna & ſacra res eſt præfectura; *Magnorum fluminum capita veneramur, ſubita & ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet, coluntur aquarum calentium fontes, & ſtagna quædam, quæ vel opacitas, vel immenſa latitudo ſacrauit; ſi hominem videmus ex ſuperiore loco homines videntem, non ſubibit nos veneratio eius?* Hæccine horum in Regem veneratio? Hæc illa reuerentia, veluti Schiſmaticum, & Eccleſiaſtici iuris inuaſorem, ſacrum, iuſtum, & pientiſsimum prædicare Monarcham? Itàne facilè qui Chriſtianum defendit orbem, offendere licebit? Qui effrænem Paganorum, & Tartarorum rabiem fræno ſuæ potentiæ cohibet, & ab inuadendâ Catholicâ Eccleſiâ toties repulit, & quotidie retinet, nunquid ab eiuſdem Eccleſiæ filijs talia meretur opprobria? Quàm his diſsimilis Bernardus, quàm diuerſus eius

Quam au-dacia & irreuerentia. Seneca epiſt. 109 Idem I. de Clem. c. 19. Seneca Epiſt. 41.

Bernard. epist. 117

ſus eius erga Regem affectus? *Si totus inquit Orbis aduerſum me coniuraret, vt quippiam molirer aduerſus regiam Majeſtatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem.* Quid ergo de his dicam, malitiam accuſabo, an ignorantiam? ſi ex malitiâ ſe peccaſſe negauerint, facillimè iudicabitur ex craſsâ ignorantiâ tantam prodijſſe calumniam, quam vt facilè prodam, & è medio tollam, quid in hac re Summi Pontifices, Concilia Oecumenica, Patres Eccleſiæ ſentiant, quid legibus Canonicis, & Ciuilibus ſancitum ſit, quid ipſa etiam ratio expoſtulet, paulo fuſius, & clarius oſtendam.

Pontificum Decreta.

In Eccleſia. ſtatu diuerſa a Pontificiâ regum poteſtas.

5 ANte omnia obſeruatum volo amplam eſſe differentiam, & latum diſcrimen inter eum, qui tanquam ſupremus iudex, verus magiſter, ac præcipuus legiſlator leges fert Canonicas, dubia diſſoluit, ſtatuta Eccleſiaſtica condit, ſanctiones edit, communes Eccleſiæ mores inſtruit, malè ordinata reuocat, quæ bona præcipiat; ac inter eum qui leges obſeruari, in certis dubia amoueri, ſtatuta venerari, ſanctionibus obediri, ad Eccleſiæ normam, mores prauos componi, reuocata contemni, & præceptis Eccleſiæ omnem exhiberi reuerentiam ſolicitè curat, modeſtè, ac prudenter inuigilat. Illud Pontificis Summi, hoc Regis officium eſt Chriſtiani. Primum ad Pontificem pertinere communis eſt ipſorum Pontificum, & Conciliorum doctrina; ſecundum Regibus, ac Monarchis conuenire, ac proinde iuſtè, ac ſanctè feciſſe Hiſpaniæ Regem in ſui Regni, & Eccleſiæ pace procurandâ, multis volumus teſtibus comprobatum.

Ex Pontificû dect[...]na quæ ſe[...] regum Catholicâ oſtenditur. Bonifac. Epiſt. 1. quæ eſt ad Honor.

6 Primus, ſit inter Pontifices Bonifacius huius nominis Primus, qui Honorium Auguſtum affectuoſiſsimè rogat, vt Eccleſiæ velit ſtudere quieti. *Ipſa* (inquit) *Eccleſia deuotionem tuam Chriſtianiſſime Imperator meo quidem ſermone, ſed ſuo venerabili appellat affectu, quam Chriſtus Dominus noſter veſtri fidus rector & gubernator imperij, vt in deſponſatam ſibi, & intactam Virginem ſeruat, ne in eam aliquos patiamini procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempeſtatis inſolitæ tumore turbari, glorioſiſſime, & tranquilliſſime Imperator Auguſte.* Cui ſatis bene a ſe Eccleſiarum & Populi perturbationibus prouiſum eſſe, Imperator ſuis poſtea litteris reſpondit. Secundus, eſto Leo Pontifex huius nominis Primus ad

mus ad Leonem Imperatorem. *Cum* (ait) *Clementiam tuam Dominus tantâ Sacramenti sui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ sunt benè statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas.* Videndus idem Epist. 24. & 25. ad Theodos. 31. ad Pulcheriam, 42. ad Martianum & alijs plærisq; ad eosdem Imperatores. Tertius adsit Simplicius, qui sibi, & Ecclesiæ gratulatur de Zenonis Augusti curâ circa Ecclesiæ tranquillitatem. *Ego quidem* (inquit ad eundem) *litteris, quas Vestra Clementia destinauit, pignus immensum venerandæ religiositatis accipiens, & ingenti gratulatione respiro, & omnino non ambigo mentẽ vestram in rebus diuinis gesturam longè potiora, quam cupio.* Quartus, Anastas. II. ad Anastas. August. ita scribit. *Pectus Clementiæ vestræ sacrarum est publicæ felicitatis, vt per instantiam vestram, quam velut Vicarium Deus præsidere iussit in terris, Euangelicis, Apostolicisq; præceptis non durâ superbiâ resistatur, sed per obedientiã, quæ sunt salutifera, compleantur.* Quintus, Hormisda Papa ad Euphem. August. *Ecclesiarum* (inquit) *pax iam cælesti ordinatione componitur, cum vos ad Imperium elegit Deus, apud quos esse integrum semper religionis suæ cognouit affectũ.* Et inferiùs eam rogat, vt cum Imperatore agat, vt vterq; non sæculares, non milites, sed Episcopos inter se dissidẽtes reconciliare, ac ad pacem, & vnanimem sensum & consensum attrahere laboret; *Quia sanctum* (subnectit) *coniugij vestri constat esse propositũ, has fiducialiter ad vestram Clementiam litteras destinamus, vt per vos ad perficiendam Ecclesiæ pacem mariti vestri pietas ampliùs incitetur. Magnum opus arripuistis, magna vobis causa commissa est, per vos enim populos Christus vult reuocare ad Ecclesiæ fœdera, quos per se voluit à morte redimere. Magna etiam sexui vestro parata est laudis occasio, si vobis instantibus Ecclesiæ suæ Christus quæ diuisa fuerant, membra coniungat. Nec enim maior est gloria illius, quæ humanæ salutis lignum scrutata est, & sola crucem* (Helenam intellegit Constantini matrem) *quam omnis veneratur mundus, inuenit; superabitis quinimò illius merita, quia Ecclesiæ vnitas per illam suum meruit signum, per vos est habitura remedium.* Sextus, Gelasius Anastasium August. admonuit, eum non solum in rebus ludicris, & sæcularibus, sed etiam serijs, & diuinis sub conscientiæ reatu teneri esse vigilantissimum. *Taceo* (dicit) *quod pro rebus ludicris populares tumultus nunc etiam vestræ pietatis authoritas refrænarit, atque ideò multo magis pro salute animarum suarum necessariò vobis Constantinopolitanæ Ciuitatis obtemperat multitudo, si eam ad Apostolicam & Catholicam communionem, vos Principes reducatis. Etenim, Imperator Auguste, si*

Leo Epistol. 75. ad Leonem Augustum.

Simplic. Epist. fol. 7. ad medium.

Anast. Papa ep. ad Anast. August.

Hormisda Epist. 27.

Gelas. Epist. 10. ad Anast. August.

F *contra*

contra leges publicas aliquid, quod absit, quispiam fortasse tentaret, nullâ pati id ratione potuisset; ad Diuinitatis puram synceramque deuotionem, vt sibi plebs subdita redigatur, conscientiæ tuæ non putas interesse? Septimus, quare Regnũ terrestre Regibus cælitus confertur, satis pro re nostrâ dicit magnus Greg. Mauricio, *Ad hoc* (inquit) *potestas dominorum meorum pietati cælitùs data est super omnes homines, vt, qui bona appetunt, adiuuentur, vt Cælorum via largiùs pateat, vt terrestre Regnum cælesti Regno famuletur.* Ex tanti Pontificis sententia rogo pios bona appetentes, scil. Virg. Mariæ, atque exinde ipsius Dei honorem, Festorum pariformitatem, & populi ædificationem, non adiuuabit Philippus? vt cœlorum via latiùs pateat per plurimas, easq; maximas indulgentias, Fest. Conceptionis celebrantibus concessas, non permittendo illas irrideri, aut contradici, non procurabit? non famulabitur Ecclesiæ, eius tranquillitati insistendo? commoueri ac perturbari Regna permittet catholica? Legant etiam Gregorium Septimum epistola decimanona ad Rodulphum, & Agathonem epistola ad Constantinum 4. Innumera aliorum Pontificum testimonia sciens, & lubens prætereo, ne in infinitum abeam, sat citata nostrum confirmant intentum. Viderint hi nostri Censores si Rex noster Pontificiam vsurpat authoritatem, pro quo tanta Pontificia facit authoritas? Pontificem inuadit, quem tot defendant Pontifices? Non huius timenda Pontificibus inconstantia, non adeò instabilem censeant, qui ab Ecclesiâ recedat, qui Anglorum more Ecclesiam inuadat, aut à vero tramite aliquantulum deficiat.

Gregor. Epist. 61. Vide dus idem l. 9. Epist. 70. & l. 11. Epist. 44.

Concilia Oecumenica.

Idem probatur ex Concilijs.

7 ITa commune fuit, ac receptum semper in Ecclesiâ, Imperatores, ac Principes de pace stabiliendâ inter Ecclesiasticos, & Ecclesiæ discordijs sedandis adiutorio esse Pontificibus, vt pœnè nullum sit Concilium, in quo illi se in his diligentiam adhibuisse non testentur. & ob id à Pontificibus, & Patribus non laudentur. Quid in primo generali Niceno publicè ad omnes Episcopos dixerit Constantinus vndique Magnus, Tua Beatitudo
„ non grauetur audire. Ideo me Deo gratias agere debere fateor,
„ (inquit) quod mihi præter alia omnia largitus est, vt istud quod,

ferè

ferè omnibus bonis antecellit, nempe vos in vnum conuocatos, „ vnamque omnium, & consentientem esse voluntatem, oculis tan- „ dem aspiciam. Nolite igitur pati, vt vlla inuidiæ tempestas no- „ stris rebus prosperis inimica, illud bonum labefactet, neque cum „ tyrannorum inuidiæ dimicatio contra Deum suscepta, iam Dei „ virtute profligata sit, vt denuo perditus dæmon diuinam Christi „ disciplinam, & religionem maleuolorũ obtrectationibus laceran- „ dam obijciat, quandoquidem intestina seditio in Ecclesia Dei „ conflata multoplus molestiarum, & acerbitatum, quàm quoduis „ bellum, pugnaue videtur mihi in se complecti, atque hæc longè „ plus quam externa, doloris afferre videntur. *Infra.* Vt primum „ dissentio vestra ad aures meas præter omnem spem peruenit ru- „ morem illum de eâ allatum non planè neglexi, sed optans inpri- „ mis, vt huic rei meâ operâ, & sedulitate remedium inueniretur, „ omnes vos absque morâ accersiui. *Parum infra.* Itaque ne vlla sit „ (quæso) in vobis mora, ô charissimi, ac ministri, bonique famuli „ Dei, ne grauemini (inquam) deinceps causas dissentionis inter „ vos grassantis iam penitus tollere, primoque omnium operam de- „ tis, vt omnia vincula, quibus constricta tenetur controuersia, pa- „ cis legibus omnino dissoluantur. Sic enim estis & Deo omnium „ gubernatori rem gratam facturi, & mihi vestro Conseruo maxi- „ mum præstituri beneficium. Et in Epistolâ ad Ecclesias quæ re- „ fertur in eodem Concilio: Illud omnium maximè (inquit) mihi „ à Deo propositum putaui, vt in Sanctissima Ecclesiæ multitudine „ vna fides, sincera charitas, & consentiens erga Deum omnipoten- „ tem religionis cultus seruaretur. Cui Concilio se tanquam vnum è numero Episcoporum interfuisse ad hanc pacem conciliandam, ipse testatur in eadem Epistola, & aliâ ad Ecclesiam Alexandrinam, & alterâ ad Nicomediensem contra Eusebiũ, & Theognium. Quantum verò, & quam clarè Theodos. & Valentin. munus Regium de Republ. in pace conseruandâ, & Ecclesiâ tutelandâ declararint, satis constat ex grauissimis eorum litteris ad Cyrill. Alexandr. de cogendo Concil. Ephesino: Reipubl. (inquiunt) no- „ stræ constitutio, eâ, quæ in Deum est, pietate præcipuè nititur, mul- „ taque inter hanc, & illam cognatio, ac familiaritas intercedere so- „ let. Nam & ex se inuicem pendent, & vtraque prosperis alterius „ successibus incrementa sumit, quandoquidem, vt vera Religio „ iustâ actione perficitur, ita Respubl. vtriusque ope innixa florescit. „

Const. in orat. de pace ad Patres Conc. Nicen.

Idem in Epistol. ad Ecclesias.

Theod. & Valentin. ep. 2. ad Cyrill. Alex. & refertur in Conc. Ephes.

„ Cum itaq; Deus nobis habenas imperij tradiderit, ijsque qui impe-
„ rio nostro parent, pietatis, & securitatis quoddam quasi vinculum
„ nos esse voluerit, harum inter se societatem, partim quidem priua-
„ tâ nostrâ freti, partim quoque humano præsidio vsi, indiuulsam
„ perpetuò conseruari enixe contendimus, ad eumque modum pro-
„ mouendæ pietati propter Reipubl. salutem incumbimus, vt in om-
„ nibus ferè subditorum nostrorum commodo intenti, vnum hoc
„ perpetuo vrgeamus contendamusque sæculo, vt piè religioseque
„ priuatim viuant omnes, & vt pios decet in Republ. versentur vni-
„ uersi. Denique vtrique quam par est, curam impendere non desi-
„ stimus. Fieri enim vix potest, vt qui alteri seriò inuigilant, alterius
„ curam negligant. Ante omnia autem ad id operam damus, vt Ec-
„ clesiasticus status eiusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus
„ nostris quàm maximè congruat, idemque ex omnium concordia,
„ & consentione suam tranquillitatem obtineat; tum per Ecclesia-
„ sticarum controuersiarum pacem, à turbis, & seditionibus liber exi-
„ stat; tum demùm, vt pia religio ab omni omnino notâ, & repre-
„ hensione immunis perseueret, eorumque vita, qui vel inter clericos
„ censentur, vel magno quoq; inter illos Sacerdotio funguntur, omni
prorsus næuo, & culpâ vacet. Hæc præclari Imperatores satis clarè, & appositè ad nostrum intentum: & in aliâ Epistolâ ad ipsam Sy-

Iidem in epist. missâ ad Synod. per Candidianũ Comitem in princip.

„ nodum id ipsum clarius confirmant. Cum magnam (aiunt) om-
„ nium quæ in Republ. sunt, curam habeamus, tum verò maximam
„ illarum quæ ad pietatem religionemq; conseruandam pertinere ar-
„ bitramur. *Infra.* Non arbitramur pietatem vestram, vt alijs pacem
„ conciliet, alterius cuiuspiam extrinsecæ opis egere, nihilominus
„ ad nostrum erga religionem studium, singularemque prouiden-
„ tiam spectabat, & hanc quoque non negligere. Et in antygrapho interpretationis Decreti Theodosij Senioris scripti ad Isidorum Præfectum Prætoriorum, & Consulem, idem Regis officium de sacrâ tuendâ Religione non obscurius ostenditur. Anastasiæ etiam pietatem, & studium circa res Ecclesiasticas promouendas, & in pace disponendas laudauit Nanzianzenus coram Patribus Concilij Constantinopolitani, quam affirmauerat, do-

Greg. Nanz. in orat. ad Pat. Conc. Constant.

„ ctrinam fidei, quæ vsque ad illud tempus contemptui erat, excitasse. In Chalcedonensem laudarunt Episcopi Valentiniani & Martiani solertiam de compescendis Ecclesiarum tumultibus, vt constat ex illorum ad eosdem Epistola. Vos verò (in-

quiunt)

quiunt) Christianissimi diuinum suscipientes Decretum præ „ alijs omnibus competentem diligentiam adhibuistis Ecclesijs, „ Pontificibus, Concordiæ medicinam machinantes; Vndique „ enim nos congregantes omne commodastis auxilium, quate- „ nus & factæ interimantur discordiæ, & paternæ fidei doctrina ro- „ boretur: & in fine Epistolæ. Scimus quantam pacis Ecclesiasticæ „ geritis prouidentiam, experimento edocti. Ad quintam Synodum generalem, & Constantinopolitanam secundam, litteras dedit Iustinianus Imperator, ita incipientes. Studium nostrum fuit, & est, „ Sanctam Dei, & Apostolicam Ecclesiam à turbis securam custo „ dire. Constantinus Pogonatus dixit ad sextam, se fidei zelo conflagrantem studuisse, vt Ecclesiæ Dei pro sui Imperij temporibus in pacis ordine perseuerarent. Quid in septimâ Synodo cogendâ, & in ea circa imaginum cultus laborarint Constantinus & Irene satis patet ex historia ipsius Concilij, & ex illorum ad Adrianum Pontificem litteris; & Apologetico Taratij, postea Patriarchæ, in quo eos vocat immaculatæ fidei nostræ, & Christianorum custo- „ des, ac eorum, quæ in gloriam Dei fiunt, æmulatores. In octaua „ quantum Adrianus Basilij Imperatoris laudauerit rerum diuinarum, & pacis Ecclesiæ curam, his ad eum verbis constat. Tu fæ- „ lix Imperator, & multis præconijs dignus quasi verus ecclesiastes „ mox perceptis habenis Imperij, Ecclesiæ paci consulere, magis „ quam ad cæteras res humanas attendere procurasti; ac ferè alter „ quodammodo Salomon, id est, pacificus temporibus nostris „ apparuisti. Ipsius verò Concilij ad eundem Imperatorem, & filios eius Constantinum, & Leonem acclamationes, & gratiarum actiones qui legerit, quid de illorum pietate ac studio pacis, & Ecclesiæ profectus senserint, non sine admiratione perspiciet. Pæne omnia hoc testantur Concilia, pæne nullum est quod Regum, & Principum circa res Ecclesiasticas tuendas, fouendas, promouendas, ac stabiliendas negligentiam, si quæ erat, non expergefaciat, vel curam, & solicitudinem non laudet, & hoc eorum proprium esse opus non doceat. Quid verò tot Toletana, & quamplurima Hispana Concilia in hac re senserint, ne in propria causa domesticos testes adhibeam, referre supersedeo.

Conc. Chalcad. ad Imperatores actione 3.

Iustin. ad Synod. 5. gener.

Const. Pogon. in Synod. 6. act. 18.

Adria. epist. ad Basil. refer. in 8. Syn. actio. 1.

Patrum Authoritates.

Confirmatur Sanctorum Patrũ doctrina.

8 MAgiſtri noſtri, Eccleſiæ Sanctæ Doctores, quid in hac re tenendum ſit, adeo dilucidè proponunt, vt de eorum mente, nec de Regis æquitate, & iuſtitia in eo quod fecerit vllatenus poſsit dubitari. Primum & illuſtre proferet teſtimonium magnus Auguſtinus, qui ad Bonifacium Comitem militarem ex Cæſaris comitatu de hac ipſa re ſcribens, quorundam ſibi propoſuit obiectionem; non eſſe ſcilicet conueniendos in rebus eccleſiaſticis Imperatores, aut Principes, nec eorum implorandum auxilium, cum nullum ex Apoſtolis hoc feciſſe legamus, cui largiſsimè reſpondit. Legere, quæſo, non tædeat, ea quæ ex ipſo tam

Aug. Epiſt. 50. ante med. tom. 2.

,, ad rem noſtram clarè conducentia tranſcripſimus. Cum (inquit
,, ille) anguſtijs affligitur Eccleſia quiſquis exiſtimat omnia potius
,, ſuſtinenda, quam Dei auxilium, vt per Chriſtianos Imperatores
,, ferretur, fuiſſe poſcendum, parum attendit non bonam de hac ne-
,, gligentia reddi potuiſſe rationem. Quod enim dicunt, qui contra
,, ſuas impietates leges iuſtas conſtitui nolunt, non petijſſe à Regibus
,, terræ Apoſtolos talia; non conſiderant, aliud fuiſſe tunc tem-
,, pus, & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum
,, crediderat Imperator, qui ei, pro pietate contra impietatem le-
,, ges ferendo, ſeruiret, quando adhuc illud propheticum impleba-
,, tur. *Quare fremuerunt gentes*, &c. *Aſtiterunt Reges terræ & Princi-*
,, *pes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum*
,, *eius?* Nondum autem agebatur, quod paulo poſt in eodem Pſal-
,, mo dicitur. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram,*
,, *ſeruite Domino in timore*, &c. Quomodo ergo Reges ſeruirent Do-
,, mino in timore, niſi ea quæ contra iuſſa Domini fiunt, religiosâ
,, ſeueritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim ſeruit, quia
,, homo eſt, aliter etiam quia Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit vi-
,, uendo fideliter; quia vero etiam Rex eſt, ſeruit leges iuſta præci-
,, pientes, contraria prohibentes, conuenienti rigore ſanciendo. Sicut
,, ſeruiuit Ezechias lucos & templa Idolorum, & illa excelſa, quæ
,, contra præcepta Dei fuerunt conſtructa, deſtruendo. Sicut ſeruiuit
,, Ioſias talia, & ipſe faciendo. Sicut ſeruiuit Rex Niniuitarum vni-
,, uerſam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut
,, ſeruiuit Darius Idolum frangendum in poteſtatem Danielis dan-

Pſal. 2. num. 1. Ibidem nu. 10. 4. Reg. 18. 4. 4. Reg. 23. 4. Ion. 3. 6. Dan. 14. 21.

do; &

do; & inimicos eius Leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabucho- „ Dan. donosor omnes in Regno suo positos à blasphemando Deo, lege „ 3. 96. terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt Domino Reges, in „ quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non „ possunt facere nisi Reges. Cum itaque nondum Reges Domino „ seruirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditarentur inania „ aduersus Deum, & aduersus Christum eius, vt prophetarum præ- „ dicta omnia complerentur; non vtique possent impietates legibus „ prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, „ vt & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officiũ „ Deo facere, sicut prædixerat Christus, & gentes fremerent aduer- „ sus Christianos, & omnes patientia martyrum vinceret. Postea „ verò quam cæpit impleri, quod scriptum est, *Adorabunt eum om-* „ Psal. *nes Reges terræ*, &c. Quis mente sobrius regibus dicat, Nolite cu- „ 71. 11. rare in Regno vestro à quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Do- „ mini vestri; non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse „ siue religiosus, siue sacrilegus, quibus dici non potest: non ad vos „ pertineat in Regno vestro quis velit esse pudicus, quis impudicus? „ Hæc, & alia satis lectu digna ibidem August. Videndus etiam lib. 1. cont. epist. Parmen. à c. 8. vsque ad finem. Secundum adducet testimonium Gregorius Magnus, & cognomento Theologus ad Posthumianum, cui maiorem, quam Rex noster sibi sumpserit, circa res ecclesiasticas, tribuit facultatem. Quoniam (inquit) ma- „ Greg. Nanz. gna consequutus magnorum quoque factus es debitor, & Deus suo „ epist. 128. in beneficio, primum te nostræ Religionis esse fecit, postea etiam no- „ ter Epistolas bis præfecit, simulque absurdum fuerit abs tanto viro non magna „ Basilij. repetere, vt illud te admoneam, patere, videlicet vt nihil ita princi- „ patum tuum decere putes, vt sub te, ac per te, pacificentur Ecclesiæ, „ & si opus fuerit, acriter reprehendantur seditiosi. Eandem etiam „ concedit Saturnino Epistola 129. Cui tertius subscribit Basilius di- Basil. in c. 13. Isa. cens, reges ad pastorale regimen (tutelam scil. & pastoriciam defen- in illa sionem) eligi Ecclesiæ. Videndus etiam in Commentarijs ad prin- verba vox Recipium Prouerb. Sit mihi quartum firmum & expressum Isidori, gum, &c. Hispani viri, & Hispalen. Archiepiscopi testimonium, quod propter singularem eruditionem, & excellentiam Gratianus retulit in Isidor. Decretum 23. q. 5. Principes (inquit) sæculi nonnumquam intra „ de summo bono Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem pote- „ c. 53 statem disciplinam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potesta- „ & habetur 23. q. 5.

„ tes necessariæ non essent, nisi vt quod non præualet Sacerdos effi-
„ cere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ
„ terrorem. Sæpè per regnum terrenum cœleste regnum proficit, vt
„ qui intra Ecclesiam positi, contra fidem, & disciplinam Ecclesiæ
„ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam
„ Ecclesiæ humilitas exercere non præualet, ceruicibus superborum
„ potestas principalis imponat, & vt venerationem mereatur, virtu-
„ tem potestatis impertiat. Cognoscant Principes sæculi Deo debere
„ se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam
„ suscipiunt. Nam siue augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fide-
„ les Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum
„ potestati suam Ecclesiam credidit. hæc Isidorus. Quintum propo-
nat ex recentioribus vnus, multis antiquioribus non postponen-
dus vir religione, pietate, & fidei doctrinâ, & propugnatione con-
tra hæreticos satis vndique notus Franciscus Feuardentius, qui
Feuard. in c. 1. Esther. „ ideo conferri, ac constitui à Deo hominibus Principibus imperia
„ dicit & regna, vt subiectos sibi populos æquis legibus moderentur,
„ cultum Dei seruent, ac promoueant, terrori sint malè agentibus,
„ laudi verò innocentibus, vt docet Apostolus, *Gladium portat Magi-*
Rom. 13. „ *stratus in vindictam malorum, laudem verò bonorum.* Ad hæc tot gentes,
„ ac Prouincias vni homini subijcit, vt omnes publicâ tranquillitate
„ fruentes, faciliùs, & liberiùs verum Deum prædicatione Euangeli-
„ ca cognoscant, vereantur, & inuocent, Sacramentis ab eo institutis
„ ad remissionem peccatorum suorum vtantur, & sacrum fidei Ca-
„ tholicæ depositum ad posteros fideliter transmittant; sicque Deo
„ vero, & viuo subijciatur vniuersus orbis. Hanc enim ob rem cum
„ sublato Saule Dauid in Regem Israëlis eligeretur, dictum est ei à
2. Reg. 5. „ Domino: *Tu pasces populum meum Israël.* nimirum saluberrimo pu-
„ blicæ pacis, & legis diuinæ pabulo. Et in Psalm. 77. refertur: *Elegit*
„ *Dauid seruum suum,* &c. *Pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem*
„ *suam; & pauit eos in innocentia cordis sui,* &c. Promisit enim Dominus
Isa. 49. „ Ecclesiæ suæ: *Et erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ,* &c. Hæc
„ Feuardentius, & in cap. 9. eiusdem libri ad illa verba, *scripsit Mar-*
„ *docheus omnia hæc,* ait. Cum Reges, ac Magistratus Christiani
„ non solum custodes, ac defensores sint religionis Christianæ, ve-
„ rumetiam primum, ac potissimum locum inter Christianos lai-
„ cos teneant, multa sancta vtiliaque possunt Pastoribus Ecclesiæ
„ suadere, eosdem de officio monere, simulque eisdem adesse, vt quæ
commu-

communi consilio statuerint, fixa, firmaque maneant, & à subdi- „
tis sibi populis sanctè, constanterque seruentur. Hucvsque Gallus „
hæresiomastix. Quod argumentum alius non infirmior fidei pu-
gil, & Christianæ veritatis validus defensor Illustrissimus Cardina- Belarm.
lis Belarminus prosequitur latius, & accuratius probat, l. 3. de laicis
c. 13. cui titulus. licere Christiano magistratui gladio punire pertur- „
batores Reipubl. aut publicæ quietis. Cohæretque alius Societatis „
IESV non obscura propago Franciscus Suarez. l. 3. aduersus erro- „ Suarez.
res sectæ Anglicanæ c. 25. n. 10. & 11. ubi ait. Pertinere ad Reges in- „
tra ordinem suum, & modo sibi accomodato abusus tollere, & cor- „
ruptelas sui Regni purgare, quæ sunt & contra naturalē iustitiam, „
& ciuiles leges iustas, vel contra pacem Reipubl. & si sint in mate- „
ria religionis, si constat esse abusus, & corruptelas etiam ad Reges „
pertinet huiusmodi abusus tollere, vel pœnis in sibi subditos, & „
coërcitione vtendo, vel etiam solicitè procurando, vt Ecclesiastici „
Pastores simul in hoc suam operam adhibeant, vel denique forti „
brachio suo occasiones prauarum consuetudinum tollendo. His „
coronidem imponat Angelicus Doctor qui l. 1. de reg. princ. ait, ad
Regis pertinere curam, vt populus in pace viuat, & procurare vitam „ D.Thomas l. 1
populi bonam, secundùm quod congruit ad cœlestem beatitudi- „ de reg.
nem consequendam. Multi sunt in hac sententia Patres, argumen- „ princ. c. vlt.
tumque latissimè prosequuntur: ex recentioribus Doctoribus
videndi citati, & Ioan. Azorius tom. 2. Instit. moral. lib. 11. c. 6. de
Regum vitijs. §. antepen. penul. & vltimo; ex scholasticis Aegid.
Columna Rom. tribus libris de reg. princ. præcipuè l. 3. c. 8.

Vtriusque Iuris contextus.

9 REgem ad factum teneri, vel vlteriores ab eodem adhi-
bendas fuisse in hac re diligentias, ita clarum est in sacris, *Ex vtroque Iure comprobatur.*
ac ciuilibus legibus ex communi Doctorum interpreta-
tione, vt superfluum quis iudicare posit hoc ex eisdem comproba-
ri. Attamen vt qui eas ignorant, manifestius suam aduertant in-
scitiam, quæ, & quantæ sint Pontificiæ, ac Imperatoriæ sanctiones,
quæ facto faueant, & regem ad pacem suæ Reipubl. procurandam
adstringant, ex multiplici capite, percipiant. Regis pacifici cœle-
stis, Vicarius est in temporalibus in suo Imperio Imperator, vel Rex
terrestris, vt in l. 2. in fine tit. 3. par. 2. piè declaratur, & expressè
docuit

docuit Anastasius Papa epist. ad Anastasium Augustum supra relatâ in Pontificum Decretis, ad quem ex citata lege pertinet, quæ sua sunt imperij pacificè, & rectè disponere, & præstare, vt sicut vnus est Regum, & populi Rex Deus immortalis, ita in suo domino circa res fidei, & religionis sit vna anima, & cor vnum in tranquillitate, & mansuetudine pacis; quod latè prosequitur, & probat ex illo Pauli ad Ephes. 4. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, Iacobus Valdesius suo illo lib. de dignitate Regum Hispaniæ c. 10. Azor. to. 2. Instit. moral. l. 11. c. 6. §. penul. & alij. Quare & Reipubl. & pacis perturbatores coërcere, & refrænare abusus, quos tales esse constat, tollere tumultus, & corruptelas ad ipsum pertinet, etiam in materia religionis, vt doctè probant Suarez & Azor: citati: tum quia hæc sunt contra bonum commune ciuitatis, vel Reipubl. cuius ille in ciuilibus est caput, & Clerici, ac Regulares ciues sunt & quasi membra in ordine ad bonum commune, & publicum totius communitatis, qui licet sint exempti à potestate Regis, non tamen simpliciter, & absolutè, vt communiter tenent Iuristæ, communemque esse opinionem testantur Prosper Farinac. tit. de Inquisit. q. 8. n. 30. Vincent. de Franch. Decis. 9. n. 5. Franc. Marcus Decis. 456. n. 9. parte prima, Surd. cons. 1. n. 7. vol. 3. & alij. Vnde dixit Nauar. in suo Manua. c. 23. n. 88. ad med. quod licet Clerici ita sint exempti à Iurisdictione Regis ac exteri, tamé quoad aliqua hoc intelligendum esse, non quoad omnia. Idemque sentit Soto in 4. d. 25. q. 2. concl. 4. Mol. to. 1. de Iustitia & Iure disp. 31. concl. 6. Illustriss. Bellarm. de Cler. c. 28. vers. 2. propositio. Couar. in regula possessor. 2. par. §. 4. num. 9. Chagueranus in Decis. 68. n. 6. & alij. Tum quia huiusmodi abusus contra bonum Reipubl. aut tumultus tollere, non sunt solùm, & propriè iurisdictionis Ecclesiasticæ, & spiritualis, sed vtriusque fori, quia ad finem vtriusque potestatis conducunt, vt docet Suarez l. 4. de Leg. c. 11. Demum, vel ex eo maximè, quia ad executionem legum, vel sanctionum Pontificum, solet esse necessaria potentia Regum, propter quam dicitur, ad eos pertinere defensionem religionis, & Ecclesiæ, vt latè probat Illustriss. Bellar. l. 3. de Laicis c. 19. & expresse habetur l. 1. tit. 3. l. 1. Recopil. & probatur in c. Duo ista 23. q. 4. c. Quod sicut, de electione c. Solitæ de maior. & obed. in fine & l. fin. C. de sum. trin. & fide cath. & in auth. Quomodo oporteat collat. 1. vbi dicitur regiam potestatem ad hoc inter cætera esse institutam, vt Sanctorum Pa-

trum

trum Decreta saluberrima executioni demandari faciat, & inuiolabiliter obseruari, vt etiam cit. Bellarm. c. 18. & habetur expressè C. Administratores 23.q.5. d. 96. C. fin. Boni Principis & C. Christianis 2.q.1.C. si quis, Glos. ibi verbo *Præceptione regia* d.8. C. De rebus 12. q.2. d.63. C. Salonitanæ eamque suorum Decretorum constituit protectricem, ac defensatricem Conc. Trident. c. 20. Sess.25. ibi. *Propterea admonet Imperatorem, Reges, &c.* propter quod Philippus II. verè Catholicus, lege latâ Madriti mense Iulij ann. *1564.* vt videre est in lib. Conc. Tridentini edito eo anno Salamanticæ, & refert Bouadil. in sua Polit. l. 2. c. 18. n. 194. præcepit, vt omnes Episcopi, ac Prælati illud reciperent in suis districtibus, populo publicari ac ab omnibus obseruari curarent, & Prætoribus, ac Magistratibus imperauit, vt illius executioni in omnibus fauerent. Vnde ad Ecclesiam muniendam, stabiliendam, & pacificandam multiplicem habent Reges intra eandem, Potestatem, vt aduertit, & explicat Glos. ad C. Principes sæculi 23. q. 5. cuius textum ex Isidoro supra retulimus inter Sanctorum authoritates, & C. Res autem, & C. Regum officium, C. Liguribus ibi, C. Filijs, & ibi Glos. verbo *Regis* 16.q.7. Glos. in C. Tua in 1. de Decimis, C. Vt famæ de sent. excommun. C. Ad abolendam de hæreticis. Aufre. de potest. sæcul. super Eccles. perso. reg. 1. n. 11. vers. 3. Fallit. Bern. Laurent. in eod. tract. n.8. Palac. Rub. in C. Per vestras §.44. Notab.1. Bellu. in specu. Princ. rubr.11. §. videndum n. 17. Decia. in tract. Crim. to.1. lib.4. c.9.n.8. & alij plures, quibus subscribit Bouad. citatus, idemque tenent Bellamer. Achid. Barbat. & Turrecrem. in C. Administratores 23.q.5. vbi Anathemati subijciuntur Magistratus sæculares, qui ab Episcopis, & Ecclesiasticis viris conuenti, & secundo vel tertio ab eisdē admoniti, illorū querimonias attentius non audiant, & secundùm quod necessitas expetierit, absq; negligentia non examinent, & diligenti studio malefacta non corrigant; quæ si negligant, ait ibidem Turrecr. quasi infideles culpantur; quibus applicat illud Isa.1. *Principes tui infideles, &c.* & cum tex. dicat eos admonitos debere Ecclesiam tutelari, & oppressis subuenire, addit ille, *etiam si non essent moniti, ex suo officio hoc facere tenentur.* quod probat ex l. Præses & l. Congruit penul. ff. de Offic. Præsid. & certè iustum erat, imò & necesse Reges ad ista & his similia potestatem habere, quia vt habetur in C. Intelleximus, de noui operis enunciatione, & C. Res autem 23. q.5. quod ex Leonis Epist. 29. ad Pulcheriam desumptum est; *Res humanæ*

manæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad Diuinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat authoritas. Præsertim cum Romanus Pontifex cum cæteris Prælatis, ac Clericis, & Reges cum Laicis non efficiant duas Respubl. sed vnam. 1. vnam Sanctam Ecclesiam Vniuersalem. Ita Paul. Rom. 12. & 1. Corint. 12. & C. Solitæ de maior. & obed. §. Præterea nosse, Illustr. Card. Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. c. 7. post princ. nec similiter in vno Regno Prælati, & Clerici illius, ex vna parte, & Rex cum Laicis ex alia efficiunt duo Regna, vel Respubl. vt docet Cæual. to. 4. opin. commun. q. 899. num. 140. sed vnam tantùm cuius caput in spiritualibus, & in temporalibus in ordine ad spiritualia est Rom. Pontifex, & in temporalibus Rex. Vnde in eadem Republ. de qua vtriusque interest, debet vnus ab altero adiuuari C. Conuenior ad fin. 23. q. 8. ibi, *Bonus Imperator quærit auxiliũ, ac Ecclesia non refutat*, C. Cum ad verum, d. 96. D. Aug. 5. de Ciuitat. c. 14. Petrus Gregor. Sintag. Iuris 1. p. l. 3. c. 8. num. 3. Bouad. cit. num. 296. *nam inter vtramque potentiam* (vt dixerunt Theodos. & Valent. supra relati in Decretis Conciliorum) *multa cognatio, & familiaritas intercedere solet, & Reipubl. constitutio pietate in Deum præcipuè nititur, vnde & ex se inuicem pendent, & vtraque prosperis alterius successibus incrementa sumit.* Quod & magnus contestus est Leo Epist. 24. & 25. ad Theod. cum ait non imperij solum, aut Regni causâ, aut propter ipsius Imperatoris emolumentum se desiderasse sedare tumultus, & scandala Constantinopolitana, *sed Ecclesiæ* (inquit) *causâ. statum Regni vestri agimus & salutis, vt Prouinciarum vestrarum quieto iure potiamini.* Ecclesia ergo spiritualibus studijs & Ecclesiasticis censuris Regnorum procurat prosperitatem, & pacem; & Reges, ac Regna suâ potentiâ, & sæcularibus viribus illius student tranquillitati, & authoritati; quod nequaquã præstare potuissent, si vel intra Ecclesiam nullam haberent potestatem, vel intra se ipsa intestina paterentur bella, ac domesticas discordias, quibus nullatenus possent obuenire. Quod si quæ sit ex tantis, quas Leges, & Constitutiones citatæ ei concedũt, apud Regem Catholicum in hac re potentia, nullâ tamen voluit vti, nisi tantum ad SS.^m D.^m recurrere, vt ab eo tantorum malorum reportaret antydotum: non suæ potentiæ, sed tanti Pontificis pietati voluit tantum opus adscribi. Quid ergo? ob suam submissionem, & reuerentiã ad Ecclesiam, laudandus; an ex falso impositã temeritate, & calumnia vituperãdus? iudicet qui præscriptas Leges intelligit.

Ratio-

Rationibus idem confirmatur.

10 NEc demum firmæ ac validæ desunt rationes, quibus approbari, & laudari posſit Regis inſtantia, quarum nonnullas non latenter inſinuarunt prædictæ Pontificum, Conciliorum, ac Patrum auctoritates, quibus addendum, de Iure eſſe naturali, & diuino, Regem omni modo ſibi licito, debere præſtare ſuis ſubditis, quæ ad illorum quietem, & vitam tranquillè tranſigendam, neceſſaria eſſe deprehenderit. Capit etenim benignè, & ſalutiferè in membra debet influere, anima vitaliter corpus viuificare, Pater ſuos filios protelare, Spiritus ſuauiter hominem animare. Sed caput ſibi ſubditorum eſt Rex, vel Imperator, vt docuit Senec. 2. de Clem. cap. 2. *Populi caput Rex, à capite autem bona valetudo, inde omnia vegeta aut erecta, aut languore demiſſa prout animus hominum viget, aut marceſcit.* Pater eſt Patriæ, vt habet Caliſtratus l. 19. ff. de Interdictis, & Relegatis. *Princeps Pater Patriæ eſt*, cuius rationem reddit Sen. 1. de Clem. c. 14. *Vt ſciret* (inquit) *datam ſibi poteſtatem Patriam, quæ eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaque poſt illos reponens.* Animus eſt reipubl. illa corpus eius: ita Senec. citatus ad Cæſarem c. 4. & 5. Spiritus vitalis eſt Regni. *Ille* (Seneca) *vinculum eſt per quod Reſpublica cohæret, ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus, & præda, ſi mens illa imperij ſubtrahatur.* Rurſum quando Deus per Samuelem primum creauit, & vnxit ſui populi Regem Saulem, ſtatim per eundem Regis munus, & obligationem circa populi defenſionem, & pacem nouo Regi præſcripſit. Vt ad illa verba, *Vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam, & liberabis populum ſuum de manu inimicorum eius*; egregiè ponderat magnus Gregorius l. 4. Moral. c. 5. Quis ergo ob tot, ac tanta capita neget Regi agendum eſſe de tantorum ſibi ſubditorum tranquillitate?

Rationibus varijs hæc res amplius oſtenditur.

Prima ratio.

Rex caput eſt populi. Senec.

Caliſtra.

Pater eſt Patriæ. Senec.

Anima reipubl. & ſpiritus vitalis regni. Sen. 1. de clem. c. 4.

1. Reg. c. 10.

Vltra. Ad vtilitatem Eccleſiæ & Populorũ, Regna Regibus conceduntur, vt in Concilio Toletano tertio confeſſus eſt Rex Recaredus, & docet Innocent. III. in C. Solitæ de maior. & obed. ad finem, quod communis eſt Doctorum, & Patrum conſenſus: ſed quæ maior vtilitas, quam tumultuantem cohibere populum, inteſtinis diſcordijs minitantes auertere minas, & certum populorum præuenire periculum? hanc præſtare vtilitatem populis non poterunt Reges?

Secunda ratio.

G S. Thom.

3 S. Thom. opusc. 20. de reg. princ. lib. 1. c. vlt. tom. 17. ait, vt supra in Sanctorum authoritatibus diximus, ad Regis officium pertinere eâ ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundùm quod congruit ad cœlestem vitam consequendam; sed rixæ, discordiæ, scandala, dissidia, ac perturbationes quotidianæ congruunt ad consecutionem cœlestis beatitudinis? nequaquam, ipso D. Tho. ibidem paulo inferius, teste; *Sicut* (inquit ille) *homo nihil bene agere potest, nisi præsuppositâ suarum partium vnitate, ita hominum multitudo pacis Vnitate carens, dum impugnat se ipsam, impeditur à bene agendo.* Præterea conducunt ad cœlestem beatitudinem consequendam pax, erga Dei matrem deuotio, Indulgentiæ, Suffragia, & speciales Ecclesiæ gratiæ, quæ ad vnanimem festi Conceptionis celebrationem in sensu ab Ecclesia vsitato, largiuntur Pontifices. Nec enim (ex eodem D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. ad 4.) in veritate doctrinæ, vitæ, aut iustitiæ ad beatitudinem consequendam necessaria, solum comprehenditur id quod est de necessitate salutis, sed etiam id, per quod perfectiùs, & faciliùs peruenitur ad salutem: Secundum illud 1. Corinth. 12. *Æmulamini charismata meliora.* Sed perfectiùs, & faciliùs per has speciales Ecclesiæ gratias, & tantas adeoque peculiares indulgentias lucrando peruenitur ad salutem, quàm si eas quis contemnat, aut lucrari omittat. Quid ergo? vt hæc à quibusdam, irrideantur, & à Beatæ Virginis Mariæ Festo per orbem celeberrimo celebrando dissuaderi, aut deterreri populum permittet Rex Catholicus, qui vitam multitudinis bonam procurare tenetur?

4 Regem, in suo Regno potentem, non posse tutâ conscientiâ in eodem liberam religionem permittere, aut vt quis quidquam in diuinis, aut religione innouet, multorum est sententia, & nouissimè Azorij tomo 2. libro 11. capite 6. §. penult. & vltimo; quod & rationibus, & exemplis confirmat; attamen inter diuina & Ecclesiastica, hæc sunt maximè diuina & sacra; quo non obstante, circa illa hanc Regibus potestatem tribuunt Pontifices; non ergo quod ad suæ ditionis, & Reipublicæ bonum, & stabilitatem, omninò necessarium est, pacem scilicet sui Regni stabilire, & humiliter ad ipsos recurrere, ijs aliquando negarunt.

5 Reges filij sunt sanctæ matris Ecclesiæ: vnde & à Summis Pontificibus, Ecclesiæ sponsis, in suis diplomatis, & litteris honorabili, & amabili nomine filiorum quotidie appellantur, sed vt ait

August.

August. *Pertinet hoc ad Reges sæculi, Christianos Ecclesiæ filios, vt temporibus suis velint pacatam habere matrem suam Ecclesiam*; Quod & Valentin. docuit Ambrosius in Epistola ad eundem. Despiciet ergo Charissimus Ecclesiæ Filius Philippus tantam matrem; eamque sibi summè dilectam iacturam pati notoriam, natorum discordiâ consentiet? August. tract. 11. in Ioan.

6 Corona Regis salus est ciuium, qua nullam magè præcipuam, aut honorabiliorem Reges duxerunt antiquitus, dum tempora his verbis, *ob ciues seruatos* Coronæ, vel Cidari inscriptis, gloriosè cingerent; cuius testis est Ouid. 1. trist. Cui consuetudini allusit Seneca, dum ait: *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius, pulchriusque quam illa Corona* (*ob ciues seruatos*) de qua plus cæteris gloriabatur Scipio Africanus: cuius hæc sententia fuit, qua Antoninus Pius sæpiùs vsus est. *Malle se vnum ciuem seruare, quam mille hostes occidere.* Et hinc euenit, vt antiquitus Reges pro sceptris hastis vterentur, vt aduertit Iustinus historiographus lib.1. Vnde pro eodem apud antiquos sumebantur: & vetusta Deorum simulachra hastas habere solebant, quasi Regiæ dignitatis symbolum sit custodia, siue protectio populi, quæ fieri solet per hastam, & clypeum, vel cætera bellica instrumenta, quibus sibi subditos vndequaque defendunt à periculis. Quare pro eo quod in nostra vulgata habetur; *Viri fortes terræ vehementer eleuati sunt.* In Hebræo est; *Reges, scuta terræ, vehementer eleuati sunt.* Sunt enim Principes veluti clypeus & scuta, quibus populus protegitur, & defenditur; sicut enim scutum corpus, sic Principes vndique Rempubl. & populum tutelant. Solus ergo Rex noster suæ tutelæ commissos non seruabit? non aget de periculorum remedio? quos in fronte portat, conculcari, scandalis spiritualiter occidi, & discordijs non leuiter conteri omninò permittet? Seneca 1. de Clem. c. 26. Capitol. in Antonin. Pio. Psal. 46. num. 10.

Vltimo, sanctissima, pientissima, & iustissima mater Ecclesia nunquam hominibus subtraxit, quod nec ipsa natura, quæ nusquam deficit in necessarijs, eisdem negauit. Nihil autem Reipubl. Christianæ magis opus pace, concordiâ, & à scandalis vacare: si ergo bonis his caret, quid Regi faciendum? Statim cum reis, perturbatoribus, & scandalizantibus digladiandum? Suum in illos exercebit furorem? Iustâ in eos animaduertet indignatione, nullo facto discrimine, siue Clerici, siue Laici sint; qui Rempubl. conturbant, omnes supplicium subibunt Regis edicto? Hoc scelus maxi-

lus maximum, facinus egregium vtique quis iudicabit. Quod ergo ei per se faciendum interdicit, quis præstabit? Pontifex. Cuius precibus? qua instantia? ipsius Regis, & Regni, cui imminet periculum. Vel si hoc etiam remedium auferre volunt hi Censores, quod solum Rex adhibuit, tantæ controuersiæ, aliarum omnium fomitis, decisionem petens; omnia Regna subuertenda dicent, omnia breui pessundabunt.

Epilogus.

QVare, ô viri Iudices, quam æquum hoc sit iudicium agnoscite, iniquum expendite murmur, malitiosam, si sapientũ; nesciam, si ignarorum, iudicate censuram; Hoc secundum (bona horum venia) certius puto; nec enim sacra, aut prophana, huiusmodi docuit, aut habet Philosophia, Reges falsò calumniandi licentiam, quod optimè dixit Philosophus. *Errare* (inquit) *mihi videntur, qui existimant Philosophiæ fideliter deditos contumaces esse, ac refractarios, & contemptores magistratuum, eorumve. per quos publica administrantur. E contrario enim nulli aduersus illos gratiores sunt, nec immerito. Itaq; hi quibus ad propositum benè viuendi aditum confert securitas publica, necesse est authorem huius boni vt parentem colant, multo quidem magis, quam illi inquieti qui multa Principibus debent, sed & multa imputant.* Hi certè beneficiorum immemores præclara, nec tacenda, nec obliuiscenda à Rege acceperunt. Sed hem reddiderunt; quid? beneficia, an conuicia? munera, an calumnias? Multa huic Regi debent, sed & imputant, quid? infamiã, dedecus, grauem iniuriam. Perpendite (quæso boni Iudices) quem offenderunt Principẽ, quantus, & qualis sit considerate; hominem cogitate *à quo nemo vnquam* Ecclesiasticorum (quod de Agesilao dixit Xenophon) *se vlla re spoliatum esse questus est, quum multi multa faterentur ab eo accepisse beneficia. Cui potius pro voluptate est sua ad hominum vtilitatem largiri. Quinam is aliena rapere velit, quo male audiat?* Qui totum quod habet, vniuersum quod regit imperium, pro Ecclesiæ Imperio, vel nutu, eius dicauit famulatui, quem, vbicumq; se profuturum Ecclesiæ putaret, non labores subterfugisse nouimus, non recusasse pericula, non pepercisse facultatibus, non exercitus, non terræ marisue discriminis, aut distantiæ excusatione vsum fuisse; quid modo hi de eius erga eandem summa reuerentia & catholica submisione dubitant?

Seneca Epist. 93. in princ.

Xenoph. orat. de Agesilao c. 23.

bitãt? Hispaniæ Regibus hoc semper, præ cæteris, peculiare à Reccaredi Regis tempore, qui ad an. 627. regnauit in Hispania, nunquam ab Ecclesia aut eius Pastoribus aliquantulum defecisse, quod & S. Gregorius ad martyrium B. Hermenigildi prædicti Reccaredi fratris, prophetice prædixit; Quinimò (quod notatu dignum censeri debet) quantumcumque inter dissidentium de Regni successione Rom. Pontifex vni faueret, & alteri contradiceret, nec ille, quem adiuuabit, aut iste cui contradicebat, aut resistebat, debitam, & sanctã aliquando eidem negauit obedientiã. Nullum fuit legitimũ Concilium, quod à vero Rom. confirmaretur Pontifice, quod ex tempore obseruari non præceptum sit in Hispania. Nullo vnquam tempore Hispaniæ subsidijs indiguit Ecclesia, cui non expeditissime validissimis copijs subueniretur. Qui aliqua ex multis, quæ in Ecclesiæ obsequium, & emolumentum fecerint Hispaniarum Principes videre voluerit? consulat Iacob. Valdesium à nobis supra citatum: Videbit huius Imperij incredibilem erga Pontifices reuerentiam, sanctam obedientiam, debitam fidem, iustam submissionem. Nulla grauis vnquam fuit, aut excogitata est de illis suspicio infidelitatis, aut inobedientiæ erga Christi Vicarios. Vnde ergo hæc noua dubitatio, aut recentis inconstantiæ assertum? Vnde authoritatis Ecclesiasticæ inuasionis periculum? Resipiscite quæso, egregij Censores, dictum indictum facite, conuicia retractate. *Æquum est* (vt dixit August.) *vt secundas habeatis partes modestiæ, qui primas non potuistis habere sapientiæ, & qui non voluistis omnia non pœnitenda diligenter dixisse pœniteat, quæ cognoueritis dicenda non fuisse.* Quem tanti etiam Regis iniuste læsistis honorem, debitum restituite. Cuius munere (Deo authore) securi, & tranquilli viuimus, eius sanctæ deuotioni annuite, votis subscribite, pietatem laudate, sanctam, & catholicam iam amplius offendere, aut perturbare timete Majestatem. Aug. ep. 7. post init. to. 2.

Apologetici finis.

Continuatio Historiæ.

Detersâ iniquâ calumniâ per hanc Apologiam, perq; manifestas rationes, quas adhibuit præcipuis in vrbe viris Illustrissimus Orator, & Regiæ instantiæ apud Sanctiss. Dom. comprobauit rectitudinem, & ipsius rei narratione obtrectatorum reuelauit malitiam. Rationibus sibi semper apud omnes agendum

 esse

esse in tam arduo duxit negotio, vt non tam Regis potentiæ nec nimiæ Oratoris importunitati, quàm ipsius rei æquitati, & iustitiæ quidquid fieret, videretur, & deberet adscribi. Optimum sanè consilium, nam & benè Phocylides apud Stobæum, *Rationem telum dixit quouis ferro acutius*, quia & ratione, qui absque ratione pugnat confoditur aduersarius: qui aliter vinci non potest, ab iniusta deijcitur causa, & cuius malignitas debellari nequit aliunde ratione facilè posternitur calumniator: suum etiam quisque ratiocinatione æquâ, & legitimâ promouet, & vrget negotium, & ad eos quandoque terminos perducit quibus nec Magnatum vires, nec Regum potentia, nec plurima sufficeret militum manus. *Vt ingentia* (inquit Plin.) *pondera, quæ nullis hominum viribus tolli possunt, machinis facilè tolluntur, ita quod vi nequit fieri, ratione facilè efficitur.*

Stob. serm. 3.

Plin. in simil.

Quamuis Oratori tunc Regius adsufflaret fauor, & multorum aderat Principum animus de hoc absoluendo, & claudendo negotio, non tam hos profundendos, aut venditandos, quam ipsius petitionis Regiæ æquitatem, grassantium scandalorum tempestatē, & remedij necessitatem expandendas iudicauit, & persuasibilibus sermonibus Dominum Papam allicere, atque gradatim commouere, vt aliqualiter Regem exaudire, & scaturientibus malis obuenire dignaretur. Persuasum etenim sibi habuit, turbatis Ecclesijs & inquietis Regnis suo auxilio sanctum adfuturum Antistitem, & dum de orthodoxi Principis iusta pro eisdem solicitudine & recta intentione constaret, eius votis subscripturum. Orationem ergo hanc paræneticam, siue exhortatoriam sub mense Februarij Sanctissimo Domino tradidit, qua plura complexus, & Regis, & multorum Regnorum desiderium, iterum expandit, & iustum esse comprobauit. Rationes adiecit, & exempla, vt Rex audiretur, emolumenta proposuit definitionis, aliaque accuratius ponderauit, quæ leuiori calamo in prima perstrinxit oratione.

ORATIO

ORATIO SECVNDA Παραινετική

AD S.MVM D.NVM

PAVLVM PAPAM V.

TRACTATVS III.

Quàm iusta sit Regis Catholici petitio de Controuersia Conceptionis Virginis Mariæ definienda, & quod à Beatitudine Vestra debeat benignè exaudiri.

1. Necessitas semper importuna.
2. Hispaniæ calamitas propter turbulentas de Concept. Virg. disceptationes.
3. Quæ Oratori cura à Rege demandata, & quàm fœlicem speret successum.
4. Beneficia accepta, de hoc obtinẽdo eius augent confidentiam.
5. Proponitur Catholici Regis, & totius Hispaniæ petitio.
6. Dignam esse Regis petitionem, quæ laudetur, & cui subscribatur.
7. Alios Reges, & Monarchas ob similes petitiones laudatos à Pontificibus, & Concilijs; & ad illorum preces, & vota multa definita.
8. Quantũ laudauerit Sixt. V. Phil. II. instantiam de B. Didaco canonizando.
9. Potiores rationes vt exaudiatur in hoc re Philippus III.
10. Commune erit orbis gaudium, si Sanctam fuisse Virginem in sua Conceptione definiatur.
11. Aliqua definitionis emolumenta, consideratione digna.
12. Tollendam esse Conceptionis cultus differentiam.
13. Sanctæ Ecclesiæ Patres fauere Virginis præseruationi ab originali labe.
14 Prouidendum populi deuotioni, & Hispaniæ discrimi ac tumultibus.
15. Peroratio totius tractatus resolutoria ad Sanctissimum Dominum.

BEATISSIME PATER.

1 MORBO laborantes, & malis oppressos, medicaminis indigentia, & remedij necessitas, mortales semper fecit importunos. Quorum apud omnes eo excusabilior iudicatur instantia, quo longiùs protrahitur infirmitas, grauius imminet damnum, certius instat periculum, & morbi intolerabilior censetur peruicacia. Clamant, rogant, instant, vrgent, voces dare non cessant, quoadusque ab eo, penes quem desiderata latent remedia, pro malorum qualitate benignè exaudiantur, & solamine misericorditer subleuentur. Efflagitatum tandem mouet pietas, imploratum tum demum allicit misericordia, sæpius rogatum rogantis flectit miseria. Mulierculæ Cananææ importuna petitio Christi Redemptoris animum inclinauit, à quo non solùm postulata recepit, sed etiam laudibus, & encomijs illis Euan-

Necessitas importuna.

Importuni tandem exaudiuntur.

Matt. 15. n. 28. gelicis meruit honorari, *O mulier magna est fides tua.* De qua in materia non dissimili ita præfatus est D. Hieronymus ad Damasum. *Importuna in Euangelio mulier, tandem meruit audiri.* Et addit; *Clauso cum seruis ostio, mediâ licet nocte, ab amico panes amicus accepit. Deus ipse, qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur importunis.*

Hieron. epist. 58. ad Damasum.

Hispaniæ calamitas.

2 Quanto scandalorum morbo vlterior laboret Hesperia, quantis opprimatur discordiarum damnis Hispania, circa antiquam, & iam satis discussam de Mariæ Virginis Conceptione quæstionem, sacro Tuæ Beatitudinis solio non semel fuit patefactum, & à te multoties rogatum, vt vnicum, & efficax diffinitionis applicaretur remedium. Quædam pro tua, cœlo digna, prudentiâ adhibuisti, quibus tantis obuiaretur incommodis, quæ propter tabidum vulneris virus, recrescentis morbi malitiam, languentem animorum dispositionem expectato fraudantur effectu. Adhuc malis tabescimus, in dies crescit infirmitas, latè per orbem se quotidie diffundit, & in totius grassatur Hispaniæ detrimentum.

Oratori impositum munus.

3 Huius Tuam beatitudinem admonere iubeor, has ad Te deferre calamitates, malorum causas detegere, præsentia nuntiare, futuros exitus (ne dicam exitia) ob oculos ponere, & tuam orare Clementiam, vt certo, & vnico, quod in tuo pectore situm est, remedio, sæculi turbines, & Regnorum procellas velis præuenire. Quod si non statim, vt primum Oratoris munus exercui, lætus obtinuerim, de fælici non despero successu nec de tua iustissima, & fauorabili diffido sententia. Capacissimo tuo iudicio, maturo consilio, & sagacissimæ circumspectioni referendum iudico Te renuisse statim infallibili, & irrefragabili tuo oraculo dubium hoc aperire, & controuersiam componere, *non ignorans* cum Alexandrino illo Antistite *præcipitem celeritatem in rebus grauioribus cum vitio plærumque coniunctam esse solere.* Tamen pro rei necessitate, & temporum, ac Regnorũ calamitate, adq; paterna tua erga omnes beneuolentia & charitate, non dubito quin cito viam, per quam æquè omnibus incedendum sit, Tu verus Ecclesiæ Mercurius, nobis iam tandem digneris aperire.

Eius confidentia.

Cyrillus Alexandr. Epistola ad Cælest. Papam ex Concil. Ephesino.

Confidentiam augis accepta beneficia.

4 Si propria ego agerem negotia (Beatissime Pater) adhuc me securum redderet tua erga me benignitas, & toties tua mihi explorata humanitas. Certum etenim de tuo patrocinio, & beneficia reddũt accepta, & securum de fauore constituit satis comperta Clementia. Sed nunc securiorem, & magis intrepidum animum indui cum propriarum rerum mihi cura non sit, sed totius pœne orbis

Christiani

Christiani desiderium expandam, & vniuersæ pœne Ecclesiæ tibi eiusdem Pastori, & Patri preces offeram, & vota demonstrem. Quæ quanto maioris iudicantur emolumenti, tanto supremo tuo sunt digna senatu, & quo grauiora & periculosiora, tanto opportuniori, obueniendum, consilio.

5 Hoc instantissimè per me pro vniuersis Hispaniarum plagis, & ditionibus non alius quam obsequentissimus Tuæ Beatitudinis filius & verè Catholicus Rex efflagitat Philippus; hoc idem expostulant omnia Hispaniæ pijssima Regna; hoc expetunt Ecclesiæ; hoc illarum Prælati prudentissimi; Archiepiscopi, & Espiscopi; hoc omnes doctissimæ Academiæ, grauissimi religionum Proceres ac Pastores generales, & Prouinciales; hoc cuncti etiam desiderant Principes, & Duces, quibus non leue inest desiderium propter Dei matris honorem, nec inanis cupiditas propter instantem Ecclesiarum necessitatem, vt iam tandem huic materiæ vltima apponatur manus, & tam ingratæ controuersiæ finalis addatur decisio.

Regis Regnorumq; petitio.

6 Tantorum precibus annuere & votis subscribere, vt benignè, & opportunè Tua dignetur Sanctitas, nec leue adest fundamentum, nec modicæ suppetunt rationes. Non etenim potentissimi Regis, & tantorum ex præcipuis Ecclesiæ natis, qui eandem armis protegunt, & subsidio defendunt, despicienda est deprecatio, aut reijcienda petitio, sed laudanda continua deuotio, vlterioribus fouenda fauoribus precamina, & desiderato claudenda successu. *Dignum etenim est* (vt de altero Hispaniæ Rege dixerunt Patres Concilij VI. Toletani) *vt cuius regimine habemus securitatem, eius posteritati tuo Decreto velis impartiri quietem. Tanta sunt huius nostri Principis erga nos beneficia, vt longum sit ea promere lingua. Ipse enim* (authore Deo) *nobis pacem, ipse quasi captiuam reduxit charitatem, ipsius ope quieti, ipsius sumus largitione ditati.* Quæ certe verba Regi Philippo adaptari optimè possunt, & suo nomine, & eisdem de causis, Regnorum Hispaniæ licet à te postulare quietem. Philippus etenim hic (vt de eius patre Sixtus prædicauerat V.) *curam, cogitationemque omnem habet locatam, & fixam in Catholica religione tuenda, & propaganda, qui, & semper antea, & hoc maxime tempore, summis opibus contendit, vt deletâ hæreticorum perfidiâ fides catholica in veterem dignitatem, atque amplitudinem vindicetur, cuius omnia tum belli, tum pacis studia ad Dei gloriam referuntur, in eaque consumuntur.* Ita vt ego æquiùs, & iustiùs eum appellarim *Fidei custodem*, quam magnus Leo Martianum vocarit Imperatorem. Hic, hic ille est qui Te humi-

Digna est, quæ exaudiatur.

Cocil. Tolet. 6. act. 15. ad ann. 676. sub Cinthilano Rege.

Anton. Buapadul. pro Sixto V. in canonizat. B. Dadaci.

Leo epi. 71. ad Anathohum.

humiliter rogat, suppliciter deprecatur, non auri talenta multa, non militum turmas copiosas, non loca, non castra; sed quod tui, & illius interest, Ecclesiæ & Regni tranquillitatem. Hic non regni terminos, sed sacra deuotionis mysteria dilatare contendit; non imperia stabilire, sed Ecclesiasticas lites sedare laborat; non se ab hostium iaculis protegi, sed subditos à scandalorum periculis liberari desiderat. Videt suorum ruinas populorum; audit tantarum dissidia Ciuitatum; quotidie ad illum oppidorum, & locorum deferuntur querelæ; timet intestina ciuium bella; cauet spirituales hominum lapsus; obuiare Ecclesiasticis cupit discordijs; Ecclesiæ summam anhelat vndequaque concordiam. *Quantum Dominus Ecclesiæ suæ* (vt de Theodosio Augusto Leo aduertit) *in fide huius Principis præparârit, his etiam litteris, quas ad Tuam Beatitudinem misit, euidenter ostenditur, vt illi non solum Regium, sed etiam Sacerdotalem animum inesse, tibi gaudendum sit, siquidem præter Regias, & publicas curas, pijssimam solicitudinem Christianæ religionis habet, ne scilicet in populo Dei, aut schismata, aut hæreses, aut vlla scandala conualescant.* Gratulandum certe Ecclesiæ, quòd quæ ad Ecclesiastica pertinent, ita pie & amanter Rex curet Catholicus, vt in his tractandis, defendendis ac promouendis, animum non Regium, sed Sacerdotalem præferat, non Laicum, sed Ecclesiasticum induat, non Sæcularem, sed spiritualem ostentet affectum.

Leo epistola 7. ad Theod. August.

Pontifices laudarunt in Monarchis religiosis affectũ.

7 Tuæ Beatitudinis prædecessores, æternâ digni memoriâ, in suis coæuis Imperatoribus, & sui sæculi Regibus, nunquam satis pro voto huiusmodi laudabant in fidei mysterijs solicitudinem. Magnum Constantinum sæpius in his laudauit Syluester, & Patres Concilij Niceni. Constantinopolitanæ Synodi Episcopi & Præsules in suis ad Theodosium Seniorem litteris, *se Deo gratias egisse testantur, quod illius pietatis imperium constituerit ad communem pacem Ecclesiarum.* Quam ita se zelasse scripserunt Theodosius, & Valentinianus, vt dixerint Cyrillo Concilij Ephesini præsidenti, *siue illi qui victi discedent, veniam impetraturi sint à Patribus, siue non; nos sane Ciuitates simul, & Ecclesias conturbari nequaquam sinemus.* Quod summè in ijsdem laudauit Concilium, & sanctum propositum summopere his verbis extulit Cyrillus. *Illius Regni quoddam simulacrum, & hominibus exemplum propositum vos estis, & quidem soli in omnes imperium sortiti, vt timore ac mansuetudine subditos vestros conseruetis, & veluti illustrem quandam pacatamque serenitatem per orbem diffundatis.*

Concil. Constantinop. in epist. ad Theod. tom. 1. Concil. edit. Venet. Theod. & Valẽt. epi. 1. ad Cyril. in Concil. Ephesino p. 1. Cyril. lib. apolo. ad Theod. p. 3.

Præcla-

Præclara illa fœmina Pulcheria Augusta vehementer desiderabat sedare tumultus, & discordias, quæ in Ecclesia exortæ sunt circa credendum vel tenendum, an Virgo Maria dicenda esset Θεοτόκ☉, seu mater Dei, de quo primus dubitauit, vel saltem negatiuã partem publicè prædicauit Anastasius presbyter, Nestorij tenacissimus Comes, & contra quem difinitum est in Concilio Ephesino, quod solicita curâ & deuotione eiusdem Pulcheriæ, & Eudoxiæ sub Cœlestino Papa congregatum est. Quia verò Eutyches, & eius sequaces Nestorianam charybdim vitare cupientes, inciderunt in aduersam Scyllæ voraginem, asserentes vnam solam & personam & naturam, vere in Christo fuisse & humanitatis veritatem non induisse sed figuram, & consequenter nec propriè Mariam Christi matrem dicendam, nec proinde huiusmodi honorem ipsi tribuendum esse docuisse videbantur; vt constitit ex Eutychetis libello recitato in 4. Synodo Generali verbis illis sublatis ex Symbolo, *qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine:* Concilium Chalcedonense, rogante Leone Pontifice, cogi curauerunt Imperatores Martianus, & Pulcheria, cuius quieti, & pacifico processui consularem Bythiniæ Strategum præfecerunt, ad quem litteras misit Pulcheria honorem Virginis Mariæ, & Ecclesiarum pacem vehementer exoptans, quibus initium est. *Intentio nostræ tranquillitatis est, ante ciuiles causas, sanctas Christi Ecclesias, eisque dicatos in pace consistere, & orthodoxam fidem, quam continere iudicamus nostrum Imperium, imperturbatam ac immotam ob omni hominum genere custodiri. Vnde dudum praua quadam emergente discordia, multam curam habuimus vt vndique multorum sanctorum Episcoporum conuentus simul congregaretur in Nicea, quatenus vniuersorum concordiâ omnis turbatio de medio tolleretur, & in futuro firma, & immobilis fides venerabilis præualeret.* O egregiam fœminæ in fœminarum præcipuam, & Reginam, deuotionem! ô Mariæ honoris zelum, omnibus celebrandum! ô pacis, & pietatis studium! Quid si hoc nostro æuo vixisset, & Mariæ puritatem in dubium reuocari vidisset, procellosasque tempestates, & scandalosas Ecclesiarum discordias conspexisset? non minorem certè in his zelum ac animum, quam in illo Concilio ostendisset. Quas verò laudes Synodus illa de ea prædicauerit longum esset recensere. Plures sunt ad eam, & Imperatores ac Imperatrices, Pulcheriæ virum, natos ac filiâs eiusdem Concilij litteræ, in quarum vnis ad Valentinianum ac Martianum Imperatores, ita Patres loquuntur: *Magnæ ægritudines & medicamine*

Pulcheriæ de honore Mariano zelus.

Pulcheria Aug. in epist. ad Strategum consularem, quæ est 33. in 2. p. Concilij Ephes.

Laudes in Concilio Chalcedon.

Concil. Chalced. ad Valēt. & Mart. act 3. *dicamine forti, & medico indigent sapienti. Propter hoc igitur omnium Dominus passionibus orbis terræ sicut medicum optimum vestram superinstituit pietatem, vt has congruentibus sanctis medicamentis. Vos vero Christianissimi diuinum suscipientes Decretum, præ alijs omnibus competentem diligentiam adhibuistis Ecclesijs, Pontificibus, concordiæ medicinam machinantes.*

Theodosius laudatus à Leone. Leo 1. epist. 12. quæ est ad Theodosium. Idem ep. 17. ad eundem. Quid ad Theodosium Augustum scripserit Leo huius nominis primus sacræ huius Vrbis Antistes, dignum est, quod referatur: *Quantum* (inquit) *rebus humanis consulere prouidentia diuina dignetur, solicitudo Clementiæ vestræ spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in Catholica Ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diuersum, quoniam fides, quæ non nisi vna est, in nullo potest sui esse dissimilis.* Et in epist. 17. ad eundem: *Multum* (ait) *vniuersali Ecclesiæ gaudendum est, quod Clementia vestra Christianam fidem in nullo dissimilem, in nullo vult esse discordem.* Quoties de hoc prædictum laudauit Theodosium? quoties præconijs Leonem, & Martianum Imperatores euexit? quoties Pulcheriæ Augustæ per epistolas gratias egit, ob indefessum illorum circa res fidei definiendas studium, ob instantias non tepidas de cogendis Concilijs, ob instantem solicitudinem, qua Pontificem, rogabant vt per eius definitiuam sententiam ab hominum cordibus tollerentur errores, à populis remouerentur scandala, inter Christianos componerentur lites, & omnino euellerentur semina discordiæ?

Celebratur à Concilio Imperatorum pietas. Concil. Chalced. in fine. Ipsum verò Concilium Chalcedonense statim ac res fidei ad Imperatorum vota stabilitæ sunt, ita semel, bis ac iterum in laudem Theodosij ac Pulcheriæ vnanimiter conclamauit. *Vos estis pax orbis:* Theodosi, *Orthodoxam fidem tu roborasti, sicut Apostoli, ita creditis.* Auguste, *Multos annos, Vos lumina orthodoxæ fidei, propter Vos vbique pax est, lumina pacis, Domine tu custodi, &c. propter Vos pacificatur orbis terrarum, hæc fides digna vestro imperio, per Vos orthodoxa fides firmata est, &c.* Vbi plura addunt in tantorum laudem Imperatorum.

Iustinia. in rebus fidei studium. Iustinia. in litteris ad Syno. 5. Gener. Idem in sua confessione in illo Concil. Quale vero fuerit Iustiniani Imperatoris circa Ecclesiarum pacem, & Christianorum concordiam indefessum studium, ex ipsius verbis ad Concilium 5^m^. Generale, & Constantinopolitanum 2^m^. aperte patet, ita enim scribit; *Studium nostrum fuit, & est sanctam Dei & Apostolicam Ecclesiam à turbis securam custodire.* Et in eodē ipso Concilio ita coram omnibus affatus est; *Scientes quod nihil alud sic potest misericordem Deum placare, quàm vt omnes Christiani vnum idemque sapiant in recta, & immaculata fide, nec sint dissentiones in sancta Dei Ecclesia, necessarium putauimus, omnem occasionem interimere eis, qui scandalizantur, vel qui scan-*

qui ſcandalizant. Quas verò gratias Synodus retulerit, & quomodo eius correſponderit votis, ſatis in ipſo patet Concilio. Suum etiam deſiderium explicauit Conſtantinus Pogonatus in ſexta Synodo Generali, actione decima octaua, quod nullum aliud eſſe affirmauit, quàm *ſanctam Dei Eccleſiam in pacis ordine perſeuerare pro temporibus ſui Imperij.* A qua gratanter, & ſtatim meruit exaudiri.

Propoſitũ Conſtant. Pogon. in 6. Synodo generali act. 18.

Aliorum Imperatorum, Regum, & Principum pacis ſtudium alij laudant Pontifices, & Concilia: Sed & pleroſque Hiſpaniæ Reges, Cinthilenum, Leouigildum, Siſenandrum, Recaredum, Recenſuirtum, Aſiamirum, Eruigium præconijs non contemnendis affecerunt ob inauditam in ſuis regiminibus vigilantiam, & ſolertiam qua fidei ſcrutabantur, interrogabant, & definiri quotidiè deprecabantur myſteria. Nullum pæne eſt, ex tot Hiſpanis, quæ quidem multa fuerunt, Concilium, quod vel illorum inſtantiâ, vel prece, aut curâ congregatum non fuerit, rarumque dicetur, & videbitur, in quo hæc illorum ſolicitudo non laudetur, ſed & ſanctiſsimis illorum votis in his, quæ proponebant, non ſubſcribatur.

Multi Hiſpaniæ Reges laudati a Pontificibus.

8 Nihil minùs laudandus Catholicus & Pientiſsimus Rex Philippus, dum doctrinam, quam ab Eccleſiæ vberibus fideles ſuxerunt, vt irrefragabilem ſortiatur authoritatem, cui nemo contradicere valeat, à ſolio tuo (à quo omnis credendarum rerum ſtabilitas) petit ac humiliter flagitat cœleſti reualidandam oraculo. Eo autem obnixius orat, quo certius ſcit quòd per huiuſmodi definitionem, Chriſtianis Principibus, & vniuerſo fidelium cœtui plura obſecrandi pro Dei honore, & animarum profectu confidentiam Tua Beatitudo ingeret; hæreticis, fidei noſtræ aduerſarijs peruicacia obturabit ora, quibus reuelationes, huiuſmodi veritatem atteſtantes, ab Eccleſia approbatas, dilacerant (quippe in ipſa eadem Eccleſia vident eſſe, qui ſanctas, & pias pro falſis, & mendacibus reprobent) quibus etiam Feſtorum derident inſtitutionem, dum vident à quibuſdam ipſius Eccleſiæ natis, hanc Conceptionis non admitti; aut ſaltem in Romanæ Eccleſiæ ſenſu non celebrari. Quod certè grauiter ferendum eſt, & lacrymis potiùs quam admiratione obſeruandum, tantam in re tam recepta, celebrata, & approbata ab Eccleſia, durare, & perpetuari diſcordiam.

Quædam definitionis emolumenta.

Constant. *indignè tulit differentiam celebrandi Paschatis.*

9 Ante Concilium generale Nicenum festum Paschatis, & Resurrectionis Dominicæ vniuersaliter celebrabatur in Ecclesia, diuersis tamen ritibus, non eodem modo, non eodem die: à quibusdam enim die Dominico, ab alijs sabbatho; illis festiuè, his mœstè, & luctuosè eandem solemnitatem colentibus; quorum dissensionem in festo celebrando, ac discordiam in die obseruando, grauiter (vt æquum erat) ferens Constantinus Magnus, ad omnes Ecclesias litteras misit, in quibus ad vniformem cultum eiusdem festi eos persuasit. Ipsa eius verba, licèt largiora, quia ad hanc nostræ Festiuitatis dissonantiam optimè accommodari possunt, placuit distinctè referre. *Cum ex florenti, & prospero* (inquit) *rei publicæ statu, quantæ sit diuinæ virtutis erga nos benignitas, compertum haberem, istud omnium maximè mihi propositum putaui, vt in sanctissimæ Ecclesiæ multitudine vna fides, sincera charitas, & consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur.* Et paulò inferius: *Quid præstabilius? quidue augustius esse poterit, quàm vt hoc festum, per quod spem immortalitatis habemus, vno modo, & ratione apud omnes continenter obseruaretur? Porrò illud etiam facilè intelligi potest, maximum nefas esse, vt in tanto, & tam solemni religionis nostræ die regnet dissensio. Vnum enim libertatis nostræ diem sanctissimæ Passionis Saluator noster nobis tradidit, vnamque suam Ecclesiam Catholicam esse voluit, cuius quidem membra, tametsi in multa, & varia loca dispersa sint, tamen vno spiritu, hoc est, diuina voluntate, & nutu coalescunt. Quapropter illud rectius instituendum est, & ad vnam formam ac modum redigendum; hoc enim, sicut omnes satis animaduertere existimo, diuina prouidentia vult.* Et infra: *Modus ille eximius decorusque seruandus est, quem omnes Ecclesiæ totius Orbis partes, vel versus Occidentem, vel versus Meridiem, vel versus Septentrionem incolentes seruant, ac nonnullæ etiam, quæ in locis ad Orientem spectantibus, habitant. Idcirco omnes in præsentia hoc rectè se habere arbitrati sunt, ipseque etiam in me recepi vestram sapientiam facile assensuram, vt quod in Vrbe Româ, in Italia, in tota Africa, in Ægypto, in Hispania, Gallia, & Britannia, in Libia, & in vniuersa Græcia, & Diœcesi Asiatica & Pontica in Cilicia denique, vnâ, & consentiente sententiâ conseruatur, hoc à vobis quoque lubentibus animis approbaretur, illud sedulo reputantibus, non solum in locis, quos modo citaui maiorem Ecclesiarum numerum existere, sed etiam sanctissimum institutum esse vt omnes communi consilio id ratum cupiant, quod accurata & recta ratio postulare videtur.* Et inferius: *Nec enim in re tam sancta ac solemni, vlla dissensio debet existere, imò vero hanc sequi sententiam, cui nullus à fide alienus error,*

Constant. in epistola ad Ecclesias in Concil. Niceno Tom. 1. edit. Venet.

error, nullum vitium admixtum sit, & multo maximam habeat commendationem. Hæc Constantinus.

Qui adeo molestè ferebat, quod in modo celebrandi Paschatis vlla esset inter Ecclesias aut Ecclesiasticos dissensio, quid facturum censemus, si in ipsa substantia eiusdem festi discreparent? Qui conformitatem in festi ritibus, & tempore exigebat, disparitatem in ipso solemnitatis mysterio pateretur? Qui in eodem die, eodemque modo Pascha resurrectionis voluit celebrari, nunquid dormitionem aut incinerationem pro resurrectione permitteret prædicari? Pro intemerata Conceptione Deiparæ Virginis immaculatæ, à tot tantisque Prouincijs in Catholicis ac Christianis Ecclesijs recepta, imo in Romanâ, instituta, & celebrata, nunquid Virginis fœdatæ, & maculatæ sanctificationem ab aliquibus & paucis venerari ferendum aut aliquantulum dissimulandum iudicaret? Te ipsum Beatissime Pater iudicum supremum, & iudicantium normam, huius rei iudicem humillimè appello, huius litis conciliatorem deuotius imploro. Tuæ sapientiæ relinquens modo considerandas pientissimi Imperatoris rationis, quæ optimè pro hac nostra possent vrgeri Controuersia.

Non facile ferendam dissonantiam festi Conceptionis.

10 Hanc itaque (Sanctissime Pater) in festo hoc celebrando discordiam, Oraculo tuo tolles; Sanctorum Patrum consules Doctrinæ, & authoritati, quæ multa est, & magna pro Virginis originali indemnitate, pro condemnatione, exigua, imò nulla, dum intrepidè ausim dicere ex antiquis, & approbatis Patribus (exceptis aliquibus Scholasticis) ferè nullum esse, qui asseueranter aut tenaciter tenuerit, Virginem in originali labe fuisse conceptam.

Præseruationem Virginis conformem esse Sanctorum Doctrinæ.

11 Fouebis Christianæ Ecclesiæ in Dei matrem deuotionem, quæ tanta est, vt si quod petit, à te sponso suo minime obtinuerit, non exigui erit causa doloris, non paruæ origo tristitiæ, & magnæ de quotidiano solamine occasio diffidentiæ. Hispaniæ sedabis lites, tolles zizania religionum, populi discordias, quid credendum sit in tanto dubio, certo tuo oraculo propones. *Dignum certè est* (vt magni Basilij verbis vtar) *illâ excellentissimâ voce tuâ, qua te Christus Beatum prædicauit, quod pietati tuæ à Domino donatū est, vt quod adulterinum est, à legitimo & puro discernas, ac fidem Patrum sine vlla subtractione confirmes.* Dignumq; est tua benignitate, vt petitionem hanc benignè audias,

Præcidendum multis instantiis periculu.

Basilius in epistola data Diacono.

de Reipublicæ pace ſolicitos amplexeris, & tantorum digneris precibus acquieſcere. Nec eſt cur ob ſolicitam repellamur inſtantiam, graue enim præuenimus periculum, & plurimis obuiamus incommodis. *Si Paulus præco veritatis* (vt ponderauit Theodoretus) *& Spiritus Sancti tuba ad magnum Petrum accurrit, vt ijs qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus contendebant, definitionem, & explicationem ferret, multo magis nos, qui puſilli ſumus, & viles ad ſolium veſtrum Apoſtolicum accurremus, vt à vobis medicinam vlceribus Eccleſiarum accipiamus.*

Theod. Epiſt. ad Leonem Pontif.

Peroratio ad S^m. Dominum.

12 VLcera noſtra nos ſæpius & ſatis aperte detegimus, neceſsitatem pandimus, pericula declaramus, Tu (Pater Sanctiſsime) vulneribus obuiantia adhibe medicamenta, neceſsitati præbe remedium, periculis appone ſecuritatem. Exemplo Chriſti Domini, non mulierculæ Cananææ, ſed potentiſsimi Monarchæ lauda fidem, æſtimandam honora deuotionem. Non ſolum amici Regis, ſed amantiſsimi filij tui, precibus flectere. Amici fideles auſcultant te, fac illos audire vocem tuam. Inſtanter clamant mediâ noctis obſcuritate, & confusâ doctrinarum caligine à te illuminari petunt. Illorum audi preces, vota ſuſcipe fluctuantium, eſurientes paruuli panem petunt, panem (inquam) vitæ, & intellectus in locis obſcuriſsimis ſacræ Scripturæ latitantem. Tu (Beatiſsime Pater) ſenſum exprime, legem expone, & pane ſolido infallibilis, & irrefragabilis doctrinæ, & deuotionis illorum paſce eſuriem, fluctuantem corrobora deuotionem, ſinceram firma fidem. Si Deus vnius ſe ſuperari precibus permittit, tua Clementia inſtanti, & deuotâ tantorum ſe vinci ſinat oratione. Quod tot, tantique Reges, Imperatores, Imperatriceſque à Summis Pontificibus & Orthodoxis impetrarunt concilijs, à te obtineat potentiſsimus Hiſpaniarũ Monarcha. Nec plura, nec maiora illi, quam iſte ab Eccleſia meruit accipere beneficia. Quos illis exhibuit ampliſsimos, iuſtis non fraudetur iſte fauoribus, præſertim in Eccleſiæ fidem, & pacis augmentum. Tolle diuerſos Feſtorum modos, idem celebrent vniuerſi, vnius vnus, idemque ſit ſenſus ſolemnitatis. Iube vt omnes idem credamus,

idem

idem confiteamur, vt sub te vno Pastore pacifico, oues pacificè pacis pascantur pascuis, & sub vero ac sano capite membra inter se nullam iam sentiant discordiam. Vt ita iubere velis (Pater verè Sancte) Beatitudinem Tuam obtestor eisdem verbis quibus Hieronymus Damasum in simili materia deprecatus est. *Per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ Decus, per passionem Christi, vt qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito: ita in solio cum duodecim iudicaturus sedeas, ita municipatum cœli cum Paulo consequaris, vt nobis litteris, & oraculo tuo quid tenendum certò, quid amplexandum determinatim sit, declares. Noli despicere animas, pro quibus Christus mortuus est.* Considera multarum iacturam, Ecclesiæ discordiam, dissidia Ciuitatum, & magnorum imminentia pericula Regnorum, quibus tu solus obuiare potes, & vales.

Hieron. epist. 58. ad Damas. in fine.

Orationis secundæ finis.

Continuatio Historiæ.

AD vtramque hanc Orationem, siue Tractatulum, Suæ Sanctitati oblatum, dum fermè idem respondit, se tunc non posse Controuersiam definire, nec longiori, quam res hæc expetebat, discussioni omnino intendere propter procellosas, & grauissimas illius temporis calamitates, & Ecclesiæ non modicam solicitudinem ob Imperatoris Matthiæ ex hac vita decessum, & hæreticorum conamen de quopiam sibi propitio creando successore, Illustrissimus Orator meliorē sortem, & potiorem temporis conditionem sibi expectandam iudicauit, spem tamen omnem non exuendam, sed expectandum à Rege responsum illarum litterarum, per quas sub mense Decembri, vt in prima huius Historiæ Sectione dixi, ei patefecit, quam difficile Pontifex definitoni assentiretur. Has itaque, per mensis Martij Cursorem accepit, & tres Conciones authenticas, quas apud me habeo, habitas Matriti Vallisoleti, & apud Ciuitatenses, in quibus post Decretum, suam inculcarunt opinionem aduersarij. Litterarum hoc est exemplar.

Reuerendo in Christo Patri Episcopo Carthaginensi mihi à Consilijs, & meo extraordinario Romæ Legato.

REX,

REuerende in Christo Pater, Episcope Carthaginensis, mihi à Consilijs & mi Legate. Tuas recepi literas, 23. Decembris datas, ex quibus licet intellexerim Sanctissimũ Dominum cum primum apud eum pro me functus es Legatione pro definiendo mysterio Conceptionis, annuere noluisse, non obinde tibi desistendum erit, sed vrgentia applicanda media, & efficacia obeunda officia. Conaberis suam Sanctitatem conuincere, vel commouere opinione, & subscriptione tot, tamque Illustrium Prælatorum, Religionum, & Academiarum, quæ in hac vna sententia conueniunt, vniuersali etiam populi acclamatione, & graui necessitate de amputandis scandalis, quæ quotidie exoriuntur. Nec enim per vltimum suæ Beatitudinis Decretum extincta sunt, vel sopita, vt per hos sermones, quos in hoc fasciculo ad te do, qui publicè habiti sunt post Decretum, constabit. Hos ostendes Suæ Beatitudini, vt persuadeatur, nullum aliud efficax præter definitionem extare remedium. Ita enim mihi confidenter promitto meis votis Sanctissimum Dominum assensurum, & medijs tuis diligentijs facinus hoc absoluendum. Quidquid ex ijs quæ peregeris, euenerit, scribe, quod pro grato mihi præstito obsequio reputabo. Madriti 10. Februarij, 1619.

EGO REX.

Ex præcepto Domini nostri Regis,

GEORGIVS DE TOVAR

Secretarius.

Has vt accepit litteras, & sermones maiorem sibi addidit animum Orator, continuum & feruidum, videns in Epistola, Regis affectum erga hoc mysterium; nec rei difficultate, aut Pontificis renitentiâ desiderium exuisse definitionis. Nec ego, inquit, deponam solicitudinem,

Ouid. 9. Met.

—— Nec tædia cœpti
Vlla mei capiam. ——

nec laborem vllum subterfugiam; quôque difficilior hæc res apparet, eo virilius mihi agendum, & impensius instandum. *Turpe est etenim*

etenim cedere oneri, & luctari cum officio, quod semel recepi. Nec est vir fortis, ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescat illi animus ipsa rerum difficultate. Etsi semel ac iterum aliqualem repulsam passus sim, iterum tamen instabo; iterum petam, fortassis exaudiar; denuo pulsabo, forsan aperietur, quod volo, mysterium. Seneca epist. 22.

Hac animi constantia S^m. D^m. adiuit, cui & sermones tradidit Hispanos, & conclusiones Belgicas, vel theses ostendit, publicè propugnatas in Academia Duacena, ex eadem ad se transmissas, & librum cuiusdam Syluij, Duaceni etiam Doctoris in 3. par. D.Tho. sub illo tempore, & post emissum Decretum, in lucem datum, in quibus facta Decreti mentione affimatiuam tuebantur partem. Per hæc probatum voluit, adhuc vigere in multis Regionibus scandala (nec enim pauca, aut exigua scandala ex illis sermonibus in Hispania) & multimodo contemni, & præteriri Decretum; nec omninò efficax esse remedium ad sedanda tot, tantaque quæ quotidie hinc inde pullulabant dissidia. His satisfecit Sanctissimus Pontifex dicendo per ignauiam & socordiam ministrorum, & iudicum Ecclesiasticorum, temerarios hos ausus seminatos, vel exortos in populis; si etenim secundum quod statutum, & decretum fuerat, pœnas exercerent & minas adderent, in Apostolici mandati præuaricatores, & Decreti transgressores, nec hæc mala in illis Regionibus oriunda, nec mandatum ad scandalorum radices penitus euellendas, inefficax iudicandum. Se autem curaturum spopondit, vt abusus illi, & ausus immodici punirentur, & Legatis suis in vtraque Regione scriberetur, vt de supradictis inquirerent, & in publicos hos Decreti contemptores seuerè animaduerterent. Quod & factum est; nam Prædicatores Hispani asperum subierunt postea iudicium sub nouo Legato, & Caietani supranominati successore, cuius in eos graues latas sententias vidi in Vrbe. Quid circa illos Belgas actum sit, ferè ignoro, vel exactè dicere nequeo, solum noui per illud tempus, Syluij librum delituisse in Vrbis officinis, nec prostitisse, aut venalem alicui patuisse.

Præter hæc, plura protracto colloquio Sanctissimo Domino expandit Orator, eique eandem subiungens petitionem circa huius mysterij definitionem, plura adnotauit iterum, & perstrinxit commoda, si adhiberetur, & incommoda si negaretur, ac oblato hoc largiori tractatu, eum ad profundiorem, & exactiorem huius rei considerationem prouocauit.

ORATIO TERTIA AD S.MVM D.NVM PAVLVM PAPAM V.

TRACTATVS IIII.

Exacta consideratio Controuersiæ de Virginis Conceptione proponitur.

1. Ostenditur considerationem plurimum valere, & necessariam esse ad res, de quibus agitur, perficiendas. *2. Controuersiam hanc de Conceptione rem esse grauissimam, & magna dignam consideratione.*

BEATISSIME PATER.

Consideratio in agendis necessaria.

1 RES magnæ, quantumcumque graues, & magni ponderis, si leuiter perpendantur, facillimè contemnuntur, & si quæ minoris sunt momenti medullitus discussæ, ipsæ ne negligantur impellunt, & vt solicitiùs fiant, ei, cui incumbit, inculcant. Quæ leuiter attinguntur nec studiosè enucleantur, quid momenti contineant non exactè percipitur; quid lateat periculi, non bene perspicitur. Vnde nec quæ circa illas cura impendenda, statim aut efficaciter præscribitur. Consideratione ergo in rebus agendis opus est, quæ, quid, qualitérue in vnaquaque faciendum sit, mente, studiosè depingit; *Quid* (inquit Bernardus) *tam ad omnia valens, quam consideratio, quæ ipsius quoque actionis partes, benigna quadam præsumptione, suas facit, præagendo quodammodo, & præordinando, quæ agenda sunt? Hæc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, &c.* Qui ergo mentem non applicuit ad considerandum, aut vix aut tepidè manus mouebit ad opus; *Ille quippe solus rei gerendæ est efficax, meditatur omne qui prius negotium.* Pro varietate autem negotiorum, debet esse, & considerationis modus, vt quæ grauiora sunt, grauiùs pensentur, & accuratiùs examinentur, nam quæ diuersi sunt ponderis, non æquâ libranda sunt trutinâ, aut eâdem iudicanda mensurâ. Magnæ res & magna meditatione, & non contemnendo meditatore indigent.

Bernard. lib. 1. de consideratione c. 7.

Ausoni. de Ludo Sapient.

Quam

2 Quam iam Tuæ Beatitudinis considerationi obtuli, & denuo refero, de Virginis Conceptione, quæ, quanta, qualisue sit, & Regis Hispaniarum continua instantia, & meæ humilitatis quotidiana solicitudo petit aduerti, & quid desuper spiritus infuderit populo proponi. *Magna sane res ista, & egens consideratione non minimâ. Quod si res magnas à Magnis considerare oportet; cui æque, vt tibi id studij competit, qui parem super terram non habes? Sed tu secundum sapientiam, & potestatem datam tibi desuper facies de hoc. Non est meæ humilitatis dictare tibi, sic, vel sic fieri quicquam; sufficit intimasse, oportere aliquid fieri, vnde & Ecclesia consoletur, & obstruatur os loquentium molesta.* Hoc saltem, modo mihi liceat Tuæ Beatitudini tot, tantisque circumseptæ negotijs, pro tui temporis modulo, licet non plenè pro voto, nec satis pro rei dignitate, cuius sit ponderis aduertere, quod per tria capita breuiter expediam.

Controuersia Conceptionis magnâ consideratione digna.

Bernard. lib. 2. de considerat. c. 1.

Rei grauitas.

§. I.

3 Considerandum, & dolendum in dubium verti tantæ Virginis Sanctitatem, cuius varia ex Sanctis afferuntur encomia.

4 Indecorè, & irreuerenter aduersarios agere de hac Controuersia.

5 Magnum & licitum honorem modò B. Virgini denegari, pro cuius vel leui quocunque priuilegio Patres omnes antiqui tam zelosè & fortiter dimicabant.

6 Christi honorem cum Matre communem iudicari.

7 Expenduntur, qui se in hac causa Virgini opponant.

8 Admirari quosdam, dissimulari tantum ac tale dissidium à Summis Pontificibus.

9 Quare in principio affirmatiua opinio, tolerata à Pontificibus.

10 Modo iubendum omnino taceri.

11 Suis & Apostolicis Decretis contraire aduersarios agentes de sua sententia.

12 Quam sperare possunt ex sua tenacitate victoriam?

3 PRæ omnibus serio expendendum, cuius in hac Controuersia res agitur; quid vocetur in discrimen, à quibus adducatur in iudicium. Virginis Mariæ, Dei Omnipotentis Genitricis causa discutitur, eius innocentia, eius honor & sanctitas vertitur in dubium, ab ipsis eius natis, ab ipsius Ecclesiæ filijs tanta res agitatur. Dolendum certè, imò, & lugendum eousque processisse disceptationis studium, vt illa vocetur in iudicium, quæ iudicandis mortalibus est affutura patrocinium, eius discutitur Mater, qui discussurus est omnes, & discrimen patitur, quæ cunctis obtulit

Dolendum controuerti de Maria sanctitate.

Elogia Sanctorum de Virgine.

Sedul. in opere Pasch. l. 2 paululũ ab initio.

Cyrill. hom. habita Ephesi p. 2. act. 1. Concil. Ephes.

obtulit remedium. Non est hæc fœmina communis, non de media plebecula Mulier, ipsas superiores transgreditur heroinas, *nec primam similem visa est, nec habere sequentem*, imò, & Angelorum quorumcumque superuolat ordines, superiorem, suum tantum agnoscit authorem. Hæc est illa Deipara Maria (vt in alia eiusdem Controuersia proposuit meditandum Cyrillus) *venerandus totius Orbis Thesaurus, lampas inextinguibilis, corona Virginitatis, sceptrum rectæ Doctrinæ, templum indissolubile, locus eius qui loco capi non potest, Mater, & Virgo, per quam is benedictus in sanctis Euangelijs nominaretur, qui venit in nomine Domini. Illa est quæ immensum incomprehensumque in sancto Virgineo vtero comprehendit, per quam Sancta Trinitas glorificatur & adoratur, per quam pretiosa Crux celebratur, & in vniuerso Orbe adoratur, per quam Cœlum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam Dæmones fugantur, per quam tentator Diabolus cœlo decidit per quã prolapsa creatura in cœlum adsumitur, &c.* [a] Hæc illa est humanæ naturæ venustas. [b] Hæc præclarum naturæ nostræ ornamentum, gloria luti nostri, quæ Euam pudore, Adamum comminatione liberauit, audaciam Draconis abscidit. [c] Hæc cœli & terræ inhabitatæ mysterium. [d] Hæc vnitarum inter se naturarum officina, Hæc salutaris reconciliationis panægiris. [e] Hæc animarum cœlum. [f] Hæc declaratio profundorum Diuinæ incomprehensibilitatis. Hæc scopus qui excogitatus est ante sæcula. Hæc summa diuinorum Oraculorum. [g] Hæc flos Sanctitatis, Vas cælestis gratiæ mundissimum. [h] Hæc vniuersum complementum totius Trinitatis. [i] Hæc illa de qua qui omnia illustria & gloriosa dixerit, nunquam à veritatis scopo aberrabit. [k] Hæc denique, quæ toties à Concilijs immaculata proclamatur, & in sexta Synodo, [l] *puritate fulgens, castitate lustrata, sancta, præclara, quæ Dei sunt sapiens, & ab omni contagione libera, & corporis, & animæ & intellectus* prædicatur, De hac controuertitur in qua nouo, [m] singulari, & excellentiore modo est Christus, quia idem quod ipsa [n] idem cum Virgine & ex Virgine. [o] Eadem etenim caro Christi, caro est Mariæ & caro Christi, quamuis gloriâ resurrectionis fuerit Magnificata: eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Maria. [p] Hæc illa de qua nisi Magnalia & mirabilia magna fides Catholica, certitudo miranda non recipit.

[a] Damascen. orat. 1. de Natiuit. Virg.
[b] Hesych. serm. 2. de laudibus Virginis.
[c] Epiphã. sermo de laudibus Virginis.
[d] Proclus hom. habita in Eccles. Mag. Constãt.
[e] Andr. Hierosol. in salut. Angel.
[f] Andr. Creten. serm. de Assumpt.
[g] Bonifa. 9. in Bull. superni Benignit.
[h] Helych. hom. 2 de B. Virg.
[i] Basil. Seulec. Episcop.

[k] A multis Hispan. a. 6. Synod. à Trident. & alijs. [l] Sexta Synod general. actio 11. [m] Damian serm. de Natiuitate Virginis. [n] Proclus citatus. [o] Author. serm. de Assumptione apud Augustinum. [p] Ioann. Rex Aragon. Priuileg. 11.

4 Hæc

4 Hæc illa eſt quæ pro tribunalibus fertur, in omnium ore diuerſimodè, & quorundam linguis vſquequaque indecenter agitatur, fuit qui dixerit in magno populi concurſu, ea quæ grauiſsimi Magiſtri, & Doctores cuiuſdam Academiæ de eius Conceptione immaculata predicauerant, technas eſſe, & chymeras. Eſt, qui irreligiosè, & pro contemptu dicat (quod licèt verum eſſet, pro inſultantis vel exprobrantis modo, aures perterritat) nullam fuiſſe Virginis Mariæ in ſua Conceptione à cæteris Mulieribus differentiam; imò & contumelioſius addidit, non fuiſſe melioris conditionis ſanctiſsimæ Mariæ, quam ſpurciſsimi Mohometi conceptum. Alia irreligioſa addiderũt alij, quæ religioſum erit tacere, ſic ignominioſè tantæ Virgini debitus honor, & licitum beneficium (*cuius erga nos beneficiorum non eſt numerus*) æmulatoria diſputatione negatur. Quid tandem deneget adiungo.

Irreligioſè in hac Controuerſia agitur.

German. Conſtantinop. de zona Virginis.

5 Gratiarum vberrimo fonti, gratia negatur, cœleſtium donorum aquæductui, magnum, & ſingulare donum ſubtrahitur in eius conceptu, in primo eius vitæ limine ſanctitas & innocentia procul ablegatur, & huius loco ſubintroducitur fœditas, ſpurcities, & macula noxæ originalis, quæ in Adamo omnes conſtituit æquales tributarios. Præclarè certè cum tanta agitur Virgine, egregiè illius cauetur honori. Heu quanta priſcis temporibus de eius laude ſolicitudo? quale defendendæ Virginis ſtudium? quas excitauit Conſtantinopoli lites, clades, & mortes dum ab Anaſtaſio tenaciſsimo Neſtorij Comite, & poſtea ab Euthyche de diuina eius dubitatum eſt Maternitate? quos intulit tumultus? quæ excidia, quot cum diuerſis refractarijs congreſſus quotieſcumque aliquantulam illius vel leuiter negarunt excellentiam. Qualia exhibuerunt tot, tantique Eccleſiæ Pontifices, & Doctores ſuæ deuotionis indicia, dum varijs temporibus controuerſum eſt de eius maternitate, integritate atque innocentia, etiam antequam hæc ab Eccleſia definirentur? Quod portentum illud ſæculis inauditum, nullo ante exemplo firmatum, aut Lege eccleſiaſtica præſcriptum, tremendum, admirabile, & omni veneratione dignum Theodori Pontificis factum: Dum Pyrrhus Monothelitarum Sectator, & præcipuus fautor vnam tantum in Chriſto admittebat voluntatem per quam hæreſim, totam diſpenſationẽ Sacramenti incarnationis, & conſequenter Mariæ veram maternitatem negabat, & Neſtorij verbis & ſententijs ardenter adhærebat, vt contra eum deduxit, & efficaciſsimè intulit

Quam ſtudioſi antiqui Patres cuiuſcumq́; honoris Virginis.

intulit ſanctus & præclarus ille Archymādrita Maximus in celebri diſputatione habita in Africa cum eodem Pyrrho coram Gregorio Patricio, quam videre licet tom. 2. conc. p. 2. poſt Theodori vitam; & apud Baronium in fine tomi octaui. Dum (refert Theophanes) Pyrrhus *poſt obtentam veniam ob retractatas hæreſes, iterum tanquam canis ad vomitum ad caſdem reuerteretur, idque compererit Theodorus plenitudine conuocatâ Eccleſiæ, ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit, & diuino Calice expoſtulato, ex viuifico ſanguine in atramentum ſtillauit, & ita propria manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati fecit.* O reuerendum Pontificis zelum, circa verbi incarnati diſpenſationem, & Mariæ ſingularem prærogatiuam. Aequum duxit Matris calumniam, filij ſanguine detergendam, nec inhonorum eſſe putauit, quod circa viuificum fieret calicem, dummodo per facti ſingularitatem, Mariæ populo teſtaretur excellentiam.

Theoph. ann. 20. Heracl. Imperat. in Anal Græcor. Baron. an. 648. & in notis ad vitã Theodori. tom. 2. conc. par. 2.

Chriſti & Mariæ honor communis.

6 Perſpectum habuit Pontifex filij erga matrem affectum, quem quiduis circa ſe patrari velle cognouit, dummodo Matris prouideatur iniuriæ. Ideo eum voluiſſe naſci ait Ambroſius ex Virgine deſponſata, *ne temeratæ Virginitatis adureretur infamiâ, cui grauis aluus corruptelæ videretur inſigne præferre. Maluit enim aliquos de ſuo ortu, quam de Matris pudore dubitare.* Communis eſt vtriuſque cauſa; ſibi cauet dum Matris repellit ignominiam, ſicuti enim *gloria Filiorum ſunt Patres eorum* ipſo S. Sancto atteſtante, ita viciſsim (ait D. Thom.) per oppoſitum ignominia Matris ad Filium redundat, propter quod in B. Virgine peccatum veniale originali leuius, fuiſſe negauit. Quod [a] & mouit Auguſt. cum de peccatis (ſiue de actualibus ſolum, ſiue etiam de originalibus modo non diſputo) contra Iulianum ageret, *propter honorem* (inquit) *Domini nullam volo de Maria habere quæſtionem,*[b] *Filij etenim* (cum Fulb.) *gloriam non tam communẽ cum Matre iudicauit, quam eandem:*[c] Attamen nec corporis integritas, nec Dei maternitas erat bonum Virgini eligibilius, præſeruatione ab originali, nec illud iuſtè potuit huic præferre, dummodo optio daretur vtriuſque. Nec veniale peccatum, quod D. Thom. & Auguſt. (quem modo demus hoc ſolum voluiſſe) propter Filij honorem ab ea excludendum iudicarunt, ita graue Virgini inferret damnum, nec tam turpiter fœdaret, ſicuti originalis reatus. Nec enim in hac re futilis diſtinctio de magis aut minus voluntario, negotium faceſsit, dum maior eſt macula, & infamia in Filij opprobrium, huius, quam illius. Ad

Ambroſ. lib. 2. in c. 1. Lucæ tom. 3.

Proverb. 17. nu. 6.

D. Tho. 3. p. q. 27. art. 4. in corpor.

[a] Auguſt. li. de nat. & gratia c. 26.

[b] Fulbert. Carnot. de natiu. Virgin.

[c] Ita expreſſe tenent Medina de pœnitẽt. q. 6. & de orat. q. 7. Rutil. in Magnificat. Cordub. li. 1. quæſt. 44. Morales lib. 3. in Matth. 1. Tract. 1. n. 56. Suarez. 3. p. q. 27. art. 2. diſput. 3. ſect. 5. & alij.

hoc vo-

hoc vocatur Maria in iudicium, vt peccasse cum cæteris dicatur hominibus in sua origine, & actualem peccati maculã contraxisse. Peccati, rerum omnium turpissimi, accusant, & non peccasse aut non deliquisse, *quod primum fælicitatis genus est*, creaturarum fælicissimæ audent denegare.

D. Cyprian. Epist. 3.

7 Qui verò Virgini hoc negotium facescunt? Quinam superni iudicis Matrem in iudicium vocant, quam cæteri omnes innocentem prædicant, immaculatam omninò, vndiq; & semper sanctam proclamant? Inter Catholicos soli, & pauci vnius Instituti viri, & vnus vel alter ab illis edoctus, Deiparam Mariam noxæ ream, maculatam, non sanctam in suo Conceptu affimare non verentur. Ordo sanctissimus peculiari obsequio Virgini addictus, specialibus institutis adstrictus, innumeris ab eadem Virgine acceptis beneficijs deuinctus, cæteris Ordinibus, Magistris, Doctoribus, Academijs, Ecclesijs, & communi populi Christiani deuotioni, & pietati in neganda summa hac excellentia Virginis, in animarum iacturam & populi scandalum hinc quotidie exorientia, semet opponit. Dolendum certe quod *cum in cæteris gloriose* (ait ex ipsis vnus dignitate & litteris clarus, Catharinus) *incedat, hoc vnum retinet, quo plurimi scandalum merito patiuntur, quoniam multi illorum* (non enim omnes) *illam Virginem maculâ aspergunt, quam omnis Ecclesia sponsi vocem audiens, concinit penitus immaculatam. Rem certe hanc* (inquit idem) *minime vlterius dissimulandam, & forte diutius, quam præstabat, dissimulatam.*

Qui negãs immunitatem Virg. ab origin.

Cathar. in exhortat. ad Patres Ord. Prædicatorum. Idem in Epist. ad Patres Concil. Trident.

8 Si res cum Hæreticis esset, qui censoriam Ecclesiæ virgam non timent, qui orthodoxorum Prælatorum obedientiam excutiunt, qui nihil se rectè sentire putant, dummodo à communi Ecclesiæ sententia non recedunt; nullus esset admirationi locus; dissimulare Pontifices dogmatis discordiam, si in re minus leui, pluribus Doctoribus approbatâ Ecclesiæ, & Pontificibus receptâ, magnæ alicui Ecclesiæ parti familiari; si in doctrina Ecclesiæ grata, populo salutari, affirmantibus, aut docentibus Pontifex conniueret; nulli mirum appareret. At graue, ingratum, & vniuersis exosum, dissimulare dissidium, non præcipere, vt huius fomentum & causam tollant obedientissimi Ecclesiæ filij, qui citiùs dicto pareant, non relegari opinionem, à doctissimis, & sapientissimis Ecclesiæ viris reiectam, populis vndequaque grauem, & molestam; non est qui grauissimè non doleat, & summopere non admiretur.

Mirum tantisper dissimulari cũ aduersarijs.

Quare dissimulauerint primi Pontifices. 9 Quod si in principio tolerata & Pontificum fauore, omnino necessario, protelata est; ideo factum iudicant doctissimi Viri, & præcipuè Ioannes Maior, *vt pacem inter concionantes alerent, suspicantes illos temporis lapsu suopte ingenio cessuros, cum omnes plausibiliter piam sententiam assumant & inuitè oppositam. Rebatur* (inquit inferius) *illorum placitum breui pessum ire optimus ille Sixtus IV.* Præterea illis sæculis non paucos habuit fautores Scholasticos, imò (vt illis videbatur) aliquos Patres, qui (vt ait Maior) *colore aliquo fulciebantur illo priore sæculo: sed in hoc, penitus ratione vacat.* Imò & Cano Prædicatoriæ familiæ Magni nominis vir dicit, *modo infirmum ex horum omnium authoritate duci argumentum.* Quare tantorum fautorum, quorum tunc rationem habuerunt Pontifices, iam cessat authoritas, nec tunc vrgebant grauia, quæ modo experimur incommoda.

Ioannes Maior in c.1. Lucæ ad illa verba, *Aue gratia plena.*

Canus de locis lib.7.c.1.

Non dissimulandum vlterius. 10 Dum grauissima illa Controuersia de vnitate, vel pluralitate voluntatum in Christo adhuc dubia erat, disputatio adhuc anceps, quælibet pars multis defenderetur authoribus, nullumque exinde notorium populo aut Ecclesiæ emergebat periculum, tantisper dissimulatum est; ab Honorio vtrique parti indictum est silentium. At posteaquam ceruicosâ disputatione ab ijs, qui à recto tramite deuiabant, violatum est, & magnus in populo timebatur tumultus, statim indicto Concilio Laterani, Martinus I. veram diffiniuit sententiam, quamuis Imperator, & multi ex Græcis essent pro contraria; nec enim vllus locus potuit esse silentio, vbi nullus iam liber erat à scandalo. Quantum & quale sit vel ab affirmatiuæ opinionis fautoribus datum, vel à doctis & indoctis auditoribus acceptum, (cui etiam obueniendum) non vnum, aut alterum, sed plura testata sunt sæcula, experientia ipsa demonstrat, & quoties in diuersis Prouincijs ob populorum dissidia tacere iussi aduersarij, & suam sibi occultare sententiam, nec vllatenus eam in medium proferre, hoc omnibus compertum. At quod in aliquibus cautum est Regionibus, Tumetipse (Pater Sanctissime) ob exorta scandala grauissima in omnibus vbique terrarum locis in publicis actibus præcepisti. Sed violatum est audacter ab Aduersarijs silentium, vt certissimè tibi proposui; suis exilijt è latebris delitescens parumper opinio, ad grauem populorum commotionem & notabilem Apostolici Decreti contemptum.

Baron. an. Dom. 648. n. 8.

11 Eo

11 Eo grauior hæc res omnibus visa est, quo sanctiores & doctiores sunt aduersarij, quo in cæteris sunt obsequentiores suis, & Canonicis institutis; sed vtrisq; posthabitis, interrupto silentio, & vltimum tuum Sanctissimum paruipenderunt Decretum, & quoddam suum (si statutum cum alijs dicam) ad annum 1524. quod in Manuali, vel Chronicis breuiusculis ipsorum circumfertur, & vidi sub his verbis *ordo Prædicatorum sustinuit hucusque opinionem, quòd Beata Virgo fuit Concepta in originali, sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius vtilitatis, & valdè scandalosa, &c.* Imò, & aliud grauissimum ad annum 1602. factum (vt fertur) sub Reuerendissimo Generali Xauierre, in quo præcipitur, quòd de hac opinione non protrahatur vlterius controuersia. Sed & in suis constitutionibus sanctè præceperunt Prædicatoribus, à scandalis abstinere, sub his verbis. *Caueant fratres nostri, ne ponendo in cœlum os suum* (ô quale cœlum Maria!) *in suis prædicationibus Religiosos & Clericos scandalizent.*

Refragantur suis & Canon. institutis aduersarij.

Manuale Prædicatorum c. 20. in Chron.

Constit. Prædic. distin. 2. c. 12.

12 Quare hæc non obseruant? vt quid his non obediunt? solùm, vt maculam Dei Matri inurant? peccatum impeccabilis vel effingant vel propalent? vt fœdatam, & labe turpissimâ respersam omnibus expandant? Hicne quem sperant ex diro certamine triumphus? Hæc ex pertæso, & molesto cõgressu victoria? Hoc conamen? Hic ardor? Hoc desiderium? Demus assequutos: quæ trophæa? quæ spolia victoriæ? Mariæ ignominia, populi luctus, mæstitia, horror, erga Dei Matrem imminuta deuotio. Et tum demum ipse Populus, Clerici, Religiosi, Magnates, Principes scandalizentur in magnam suarum animarum iacturam. Lugendum certè ipsius Mariæ filios (quo nomine gloriosè & iustè gloriantur) tam malè de Maria audire, talia in Mariam effutire, & qui ad populi ædificationem institutus est ordo, sit illi modo per molestam & longam contradictionem, in lapidem offensionis, & eius vertatur in scandalum.

Quem sperant triumphum.

Hæc aliquantulum depicta rei grauitas (Pater Sanctissime) de Dei Genitrice agitur, de peccato arguitur, peccati rea vocatur in iudicium, charissimi eius filij leuauerunt contra immaculatam eius Conceptionem vocem suam, primos vitæ gressus maculatos fuisse contendunt. Quæ hinc sequantur incommoda, paulò fusiùs aduerte.

Rei Periculum.

§. II.

13 Indefessum pro maculata Conceptione studium, alienum esse à mente Ecclesiæ & Summorum Pontificum.

14. Multam præbere hæreticis occasionem res nostras sinistrè iudicandi.

15 Non esse valdè consonum ritui Ecclesiastico.

16 Multam hinc emergere animarum iacturam.

17 Quotidiana etiam fidelium scandala populorum.

Quanta sit Ecclesiæ authoritas pro opinione negatiua.

13 NOn inaniter cordati viri iudicant continuum hoc pro maculata Conceptione studium, Ecclesiasticæ authoritati præiudicare, ansam sinistris hetherodoxorum præbere oblocutionibus, ritui contraire Ecclesiæ, non mediocrem ex eo oriri animarum iacturam, & multam scandalorum occasionem. Vnumquodque singillatim expendam. Ecclesiæ authoritas in multis rebus vel maximè firmatur, aut præcipuè stabilitur consuetudine, vt latè probant vtriusque Iuris Doctores ad titulum de Consuetudine, & Scholastici ad 2. 2. quæst. 91. artic. 1. & quæst. 93. arctic. 2. cum Diuo Thoma, & Diuo Augustino, quem ille citat. Ita verò consueuit varijs modis Ecclesia opinionem fouere piam, eique fauere, vt ex consuetudine & vsu Ecclesiæ adeo iam cæperit apud eam præualere, vt nesciam, quam maiorem probabilitatem & authoritatem habuerit alia quæque opinio in Ecclesia Dei antequam definiretur. Nihil huic deesse aliquis dicet, nec vlterius aliquid adijci necesse putabit, vt definiatur.

Doctores fermè omnes & Episcopi eandè sectantur.

Vincent. Iustin. in addit. ad vitam Ludouici. Beltrani paragr. 7.

Communis est recentiorum consensus, nullus pænè est Doctor qui his bis centum annis (præter vnius Instituti viros) scripserit, qui hanc tenaciter non tenuerit, nulla pænè est iam Academia, quæ alterius fieri patiatur mentionem, (vt cordate considerat Vincentius Iustinianus Prædicatorij Ordinis eruditus Magister) imò & celebriores quæque voto se adstrinxerunt semper piam defensuras. Ex Episcopis & Ecclesiæ Principibus etsi solicitè, & meridianis lucernis perquirantur, paucissimi erunt, aut nulli, qui affirmatiuæ subscribant.

Summi

Summi autem & Romani Pontifices, qui hucusque post motam hanc quæstionem extiterunt, ita vniformiter negatiuæ adhæserunt, vt nullus ne vel leuissimum contrariæ exhibuerit fauorem. Plura ediderunt Diplomata huic sententiæ adeo fauorabilia, vt nisi qui non videre voluerit, solus non perspiciet, in illis spiritum latitasse interiorem, eoque semper incitasse vt huic parti magis se inclinarent. Hoc ipsi clariùs significarunt, dum Festum, Officia, Missam, expressè immaculatam testantia Conceptionem instituerint, dum maximas elargiti sint indulgentias hanc eandem celebrantibus, dum sub titulo, & in honorem Conceptionis immaculatæ, duas erigi inter fratres Minores integras Prouincias voluerint, & religionem non modicam Monialium approbauerint, quarum Instituta & regulam, quinque celeberrimi confirmarunt Pontifices. Norma autem viuendi harum Sanctimonalium, mystica habitus significatio, & rationes, quæ in constitutionibus illarum assignantur, vt fratrum Minorum curæ & regimini subijciantur, & Decretum Concilij Basiliensis, quod ad verbum per lectiones distributum in officio recitabant ex concessione, & confirmatione tantorum Pontificum, quid illi, & precipuè inter illos, Iulius II. & Leo X. in hac parte senserint, aperte declarant. *Romani etiam Pontifices.*

Quid tandem tumetipse (Pater Sanctissime) inter Pontifices tempore vltimus, meritis & sanctitate non infimus, in hac parte senseris, quam intus foueas, quam amplexeris opinionem, quo calescas igne, quo ardeas feruore in immaculatam Mariæ Conceptionem, tumet noueris in pectore, & nos perspicimus in opere. Ad quid Aras extruis? Mundi optimum ædificas sacellum, (cui post multos annos, faxit Deus, venerandum Corpus es traditurus) in Mariæ immaculatæ honorem. Quo spectat pulchram & magnam æneam illam superauratam Conceptionis Virginis statuam, admirandæ altitudinis & magnificæ molis, columnæ superstruxisse, omnibus videndam, cunctis venerandam, vniuersis adorandam? Leuastin' in signum cui credetur? Testimonium Pandisti veritati? Nonne voluisti, vt quod sacrâ latet in mente, in tantâ pateat imagine? Vt quid populos ad Conceptionem celebrandam, & claris verbis prædicandam spiritualibus fauoribus inuitas? Vt quid tot Diplomata tradis? Oracula diuina eructas? Aliam iubes taceri sententiam? Nisi quia Prædecessorum & Patrum more piorum, totus, totus abis in piam, & iam tua tam ma- *Quantopere ei faueat qui hodie sedet Paulus Quintus.*

 nifesta

nifeſta propenſio in hanc partem ita populum moueat, vt immobilem, & duro caucaſo natum ſe putet, qui tuo non rapiatur exemplo, & in credenda immaculata Conceptione ſanctæ Eccleſiæ ſe inniti non putet authoritati?

Ei maximè adſtipulari Eccleſiæ authoritatē, grauiſſimi indicant Viri.

Surius in appendice Naucl. ad ann. 1509.

Ferreol. Locrius lib. 6. c. 1.

Ita teſtatur Catharin. 2. p. ſui tract. pro immacul. Cõcept. ad Cõcil. Trid. c. 1.

His ergo & ſimilibus fauoribus allectos, non leuiter & ſine fundamento dixiſſe putabimus (vt alios plurimos clariſsimos teſtes omittam) doctum ſane virum Laurentium Surium *opinionem de immaculata Virginis ſanctiſſimæ Conceptione videmus ab Eccleſia receptam;* & Locrium Germanum Antiſtitem, *Eccleſiæ Romanæ authoritate accedente, non modo in Lugdunenſi Diœceſi, ſed Gallia, ſed Germania, ſed Italia, Hiſpania, Europa ipſa denique tota, imò integro Chriſtiano orbe eiuſmodi ſolemnitas Conceptionis B. Virginis obſeruari cœpta eſt, & hactenus perſeuerat.* Hæc Eccleſiæ authoritas Doctiſsimum Virum, & Prudentiſsimum Auguſtinenſium quondam Generalē, Thomam Argentinam in hanc (vt ipſe fatetur) protraxit ſententiam. Ipſum Manuale Prædicatorum citatum ait, *iam non eſt curandum de opinione maculatæ Conceptionis, præſertim cum tota fere Eccleſia, cuius vſus & authoritas ſecundum B. Thomam præualet dicto Hieronymi, & cuiuſcunque alterius Doctoris, iam aſſerat, quod fuit præſeruata.*

Clemens VIII. eidem fauit.

Sit mihi huius Eccleſiæ authoritatis validum argumentum: Clementem VIII. bonæ & ſanctæ memoriæ Pontificem, diplomate emiſſo iuſsiſſe, vt Compendium Doctrinæ Chriſtianæ eiuſque declaratio ab Illuſtriſsimo Cardinale Bellarmino edita, examinata, & approbata à ſacra Congregatione reformationis, poſthabitâ aliorum Compendiorum varietate, ab infantulis & fidelibus addiſceretur, ijſque vteretur congregatio Doctrinæ Chriſtianæ in pueris edocendis, vel erudiendis. In quo tamen Compendio cap. 5. ad hunc ſenſum explicantur illa verba ſalutationis Angelicæ, *Gratia plena. Ideo* (explicat Bellarminus) *hoc dicitur, quia quantum ad primum effectum gratiæ, qui eſt delere peccata, Virgo ſanctiſſima nunquam habuit maculam aliquam peccati cuiuſquam, nec originalis, nec actualis, mortalis aut venialis.* Hoc lacte benigna & chara Mater Eccleſia ſuos voluit filios educari. De cuius fidendum eſt pietate, non venenum falſæ doctrinæ, ſed cibum ſalutiferum, & potum ſalutarem veri dogmatis ſemper propinaſſe fidelibus.

Tenacitas contraria authoritatis Eccleſiæ detrimentum.

Quid ergo? erit, qui authoritatem Eccleſiæ pro hac parte ſtare negabit? erit qui alteram eiuſdem authoritati contraire inficiabitur? Nonne minorem dices, cui deeſt, aut defuit in hac parte

magna

magna pars alicuius Instituti, quam maiorem affirmares, si illa conueniret, vel si nullam afferret eius consensus, nec vllam auferet, aut habebit eius dissensus, propter quam retardetur Summus Pontifex à definitione. Illud timendum Ecclesiasticæ authoritatis præiudicium, ne qui non bene sapit, nec permissionem aduersæ sententiæ percepit, dicat sibi quidquam licere, etiam si in contrarium tendat Ecclesia, dum sanctissimi & doctissimi Instituti viros, tantæ illius videt authoritati non conformari: *Quod certe* (inquit Catharinus) *in Summorum Pontificum & omnium Ecclesiarum non leuem contumeliam apertè vergit.* Non leue est negotium, à quo tantæ imminet authoritatis periculum. Cathar. in Prolo. ad Patres Concil. Trident.

14 Nonne & derisuros Hæreticos timendum est, dum viderint inter nosmetipsos non constare, quid credendum aut tenendum sit, quibusdam, imò fere omnibus, affirmantibus, pauculis admodum negantibus, post tot tantosque disceptationis annos, quibus vtrinque plus satis congressum est, & sæuitum? Prædicator veritatis, & doctor gentium Paulus Apostolus eorundem cachinnis, & derisionibus voluit obueniri dum tanto affectu & conamine Philippenses orauit, vt omnes tollerent è medio dissensiones dicens, *si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, & candem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, &c.* & infra reddit rationem, *omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus*, siue (vt habet textus Græcus) *disceptationibus. Vt sitis sine querela & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ.* In quem locum Caietanus, *Considera* (inquit) *prudens Lector hæc tria & confer cum contentione, & perspicies, quam apte Paulus hæc colligat, vt sint quoad veritatem puri, quoad mores irreprehensibiles, quoad proximos, ne dent occasionem querelæ, horum enim opposita familiaria sunt contentiosis, disceptantibus, & murmurantibus, & tanto magis studendum est, vt tales se exhibeant, quales Paulus petit, quanto sunt in medio nationis tum prauæ, tum distortæ, omnia illorum facile interpretantis tortuosè aut prauè.* *Irridebunt Hæretici nostras simultates.* Ad Philip. 2.1. Idem n. 15. Caietan. ibidem.

Qualiter nostras actiones & intestinas interpretabuntur Hæretici discordias? Qualiter nostras nobis obuertent contentiones? si Ecclesiasticam illis prædicamus concordiam, nonne nostram nobis obijcient discordiam? si pacem, & vnitatem commendamus, nonne lites nostras & dissensiones nobis opponent? si cultum Virginis inculcamus; circa eum apud nostros dubitari nonne dicent? *Ex ijs, quæ contra nos inferent.*

 si insa-

ſi inſanam illorum Britannicam exprobramur definitionem, quâ Virginem, & in peccato conceptam & natam pronunciarunt; reſpondebunt ex noſtris eſſe, qui idem, quod illi de Conceptione affirment. Quod verò ad Natiuitatem attinet, non plures ſibi pro illius ſanctitate ſuppetere ſacræ Scripturæ authoritates, quam pro Conceptione, nec validiora pro illa ſtare Patrum teſtimonia, quàm ex authoritate Eccleſiæ deſumpta, quam paruipendere dicent hos noſtros aduerſarios. Si nouiores hæreticos incuſamus, quòd Virginem Deo gratiſsimam, aliquando vel venialiter peccaſſe aſſeruerint, replicabunt, ex Catholicis eſſe, qui grauius imputent ſcelus, aut næuum peccati originalis. Quòd ſi pro iſtis dicamus vel admittamus aliquos eſſe Patres, qui ita ſenſerint; plures, & grauiores eſſe dicent, qui actualiter peccaſſe expreſsè tradiderint. Si dedecus & Matris & Filij hoc aſſeramus; maiorem, & turpiorem hanc, vtriuſque prædicabunt infamiam. Si iam tandem vltimum contorqueamus telum, ſanctam natam, ſanctè ſine vllo peccato vixiſſe, & gloriosè animâ, & corpore ad cœlos euolaſſe, nos firmiter credere dicamus, ſolum propter maiorẽ Virginis Excellentiam & magnam Eccleſiæ authoritatem; idem in nos retorquere non verebuntur iaculum, nihil horum tantum Virgini tribuere, quantum per peccati originalis maculam, quam eidem ingerimus, ab eadem auferimus; nec paucas adhibuiſſe Eccleſiam diligentias, aut parum ſuæ authoritatis in hoc vno ſtabiliendo conſumpſiſſe.

Videndi pro hac obiectio: Vega lib. 14. in Trid. c. 18 Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 4. ſect. 3. & Vaſq. tom. 2. diſp. 120. c. 3. & 4.

Pacis inimicos nos dicent.

Ioan. 14. 27.

Quid ergo poſt has apparentes ſolutiones adijcient? Hoc vtique, nos, qui pacem illis prædicamus, nos, quibus arctiſsimè commendata eſt, *imò & data, & relicta à Chriſto,* tantam & talem reſpuere hæreditatem, diuino renuntiare legato, & noſtris diſceptationibus, voculis, & ſenſu diuerſis, Eccleſiaſticam turbare quietem. Nihil tam mouit Conſtantinum Pogonatum, vt in ſua Diuali ad Donum Pontificem datâ, ſed Agathoni eius immediato ſucceſſori contradita, peteret ſextam cogi Synodum, quàm ne fides noſtra per varias contentiones Conſtantinopolitanas & Græcorum in contemptum, & deriſum apud hetherodoxos abiret. *Animo* (inquit) *dolebamus vltra omnem dolorem, tam pro exprobratione, quæ nobis ab inimicis inferebatur, & propter ipſam veritatem, quòd Pontifices ſecundùm vos, & orthodoxus noſter populus propter quaſdam nouitates vocum, in ſchiſma incidiſſet, exultatioque ex hoc fieret impijs & hæreticis, attamen, &c.* Nec Cyrillus potiori ratione quàm ex Eccleſiæ, & Eccleſiarum famâ & æſtimatione

Conſtãt. in epiſt. ad Pontificem Donum.

tione Nestorium voluit commouere, vt à pertinacia, qua Deiparam esse, negabat Mariam, in illud vsque tempus non expressè definitum, discederet, dicens: *Ne graueris obsecro ijs, qui non leuiter offensi sunt, vnam hanc Theothocos vocem largiri, sacramque Virginem Deiparam appellare, quo illis, qui non leuem hinc mæstitiam ceperunt medentes, & nostræ quoque famæ & æstimationi consulentes, in populorum pace animorumque consentione Ecclesiasticos conuentus celebremus.* Hunc Hæreticorum derisum ita hi suis temporibus ex Ecclesiasticorum dissidijs timuerunt; in tanta, & tam inueterata, & protracta contentione, nos quid expectabimus? exprobrationem, improperium, & derisum ab his, qui in circuitu nostro sunt. Heu quàm nostris (Pater Sanctissime) gaudent, & tripudiant inimci, dissidijs!

Cyrill. ad Nestor. Epistola in Concil. Ephes. p. 1. c. 6.

15 Ecclesiasticos etiam ritus nonne facilè contemnet quis, quos à grauissimis & doctissimis Viris viderint reprobari? Maculatæ Conceptionis fautores non solùm verbo, sed & facto contrarium celebrantes, ritum Ecclesiæ in Virginis Conceptione celebrandâ respuunt, dum nec facto, aut verbotenus volunt cum eadem cohærere. Insuper sudant, insudant, & totis viribus vniuerso hominum generi persuadere nituntur, se solos in hac re pro veritate sapere, & cæteros omnes tam in doctrina, quàm in cultu aberrare. Quod certè adeo horruit, & molestè tulit Episcopus Catharinus, Ord. Præd. vt ad ipsos suos Patres, nostros in hac re aduersarios, hæc verba habuerit; *Quod si patimur (ô Patres) hanc persuasionem inualescere, & apud eos etiam vigere qui se maximè Catholicos profitentur, certè (quod cum dolore dico, dicam tamen, quia veritas est) Lutheranæ sectæ, imò communi omnium hæreticorum errori pernitiosissimè fauemus. Nam in hanc petram in omni suo dogmate impingunt, omnia respuentes, quæ ab ipsa fiunt sine Dei verbo (vt aiunt) expresso. Quid si quis obijciat illos minus irrationabiliter quàm vos in hac parte loqui? Nihil enim non certum admitti volunt in cultu Dei, quod quidem sapienter dicitur propter periculum idolatriæ quo stante in eo solùm aberrant, quod nihil certum esse arbitrantur etiam ab Ecclesia probatum, nisi fuerit verbo Dei, & in scripturis expressum, ideoque totam Ecclesiæ faciem deturpant: Vos autem dum in ijs ordinandis, atque instituendis, quæ ad cultum Diuinum pertinent, aberrare posse Romanam & vniuersalem Ecclesiam existimatis, ac de facto in hac celebritate aberrare contenditis, incertum nobis omnem Diuinum cultum redditis, & nutantem facitis Christianam fidem, quam præcipuè in Diuino cultu profitemur, atque protestamur. Minus autem insipienter erraretis, nullos penitus cultus admittendo, quos Ecclesia instituit, absque Dei verbo*

Præiudicat contraria sententia Ecclesiastico ritui.

Catharinus citatus p. 2. c. 1. au. fin.

expresso

expreßo (vt habet Lutheranum Dogma) quam illos admittendo, fateri simul poße eos esse mendaces, vt cuique liceat ad libitum vel admittere vel negare, absque nostræ fidei præiudicio & scandalo. Hæc Catharinus.

Certè horrendum est, & terrorem incutit audire, ipso eodem tempore, quo alij Sacerdotes tremendum potestatibus, salutare & viuificum Mysterium & incruentum sacrificium Corporis & Sanguinis Domini offerunt Omnipotenti Deo in laudem & honorem immaculatæ Conceptionis Virginis, profitentes ex concessione, institutione, ac ritu Ecclesiæ eam à peccato præseruatam, alij insuper insultent, hæc derideant, reprobanda doceant, falsa, chimeras, & figmenta esse diuulgent; quod nescio, quomodo ipsismet horrorem non ingerat, pauere ac trepidare non faciat. Non potuit insignis eruditione, & pietate conspicuus Ludouicus Blosius de his non admirari; *Modo* (inquit) *in orbe Christiano Catholici sequuti ipsam Romanam Ecclesiam, festum illud iam olim receptum alacri, lætáque deuotione celebrant, recolentes exordium nostræ fælicitatis, quando scilicet nobilissima anima Mariæ à Deo creata, & ipsius sanctissimo corpusculo citra originalis culpæ contagionem infusa fuit. Quapropter mirum sanè est, adhuc in nostro æuo inueniri aliquos, qui hac in parte non satis illuminati, puritatem Conceptionis eiusdem Beatissimæ Virginis vocent in dubium, & suam opinionem ea in re obstinatiùs tueantur.* Mirum etiam est amantissimos Ecclesiæ filios eius authoritatis, & ritus zelosissimos aliâs propugnatores & sedulissimos Promotores, in hac re tantam ac tam manifestam perhibere occasionem, vt vel ab inimicis ritus Ecclesiæ omnino contemnatur, vel à nostris, quorum præ oculis patulum manet exemplum, aliquantulum negligatur, facilè etenim quisquis contemnet, quod tot eruditi despiciunt.

Ludouic. Blosius in dictis Patrum c. 5.

16 Animarum etiam iacturam non modicam quis non timebit inter tot dissidia, dissensiones, & tumultus populorum, & dissonantiam Doctorum? Perplexi, animo suspensi, iudicio dubij, nesciunt aliqui, quo se vertant, cui adhæreant opinioni, dum vtramque suis fouere, & tutelari videant fautoribus. Hanc vident consensu totius pæne orbis, & (vt ait Caietanus) *multitudine sequacium, & fauoris amplitudine conspicuam*; illam continuo, & instanti multorum grauissimæ familiæ patrocinio, non prorsus destitutam: Nonnulli minùs docti hærent, cui parti firmiter hærendum, fluctuantes dubitant; quid de concertantium discordiâ sentiant, pauidi ignorant. Qui ad fidem nouiter accedunt in Hispaniæ Regnis, quibus

Concertatio hæc animarum parit iacturam.

Caietan. opusc. de Concept. in fine.

quibus non paruus eſt Neophytorum numerus, ex tot deuictis infidelium Regnis aduentantium dum diſsidentibus inter ſe fidei Magiſtris & Doctoribus, ab vnoquoque in ſuam vocantur ſententiam, poſt quem abeant, cui credant, cuius teneant doctrinam, non audent deliberare, ne errent; vt certam teneant viam, circa hoc, & cætera quandoque fidei myſteria, differunt aſſenſum, quod aliquando, & multoties euenire poterit, cum magno animarum diſpendio. Huius rei conſideratio non minima, & ſcrupulus non leuis mouit B. Theodoretum, vt ſententiâ & cauſâ cederet, cum B. Cyrillo Alexandrino (in quem plura ſcripſit & dixit) in opinione conueniret, & de vera cognoſcenda B. Leonem Pontificem conſuleret; *Mihi* (inquit) *Dominus Deus eſt teſtis, quod nec honor curæ eſt, nec gloria, ſed tantum ſcandalum, quod factum eſt, quod multi ex ſimplicioribus, & maximè, qui ex diuerſis hæreſibus à nobis capti ſunt, ſedem eorum, qui nos condemnarunt attendentes, exiſtimabunt nos fortaſſe hæreticos, vt qui quod ſit rectum perfectumque dogma, videre nequeant.* Quod ſi noſtri Nouelli iam tandem viderint, & huic vel illi opinioni adhæſerint, tamen ita agitantur Eccleſiaſticorum tumultibus, & Religioſorum diſcordia, vt nec de animarum profectibus cogitare valeant; quibus totum in lite hac ſiniſtrè vel dubiè interpretandâ, tempus abſumitur. Nouellas nouæ Romæ diſceptationes circa pluralitatem voluntatum in Chriſto Conſtantinus in Epiſtola ad Donum citatâ, tolerari terribile exiſtimauit; *Vt* (inquit) *ne plebs quæ vt ſanctificetur accedit ad ſanctas Dei Catholicas, & Apoſtolicas Eccleſias, contrarijs cogitationibus agitetur, aut occupetur, conſiderans Antiſtitum ad inuicem diſſonantiam.* Non leuis ergo vtrinque iactura, dum noui verentur accedere, & veterati poſsint aliquantum deficere.

Theod. Epiſt. ad Leonem.

Conſtãt. in Epiſt. ad Donũ Pontific.

17 Orbis Chriſtiani ſcandalum non leue eſt, orthodoxorum præceptorum, & magnorum Prædicatorum diſsidium. Nouerunt & audierunt fideles quantum Spiritus Sancti tuba Paulus pro Magiſtrorum concordia laborauerit, quantum has noſtras contentiones oderit, quantum per omnes Eccleſias illas Deo diſplicere docuerit, ipſo teſte; *Non enim* (inquit) *diſſenſionis Deus, ſed pacis, ſicut & in omnibus Eccleſijs doceo*, vnde, & eoſdem Corinthios exire deprecatus eſt, vt in nihilo pertinaciter diſcreparent. *Obſecro* (inquit) *vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Quod adeo inſtanter efflagitaſſe Paulum, ait Caietanus, *non quod diſſen-*

Magnum vnd que generat ſcandalum.

1. Cor. 14 n. 33.

1. Cor. c. 1. n. 10.

Cajet. in c. 1. epist. p. ad Corint.

dissensiones Corinthiorum essent tam malæ, sed quia erant initia & viæ ad tantum malum; si enim fuissent manifestæ scissiones Christi non pepercisset Paulus nominibus capitum, non tacuisset dogmata eorum contra Christum, sed tacendo dogmata & nomina, factiones autem & inflationes tantum scribendo, insinuat, quod talia erant huiusmodi dissidia, qualia sæpè apparent in Ecclesia Dei, inter diuersarum Religionum Professores, dum gloriantur in Patribus, aut præfert quisque statum Religionis suæ, & hinc lites, rixæ, & reliqua, quæ melius est non videre. Huic ergo nostræ controuersiæ similes detestatus est Paulus; hanc ex qua proueniunt tot scandala, rixæ & lites, tolli per Christum deprecatus est; quæ via & initia sunt tantorum malorum, quæ melius est, non videre, nec audire. Non fuit qui lites Hispaniæ, & tantarum dissidia Ciuitatum ex hac controuersia exorta, siccis oculis considerare; nec totum vndique Regnum lite agitatum, populos discordijs laborantes, ciuitates ad arma paratas, Clerum, & Religiosos sibi inuicem detrahentes, inoffensis auribus, & sine graui scandalo audire potuerat.

Ex affirmatiua sententia hoc generari scãdalum.

Blosius in dictis Patrum c. 5. Abulen. in paradox. 1. c. 21. Surius in appen. Naucl. citat. Vasquez. 3. p. q. 27. ar. 2. disp. 117. c. 2. Vincent. Iustin. in addit. ad vitam Ludo. Beltr. pag. 14. Terent. Corduba l. 1. q. 44. conclu. 3.

Non solum est huius nostræ ætatis hoc scandalum, sed antiquius, à tempore enim Sixti IV. rarus erat, qui libenter Virginis Conceptionem maculatam esse vellet audire. De suo ait Blosius; *Pias aures offendit, quisquis modo asserere non veretur præcelsam illam Heroidem, quæ spiritibus Angelicis sanctior est, obnoxiam fuisse peccato originali, quod hominem efficit membrum Diaboli & filium iræ.* Abulen. doctissimus vir, *seditionis filium & spiritu dissensionis stimulatum* vocat, qui contra piam insurgit. Magnæ pietatis vir, Laurentius Surius rogat affirmatiuæ sententiæ fautores, *vt videant ne dum minus honori & priuilegio cum multorum graui scandalo, & offensione derogant, filij eius seuerum in se iudicium prouocent.* Gabriel Vasquez. cuius laus est in Theologia, inquit, *Omnes qui Christiani nominis fidem profitentur in hanc sententiam vno animo & affectu ita conspirant, vt sine magno populi scandalo iam nemo possit oppositam populo in concionibus exponere.* Vincent. Iustinianus ex Prædicatoribus non infimus litteris aut pietate, ait. *Eius sententiæ fautores omnibus exosos esse, & à cunctis insectari iniurijs*, quibus applicat illud Comici, *frustra niti, & laborando nihil aliud nisi odium quærere, extremæ dementiæ est, quia certe* (inquit) *qui in defendenda maculata Conceptione se occupant nihil in hac re consequentur, & vniuerso molesti sunt mundo.* Et doctus ille vir Corduba ait. *In partibus Hispaniæ & Galliæ probabiliter imminere scandalum ex affirmatiua opinione, & hoc patere experientiâ.* Proh dolor quantum nos hoc experti sumus his diebus, & quàm periculosè adhuc

adhuc hæc ſcandala perſeuerant. Hæc te veritatis oraculum (Sanctiſsime Pater) mouerunt, vt illam in publicum proferri vetarés & in ſuis angulis delitеſcere iuberes, vt totius pænè orbis bono conſuleretur.

Hæc ſunt (Beatiſsime Pater) huius controuerſiæ incommoda; hæc tantæ diſſenſionis non parua, nec deſpicienda pericula.

Diffinitionis neceſsitas.

§. III.

18 Sola definitione tantis malis poſse obueniri.

19 Illam efflagitaſse plures & graues etiam ex Patribus Dominicanis.

20 Maturâ & celeri definitione præuenienda multa mala quæ ex hac ingratâ & odiosâ controuerſiâ oriunda timentur.

21 Non contemnendum, nec leue eſse quod Virgini imponunt aduerſarij.

22 Obuiandum vilibus de Virgine inquiſitionibus, & Hæreticorũ deriſionibus.

23 Authoritatis Eccleſiaſt. cõtemptui.

24 Animarum iacturæ.

25 Populi & orbis Chriſtiani ſcandalo.

18 NVllum iam tantæ cladis remedium, nihil quo tantis obueniatur incommodis, quo certis, & quotidie emergentibus obuietur periculis, reliquum eſt, niſi vt Tua Beatitudo infallibilis Decreti, & irrefragabilem diffinitionis interponat authoritatem. Satis multa tantæ infirmitatis pharmaca ex ſalutari Eccleſiæ Apotheca prodierunt. Varia adhibuêre Pontifices diſsidij remedia; nullam non excogitantes medicinam pro Eccleſiarum & Regnorum concordia: ſed prædominata eſt infirmitas, præualuit fraus inimici, ſuperinfusâ aquâ plus hic ignis exardeſcit; applicatis remedijs maiores exortæ diſcordiæ, dum vni prouidetur incommodo, innumera vndique reuireſcunt ſcandala, quotidianis diſsidijs nouam & moleſtiorem pugnam contentio inſtaurat. Nihil ergo eſt quod pullulantia; & noua hinc inde exorientia huius lernæ capita omnino reſcindat, niſi definitio. Ita doctiſsimus & grauiſsimus Abulenſis Præſul Alphonſus Toſtatus iudicauit, dum dixit. *Fuit Beatiſſima Virgo à peccati originalis macula immunis, circa quod Conuentus Fratrum Minorum & Prædicatorum antiqua habent litigia, & pænè cum ipſis ſuis ordinibus antiquata, quod fiet proculdubio immortale, niſi interueniat Decretum aut ſententia Superioris, qui habens poteſtatem ſuper hoc, ſuam interponat authoritatem.*

Sola defini-tio ſcandalorum remedium.

Abulen. citat.

19 Hanc etiam tanquam vnicum & vltimum remedium apponi efflagi-

Illam petierunt ipſi aduerſarij.

K

efflagitarunt tres grauissimi viri ex Ordine Prædicatorum. Primus, & antiquior fuit Cardinalis Turrecremata, *qui omni qua potuit deuotione & flexis genibus* (vt ipse ait) Concilium Basiliense, dum in sua mansit obedientia sub vero Pontifice, exorauit, vt finem dare vellet huic quæstioni; *Et sanè* (inquit) *ex huius quæstionis determinatione, magna salus, pax, & tranquillitas, & integritas religionis expectatur in populo Christiano.* Cuius verbis & libro, multis superadditis, & intrusis vsi sunt postea ad Concilium Tridentinum Bartholomæus de spina, & Albertus Dutimius, vterque Prædicatorij Ordinis, ille sacri Palatij, iste in Sapientia magister. Secundus idem, sed instantiùs ab eodem Concilio Tridentino petijt Ambrosius Catharinus Ord. Prædicat. Archiepiscopus tunc Compsen. *Illud* (inquit) *ego vehementer exopto, quod, & omnes viri pij, & vere Catholici de hac re, & cæteris summo desiderio à vestra pietate desiderant, nempe vt ea vestris sententijs decernatis, quæ ad vnitatem & pacem, & decorem vniuersæ Ecclesiæ faciant, &c.* Quam definitionem huius quæstionis de Conceptione Virginis superius dixerat, *esse rem sanctam & Christianæ fraternitati congruentem, quæ in primis eundem in dogmatibus sensum, eandemque in cultu Dei obseruantiam poscit*, quod iterum in fine tractatus inculcat. Tertius his non inferior fuit doctissimus Cardinalis Caietanus, qui postquam in opusculo de Conceptione ad Leonem X. docuerat res fidei definiri posse à Pontificibus adhibito Concilio vel sine illo, & hanc differentiam solùm ad maiorem solemnitatem vel congruitatem spectare iudicij Apostolici, de his quæ sunt fidei, & non ad necessitatem, orat Pontificem, *vt tanquam Arbiter medius inter vtriusque sententiæ fautores, in sancta Lateranensi Synodo, in hac re Religionis Christianæ veritatem firmiter amplectendam tradere dignaretur.* Sed & nouiter alterius sodalitij vir doctus addit, *quod singularis deuotio, plausus populi Christiani, celebritas Conceptionis, iam pridem instituta clamare videntur, & suo quasi iure definitionem postulare; & certe* (inquit) *vix aliud est dogma definitum ab Ecclesia, quod ante definitionem tantâ acclamatione receptum fuerit. Quod certe multum mouere debet Principes & Prælatos vt hanc definitionem à Summo Pontifice enixè petant.* Alium adduco his omnibus antiquiorem, Ioannem Bacconem Carmelitani Ordinis virum certe doctum, qui ante trecentos ferme annos, proxime elapsos, sibi dubium hoc proposuit: An Ecclesia Romana immaculatæ Conceptionis festum debet statuere? & respondit, *Quod gratissimum eßet Deo & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, laudabili consuetudini consonum, hoc festum generaliter statuere per totam Ec-*

Turrecremata in Epilogo 1. de veritate Conceptionis.

Cathar. in Epist. ad Patres Concil. Trident.

Caiet. in opusculo de Conceptione in fine.

Granado lib. de Concept. & disp. 3. quæst 29.

Ioan. Baccon. in 3. sent. D. 3.

tam Ecclesiam celebrandum quod definitionis vel canonizationis quoddam genus esset per quod tanta cessaret contradictio.

20 Antiquum est hoc desiderium definitionis, peruetustus hic plurimorum de definitionis conuenientia consensus. Iam nullus ferme est, qui eam non desideret; nullus, qui toto conatu non efflagitet, antequam malum recrudescat, latius serpat hoc dissidij virus; maiora & ineuitabilia sequantur incommoda: *Diabolus namque res ab initio minus recte habentes*, (vt Nestor. antequam ab Ecclesia expelleretur admonuit Ioan. Episcopus Antiochen.) *per superbiam nouit amplificare, in eamq; magnitudinem paulatim euehere, vt postea omnẽ curam, omnemq; medicinam respuant.* Solam hanc res nostræ prostitutæ expostulant; ne vlterius differatur omnes deprecamur. Considera (Pater Sanctissime) discrimen esse in mora, periculum in tarditate, authoritatem Ecclesiæ, quæ pro hac sententia perspicua est, labefactari: perpende quid de tanta Virgine affirmatur. *Definitione, multa mala; recentiora.* *Ioann. Epist. ad Nestor. 1 p. Concil. Ephe. c. 25.*

21 Peccatū habuisse dicitur & tale quod *ab illo præcipitamur in abyssum iræ ac maledictionis Diuinæ, hæreditate Regni cælestis in æternũ priuamur, æternæ damnationi deuouemur, Sathanæ seruituti mancipamur. Hæc præterea tabes mille perturbationibus & damnatis cupiditatibus inficit, voluntatem incredibili malitia deprauat, liberum arbitrium debilitat, intellectum ignoratione pudendâ fœdisq; erroribus obnubilat, memoriam beneficiorum & iudiciorum Dei obliterat ex animis, vastum denique pelagus malorum ad funditus perdendum miserabile genus humanum inducit.* Hæc vilia in suo fonte & causa de Sanctissima Virgine affirmantur, dum peccatū originale contraxisse contenditur. *Vide quid de Virgine affirmant aduersarij.* *Francisc. Teuarden. l. 10. suæ Theomachiæ c. 2. n. 17.*

22 *Propter viles igitur inquisitiones non fit infinita contentio* (vt Agathonem rogauit Imperator Constant.) *ne nobis insultent Pagani & Hæretici, neq; in nobis vsquequaq; locum accipiant semina aduersarij.* Hostes Ecclesiæ nostris discordijs insultant, quod non leuiter suo tempore mouit Leonem Pontificem, vt suâ sententiâ grauem & non parum discussam inter Beatos Theodor. & Cyrill. controuersiam dirimeret. *Vnde* (inquit) *hoc quoq; contra Ecclesiæ hostes prouidere condignum est, vt eis nullam calumniandi occasionem (quoad nos attinet) penitus relinquamus.* *Obuiandũ Hæreticorũ derisionib.* *Constãt. Pogon. vbi supr.* *Leo Epistola ad Theod.*

23 Ritus Ecclesiæ authoritatem necesse est omnino defendi, ne si quantumlibet contemnatur, magnum fidei nostræ & rerum credẽdarum apud exteros & nostros pereat argumentum. *Vix etenim* (vt bene in hac re notauit & probauit Catharinus) *vllum est argumentum validius, quam quod ab institutis Patrum sumitur in cultu Diuino.* *Contemptus ritus Ecclesiastici.* *Cathar. citat. p. 1. c. 1. in fin.*

24 Animarum iacturæ consulendum; & ne in præcipitium cer- *Animarũ iactura.*

tum & quotidianum abeant, tam varietate doctrinæ, quam dissidentium Sacerdotum haud sano exemplo, studium aliquod est interponendum. Nam vt inquit Sanctus Cælestinus ad Cyrillum, *Pontificis est, vt quempiam in præcipitium proximè adductum, vel in ipso verius præcipitio, Vnde eum prolabi necesse est, iam constitutum, si qua ratione poterit, à lapsu prohibeat; ne si opem non tulerit, ipsum ad casum impulisse videatur.* Quod facilè à te fiet (Pater Sanctissime) si doctrinam, in quam omnes impingunt, extermines, *& piam, ac populi deuotioni accommodam* (quo insigniuit Epitheto Medina Dominicanus negatiuam sententiam) eidem præponas. *Ad hanc enim magis ædificari, & maiorem sibi conciliare deuotionem*, testatur Antonius Nauarro etiam Prædicatoriæ familiæ.

Cælestin. Epist. ad Cyrill. 1. p. Concil. Ephes. cap. 15.

Medin. in 3. par. q. 27.

Nauarro Tom. 1. de Sanctis sermo de Concept.

25 Populi etiam & totius pænè orbis scandalum tollendum, & curadum: *Nam si* (vt Cyrillus ad Nestorium) *vehementer illi Deum irritant qui è pusillorum numero, vel vnum tantum in Christum credentem scandalizauerint, quantâ diligentiâ, quantâque dexteritate opus sit, cogites, si tota quæpiam multitudo grauiùs offensa sit, vt scandalis prudenter præscissis, Pontifices, sanum fidei sensum, sermonemque veritatis studiosis afferant.* Hinc Catharinus in fine sui tractatus, rogat Patres Concilij Tridentini, *vt ad amouendas iam diu nimis agitatas contentiones, & præscindenda scandala & schismata, authoritatem suam in hac re interponerêt*, & Caietanus in fine sui opusculi Leonem rogauit, *Vt publicis oblocutionibus & scandalis in hac controuersia obuiare dignaretur.*

Communi etiam orbis scandalo.

Cyrill. ad Nestor. 1 p. Concil. Ephes. cap. 8.

Cathar. citat.

Caiet. opusc. de Concept.

Diffinitionis vtilitas, & Peroratio
Ad Sanctissimum Dominum.

§. IIII.

26 HAEc tantæ controuersiæ diffinitionis necessitas, cuius non minor vtilitas; dum tantis, ijsque grauissimis malis obuenitur & pax Christiana vndique per vniuersam Ecclesiam stabilitur, quâ nihil in Ecclesia fælicius, nec desiderabilius, *quâ in rebus terrenis atque mortalibus* (inquit Augustinus) *nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri.* Qua omnes sub eodem Pastore pacificè viuant, & in vnitate fidei corroborentur; qua interChristianos conseruatâ, vires omnes Sathanæ inualidæ sunt ad nocendum, & muscipulæ insidiarum comminuuntur. *Pax etenim* (vt idem habet Augustinus) *plebis*

Aug. de ciuit. Dei l. 19. c. 11. tom. 5.

plebis est sanitas, gloria Sacerdotum, patriæ lætitia, & terror hostium siue visibilium, siue inuisibilium. Per desideratam hanc definitionem contentio & discordia quæ nos conturbant, & primæ ac præcipuæ sunt omnium nostrarum calamitatum causæ, è medio tolluntur. Hac definitione, tantorum miraculorum in immaculatæ Conceptionis testimonium à Deo, & sanctis patratorũ, veritas elucescet; multarum reuelationum certitudo firmabitur, ritus Ecclesiæ consolidabitur, sanctorum Patrum doctrina, quæ pro hac sola parte est magis extolletur, vnus erit vnius festi in Ecclesia cultus, Virgo sanctissima Maria omnino sancta, semper immaculata, ab omni peccato libera, per totum orbem prædicabitur; Tuæ Beatitudini non parua erit occasio lætitiæ, nec modicæ causa gloriæ, quod Tibi soli post tot Pontifices sanctissimos, tot tantaque sæcula reseruatum sit in fauorem Mariæ & honorem Christi tantum aperire dubium, & certam proferre sententiam. Cæteri hucusque de aduersariorum Vrbanitate erga Deiparam, non parum fidentes, certo sibi promiserunt, illos huic pertæsæ, ingratæ, & molestæ contentioni valedicturos, & suâ sententiâ cessuros, quod per tot sæcula expectarunt, Tuque (Pater Sanctissime) sperabas, sed frustra. Nihil vltra sperandum, tempus iam adest definitionis, & necessitas Decisionis. Res satis discussa est, ad vltimum peruenit discrimen, nihil non examinatum, nihil non reuisum, nihil non agitatum; Patres omnes pro hac parte esse constat, Concilia huic sententiæ fauere, nonnulla sacræ scripturæ loca non obscure hoc subindicare, Ecclesiæ ritus, & cultus illud comprobare (vt suis quæque tractatibus ostendam) & populi Christiani deuotionem huic adhærere sententiæ palam est. Hæc vna omnibus sufficit, iam altera cunctis superfluit.

Aug. ser. 165. de temp. tom. 10.

Age ergo (Pater sanctissime) *puta tempus putationis adesse si tamen meditationis præiuit, si cor mouisti, mouenda iam lingua, mouenda est, & manus. Accingere gladio tuo, gladio spiritus, quod est verbum Dei, glorifica manum & brachium* in defendendo Mariam, in definiendo eius omnimodam sanctitatem, in decernendo sanctam fuisse in suæ Conceptionis instanti, vt nullum esse iam amplius affirmetur, in quo omnino sancta non fuerit, & immaculata.

Bernard. l. 2. de cõsider. c. 6. Psal. 44. 4. Ephes. 6. 18.

Tractatus tertij finis.

Continuatio Historiæ.

DVm hoc Tractatu, duabus superioribus orationibus, & validis, quæ quotidie inculcabantur, rationibus, flectendum, vel aliquantulum commouendum sperat Orator Pontificem, dum etiam Francorum, & Bohemorum Regum, aliorumque Principum vota, & litteras per Oratores Regis Catholici, quibus id à Philippo curæ demandatum, expectat: En circumueniunt Oratorem, & eius insidiantur apud Regem honori, (qui, vel vt superius dixi viri auctoritate stimulati erant, vel qui inhonorum putabant vt amplius quippiam in hac re fieret, vel qui gratiam, & obsequium se præstituros quibusdam iudicabant Magnatibus,) egeruntque per internuncios, vt reuocaretur in Hispaniam. Iam etiam percrebuit, grauiter, & molestius tulisse Ducem Alburquerquium tunc Cataloniæ Proregem, iam designatum Oratorem Romanum, vt alius quispiam ex Hispanis, Legatione fungeretur secum in Vrbe. Ex eadem etiam non defuerunt, qui ipsius negotij zelo, & bono, (vt ipsi dicebant) ducti, scriberent expedire, vt Episcopus ad suam remearet Ecclesiam, quippe id vel ipsum desiderasse dicebant Summum Pontificem. Diuersum, & vanum hinc inde multorum in hac re studium.

Fama lubrica.

Tam diuersâ, & aduersâ hominum opinione, & indignâ quorundam criminatione, considera qualiter vnius potuit fama consistere. *Ad gloriam, & famam non est satis vnius opinio; consensum multorum exigit. Multorum iudicijs constat.* (Senec. epist. 102)

Benè Comicus, *Non sat, tuum officium te fecisse, si non id fama approbat.* (Terét. in Phorm.) Misera hominum conditio, vt quod præcipuum æstimant, & cui plus cæteris inhiant, famam, & honorem habeant tam lubricum, tam fragilem, tam vitreum, vt nihil sit quod difficiliùs seruent, nec quod faciliùs perdãt, nec cui homines sine sui commodo, plus insidientur. Qui aurum rapit, habet quo miseriam subleuet; qui alterius deprædatur vestem, aut tunicam, habet quo se à frigore, vel cæli inclementiâ contegat; qui alterum suâ spoliat gloriâ, gloriosus non est, spoliatum solùm reddit inglorium. Alteri nocet, sibi prodesse non potest. Illud etiam habet fama nostra malum, vt mille modis ei noceri possit, per mille artes possit obscurari, & latus pateat, præcipuè in aula, campus honoris iniurijs. *Illud cogita* (inquit

inquit prudens ille Stoicus) *iniuriarum latißimè patere materiam illis, per quos periculum nobis quæsitum est, vt accusatore submißo, aut criminatione falsâ, aut irritatis in nos potentum motibus, quæque alia inter togatos latrocinia sunt.* Magnum certè facinus, rem magnam præstat quis, si inter tantas insidias, inter tot nocendi modos, inter tot famæ denigratores, illæsum seruet honorem. Seneca lib. de const. sapien. c. 9.

Tot commotus Rex suggillationibus, ad quorundam etiam consilium, negotium hoc commendandum iudicauit supradicto Excellentissimo Duci Albuquerquio, qui iam se præparabat in Vrbem itineri, ad quem litteras dedit, vt solus ille res Romanas curaret, & iniunctam Episcopo Legationem solicitiùs & instantissimè prosequeretur; hic verò in suum rediret Episcopatum. Peracta sunt hæc sub mense Martio, cum per quatuor tantum menses tanto fauore Regio, & honore, hac potiretur in Vrbe, dignitate Episcopus, ad eandem vltro paucis antea mensibus tanto hominum applausu vocatus. Magna gloria, magno labore seruatur longo tempore. Difficillimè retinetur, quam multi vndique obseruant. Auida res est fælicitas, sed multorum auiditati exposita. Verum illud Socraticum. *Gloriæ pulchritudo liuore cito marcescit.* Graue est inter tot hostium insidias latere. Præstringere omnium oculos non potes, in te tanto studio defixos. Gloria huius sæculi, fallax est suauitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas, & excelsus casus, & inopinatum præcipitium. *Gloria retentu difficilis.* Socrat. apud Stob. serm. 28.

Ardua per præceps gloria vadit iter. Ouid. 4. Trist. 3.

Meliùs quis lateat, certè tutiùs. Hoc grauiter dixit, qui multa leuiter. *Benè qui latuit, benè vixit.* Idem 3. Trist. 4.

Liuidis hominũ huius sæculi quis non timeat se exponere ocellis, liuor omnia penetrat, rimaturque, putas conspecta prætereat? Quid? quòd pauci sunt, quibus expediat apparere, & conspici; pauci quorum famæ non noceat ad plenum nosci.

Nihil horum nouit Episcopus, nec quid circa se agebatur tunc intellexit, litteræ etenim quibus ei significandum erat Regis placitum, de deponenda hac cura, & de repetenda sua Ecclesia, ad præfatum Ducem datæ sunt, vt ad suum in Vrbem aduentum, eas Episcopo porrigeret. Prosequitur ergò constanter iniunctum sibi munus, cuius difficultatem perseuerantiâ, & continua instantiâ vincendam iudicauit, & consulto. *Perseuerantia namque vi est efficacior, multaque quæ vno impetu confici non possunt, paulatim absoluuntur.* Est enim Plutarch. in sert.

 assidui-

assiduitatis vis inuicta, quæ omnem superat, exceditque potentiam, & tempus plurimum auxilij est ijs, qui prudenter occasionem captant.

Vires etiam & constantiam auxit consideratio rei, quæ agebatur, perpendit sanctum esse negotium & Dei Genitricis, Deumque ipsum huiusmodi ausibus adesse, & suâ ope omnes superare difficultates. Sanum, & acceptione dignum illud Menandri consilium.

Ὅταν τι πράττῃς ὅσιον ἀγαθὴν ἐλπίδα
Πρόβαλλ' ἑαυτῷ τοῦτο γινώσκων, ὅτι
Τόλμῃ δικαίᾳ καὶ Θεὸς συλλαμβάνει.

Quum quid sanctum agis, bonam spem
Tibi propone, certus quòd
Conatum iustum etiam Deus adiuuat.

Sanctum adijt ergo Pontificem, vt quid de vltimo Tractatu, & ijs, quæ in eo proposita sunt consideranda, sentiret, renuntiaret. Cui responsum magna illa, & grauia incommoda huius controuersiæ non leuiter à se considerata, & se magnopere desiderasse vt euitarentur, seu præuenirentur. Per definitionem verò non posse hoc ita facilè præstari, quippe Aduersarij continuo instabant suam sententiam omnium Sanctorum Patrum esse vnanimem doctrinam, idque omnibus persuadere conari, tum per ipsorum opera, tum per tria grauissimorum virorum expressa testimonia Augustini, Bonauenturæ, & Magistri Sententiarum, primi, l. 2. con. Iulia. c. 10. secundi, & tertij in 3. sent. d. 3. se verò maximè adhærere piæ opinioni, & in B. Virginem, eiusque puram Conceptionem summè propensum, & summopere desiderare, vt omnes conuenirent in eadem colendâ, & sectandâ. Vt verò inuiti cogerentur affirmatiuæ sententiæ fautores suam dimittere, & ad aliam accedere, id pro tunc non expedire, sicut à pluribus in vrbe, & extra vrbem per varias litteras, Suæ Sanctitati significatum est; præsertim cum habeant, vel contendant habere, quo se tueantur, tot scilicet Doctores, & Patres, quos ad ducentos, & plures sibi in quodam libello tradidisse Aduersarios, aperuit Episcopo. Quod vt resciuit Orator nihil tam sibi curandum duxit, quàm dolum hunc de mente Patrum Suæ Sanctitati detegere, & quid de illo libello, quem Vincentij Bandeli esse iudicauit sentiendum erat, intimare. Quod & ei promisit se quantocius facturum, saltem generaliter, & in communi; in particulari etenim ad vnumquemque Doctorum, & Patrum,

Patrum, quos illi pro se citabant descendere, operosum nimis esset & longum; pro temporis verò commoditate, & si per alias negotij circumstantias liceret, id aliquando præstiturum. Iussit ergo, vt cito citiùs sequentem ordirer, & absoluerem tractatum, quem intra paucos dies Suæ Beatitudini obtulerat, de hoc eodem circa mentem Sanctorum Patrum coram & præsens plura subiungens.

ORATIO QVARTA

AD S.MVM D.NVM

PAVLVM PAPAM V.

TRACTATVS V.

Nullatenus sanctos Patres sensisse Virginem Mariam in originali peccato fuisse conceptam, ostenditur; & eorum fallacia, qui pro affirmatiua sententia plurimos Sanctos adducunt, detegitur.

1 *Quanti sit ponderis sanctorum Patrum authoritas.*

2 *Satis laborant plerique infirmas sententias per eam stabilire.*

3 *Periculosum esse quidquam falso Patribus attribuere.*

4 *Aduersarij per quosdam libellos intentant Sanctissimum Dominum à definitione retardare.*

5 *Plerosque ex sanctis Patribus citant parum fideliter.*

6 *Paucissimos, eosq; parum sibi constantes, posse citari pro affirmatiua.*

7 *Augustinus non sensit sanctos Patres dixisse, Mariam habuisse peccatum originale.*

8 *Nec Magister Sententiarum.*

9 *Quid in hac re senserit B. Bonauentura.*

10 *Testimonium negatiuum Bonauenturæ non sufficit, vt dicantur Patres affirmatiuam tenuisse.*

11 *Non asseruit B. Thomas, sanctos Patres secum sensisse.*

12 *Primus inter Scholasticos publicè docuit negatiuam.*

13 *Quare firmius adhæserit affirmatiuæ.*

14 *Doctores quique possunt aliquando errare.*

15 *Augustinus, Doctorum maximus, fassus est se in quibusdam errasse.*

16 *B. Thomas Augustinum imitatus à se perperam dicta, vellet retractari.*

17 *Si nunc vixisset probabiliter affirmatur sententiam mutaturum.*

18 *Paucissimi vel nulli Patres adhærent affirmatiuæ.*

19 *Non fuisse communem eorum sententiam multis comprobatur.*

20 *Licet quidam ex sanctis Patribus docuerint affirmatiuam, posse tamen negatiuam definiri.*

21 *Videri oporteret sub sinceris iudicibus sanctos Patres in suis codicibus.*

BEATIS-

BEATISSIME PATER.

Auctoritas sanctorum Patrum magna.

1 SAnctorum Ecclesiæ Patrum doctrina,& magnorum Doctorum authoritas in rebus fidei explanandis,& mysterijs quibuscumque intelligendis plurimi semper fuit ponderis, & magno in honore obseruata est in Ecclesia. Vnde in Concilio Lateranensi sub Leone X. & Tridentino, ab eorum vnanimi sententia nec latum vnguem discedere sub anathemate cautum est, nec insipienter, aut immerito, quippe *hi Ecclesiæ lumen sunt, & oculi* (vt ait Hilarius) *& eorum labia custodiunt scientiam.* Hinc euenit vt quicumque opuscula vel lucubrationes suas in lucem edere proposuit, & suam sententiam stabilire cupit, Doctrinamque siue à se cogitatam,siue ab alijs acceptam approbari desiderat, vt quodcumque vel sanè vel minùs rectè dixerit, authoritatem conciliet, totum Sanctorum Patrum authoritate firmare laborat. Hic mos apud Catholicos, hoc semper obseruatum etiam apud Hæreticos. Nullus est, qui non sibi velit suffragari tantos catholicæ veritatis testes, & magistros, per quos omnem suspicionis, & falsitatis scrupulum remoueri à doctrinis.

Lateran. V.Sess.11 Trident. Sess.4. Hilarius in Psal. 138. Malach. 2. n. 7.

Per illam stabiliuntur sententiæ infirmæ.

2 Sed horum patrocinio illi præ cæteris fulciri procurant,eosque sibi adstipulari auidiùs desiderant, qui vel suspectam adinueniunt doctrinam, vel sententiam aliquam sequuntur infirmam. Quibus eò maior est cura Patres pro sua opinione aggregandi, quò minus illa habet roboris aut veritatis, vt quod illi deficit probabilitatis, multorum suppleatur authoritate. Hinc communiter hetherodoxi veritatis expertem veram esse hominibus rudioribus & simplicibus persuadent,dum singulis assertionibus quædam ex diuinis voluminibus testimonia subdunt; quæ corrupto intelligentiæ sensu ad speciem veri blandientis adaptantur, speciem veritatis secundum astutiam interpretantium præstitura.Insuper siue iure,siue per iniuriam,magnas Patrum turmas,ingentem Doctorum cateruam vndiq; coaceruant *ex numero, hoc habentes impudentiæ* (ait Hilarius) *vt quod errant,prudentiam velint existimari, & quod cum multis errant,intelligentiam esse asserant veritatis, dum minus esse erroris existimatur in multis.* Nullus ergo ex Doctoribus ab huiusmodi securus, dum per fas aut nefas, velit, nolit, cum illis sentire cogetur, quippe ad ipsorum mentem non verentur eius verba accommodare. Quicquid illis fauet, pro se adducunt; quod non fauet, reijciunt; quod contrarium est,

Hilar.l.6. de Trinitate ad initium.

tacent;

tacent; ſententiam adiectis verbis adornant, ſuppletis accommodant, deletis adaptant; mutilant, ſecant, diſſecant, truncare non erubeſcunt, quoad quod illi velint, palam affirmet.

Authoritas Sanctorum Patrum fingere periculoſum.

3 Graue certe malum hoc, & periculoſum in Eccleſia; graue, dum toties mentiuntur, quoties quoſuis ſuæ ſententiæ fingunt fautores; periculoſum, dum palliatis, & artificioſis authoritatibus pro veritate mendacium in re quaquam ſubintroducunt. Eo etiam periculoſius eſt hoc figmentum, quo etiamnum à quibuſdam Catholicis, & bonæ notæ viris, quibus facilè ſe credant Chriſtiani, vſurpatur; quo etiam communius redditur, dum prælo mandatur, & libris commendatur; quod dum per multorum manus tranſit, & multis communicatur, faciliùs plurimos decipit, & ſubducit, & tunc periculoſiſsimum, cum non ſolum membra, ſed, & caput Eccleſiæ aggreditur, dum veritatis fontem deceptionis cœno turbare conatur, dum oraculorum cæleſtium theſaurum, & Diuinorum arcanorum depoſitum, pectus Pontificium ſub veritatis ſpecie ſubintrare molitur. Iuſtam ergo Tuæ Sanctitatis indignationem merebitur, qui talia attentare præſumpſerit, & infimæ probabilitatis opinionem, aut placitum pro vera, & certa ſententia per multorum Patrum authoritates, Tibi perſuadere curauerit; maximè ſi in re graui, aut ſententiâ, de cuius veritate inter Catholicos ſolicitè agitur, & apud te de vltimo illius iudicio tractatur, hac vtatur calliditate. Nam hoc ſolum ab huiuſmodi intenditur, vt veritas occultetur, minus probabile, minuſque verum, tenaciter pro vero defendatur, & ſuprema ſedes, magiſtra fidei, & veritatis, ab eadem difinienda retardetur.

Libelli quidam ab aduerſarijs dati Sanctiſs. Domino.

4 Grauiter vexatur hoc tempore Sacroſancta Mater Eccleſia tantorum fidelium diſcordijs circa Conceptionis Virginis Mariæ ſanctitatem, chariſsimorum filiorum non parum moleſtatur diſſidijs, & obinde præcipui eius Prælati, maximi orbis Principes, cum vniuerſo pænè populo Chriſtiano, petunt ad ingratas has lites ſedandas, vt Tua Beatitudo velit reſoluere, quid in tanta tenendum ſit controuerſiâ. Accedunt clam alij, & Tuæ Beatitudini offerunt libellum, vel cathalogum quendam Doctorum, & Patrum à Vincentio Bandelo, ſiue à Caſtro-nouo confectum, vel ab eo extractũ, in quo ad 260. omnis farinæ viros pro ſua ſententia conglomerauit eius author, & ad ſuum placitum addendo, vel auferendo quod placuit, eorum verba fallaciter adaptauit. Pro quo aduertere velim

Tuam

Tuam Beatitudinem, Bandeli librum, eique similes, iam per multa sæcula in populo fideli legi prohibitos esse, per extrauagantes Sixti IV. propterea, quod sententiam piam, impiam, erroneam, & suspectam, imò à fide alienam esse non semel asseruerint. Constitutiones autem Sixti in omnibus confirmauit Concil. Tridentinum, imò sententia lata in Diœcesi Toletana & per proprium super hac re Iulij II. Diploma executioni mandata in districtu Carthaginen. & Conchensi Bandeli librum è medio tolli, consumi; & comburi mandatum est. Quod cum ità sit, nescio quomodo illum præ manibus ferre, populo ostendere, & Tuæ Beatitudini præsentare ausi sunt Aduersarij, præsertim cum perspectum habeant, & omnibus constet quot excitauerint scandala, & molestias intra extraq; Hispaniam, dum per plateas, domos, & vicos hunc librum omnibus legendum in multis oppidis, & Ciuitatibus offerrent.

Male citantur ab aduersarijs Doctores.

5 Quod vero ad Authorum (quorum tam immensum coëgit aceruum Bandelus, eiusque compendiarij) citationem attinet, tam infideles se exhibuerunt horum relatores, vt multi ex ijs, quos pro se adducunt nunquam tale somniauerint; tam sinistros, vt illorum verba & sententias mutilare, truncare, & discerpere non dubitauerint; tam fallaces, vt multa ex suis addiderint, & plurima ex illorum verbis tacuerint. Quin tandem illicitâ hac adhibita solertiâ, plurimi ex ipsis, quos afferunt, parum aut nihil fauent eorum opinioni. Manifestæ huius falsitatis testem adhibeo domesticum, ex ipsis vnum, Ambrosium Catharinum Minorien. Episcopum, quem & veritatis vis, & detectæ fictiones, & exploratæ fallaciæ, ab affirmatiua in negatiuam opinionem abire coëgerunt, quamuis in se multorum animos, & non exiguas persecutiones ob id excitauerit. Hæc eius verba de huiusmodi Tractatibus, quos apud eos seruari ait in bibliothecis ad instruendum nouicios, vt huiusmodi imbuantur doctrinis. *Ego* (inquit) *fateor primo anno professionis meæ, cum paulo curiosior in huius rei disquisitione essem, incidi in huiusmodi quorundam Tractatus, quos vt legi, facilè fateor seductus sum, & ad eas partes tractus, quas nunc ab omni prorsus veritate destitui existimo. Nam pro illa, quam sustinent, opinione, tot ac tanta congesserant, vt eam, quam nunc arbitror veritatem, penè blasphemiam existimarem. Non enim tunc bene callebam argumenta Sophistica, nec deprehenderam citationes falsas, totamque disputationem ex contentione ac zelo magis tractatam, quàm sincere, & ad veritatis manifestationem non sanè perspiciebam.* Ne verò de eo, quod dixerat vllus dubitaret, ipsum Christum

Cathar. lib. 1. disput. pro immaculata Conceptione paragr. si quod.

ſtum eius rei conteſtem adhibuit. *Dent* (inquit) *obſecro mihi veniam in gratiam veritatis, qui hac moleſtè ferunt; non enim ſic aſſererem tiſte Chriſto, niſi ea comperta haberem & in promptu etiam cuiuis poſtulanti illa oſtendere poſſem.* Horum verò authorum aſtutias vlterius detegit, eorumq; genia vel ingenia aperit his verbis. *Ipſi primo* (ait) *numerant authores ſuos, quidam ad ducentos circiter, alij etiam fermè ad trecentos extendunt. Caietanus vltimo ad quindecim reducit numerum. Alij multos memorant infirmæ claſſis, quos neſciamus, vtrum aliquando hanc vitam vixerint, vt iſto modo perfacile fuerit complere numerum. Nonnulli etiam cogunt inuitos, vt ſibi adſtipulentur; qui vel non probant, quod ipſi volunt; vel etiam contrarium potius doceure: ita vt Scotum etiam ad ſe trahant; vt ex hoc vno quid auſi fuerint, de alijs facilè valeas coniectare.* Hæc illorum in citandis authoribus, & ſanctis Eccleſiæ Patribus, fidelitas.

Idem l. 2. parat. on co inficias.

6 Rogatam ego Tuam velim Beatitudinē vt aduertere dignetur, quomodo paulatim ingens hic numerus decreuerit, tā magna multitudo euanuerit. Multos conuocauit Bandellus, nō paucos, ſed nec totidē nouus vel fictus Turrecremata; Capreolus paulo plures 40. pauciores alij, ſolos xv. Caietanus, ex quibus ſolos quinque, pro ea citari poſſe probant alij, imò non plures tribus concedunt inſigniores noſtræ ætatis Theologi. Quod pro comperto habemus, eſt, ex Sanctis Diuorū albo adſcriptis, ſolum D. Anton. Florentin. Præd. Ord. ita affirmatiuæ adhæſiſſe ſententiæ, vt pro negatiua aliud eius non reperiamus teſtimonium. Cæteri enim Bernard. Thom. Bonauent. & ſi qui alij maculatam fuiſſe V. Mariæ Conceptionem affirmarunt in aliquibus locis ſuorum operū, ita id præſtiterūt, vt in alijs pluribus euidenter dixerint oppoſitum. Imò (quidquid ſit de mente D. Thom. & Bonauent.) Bernardū, verſatiſsimi in eius doctrina, & plurimi ex eius filijs, & ſectatoribus, magnæ eruditionis viri eruditiſsimè oſtendunt non ſenſiſſe cū affirmatiuæ ſententiæ fautoribus, in epiſt. ad Lugdunen. 174. qua tanquam fortiſsimo clipeo ſe putant defendi aduerſarij. Egregium, & eruditum tractatum de huius ſancti mente, ſeparatim curabo tradendum Tuæ Beatitudini.

Tres tantū poſſe verè alijs citari ex Sanctis.

7 Quod verò quidam velint quibuſdam teſtimonijs probare, affirmatiuam ſententiam communem fuiſſe inter ſanctos Patres, & primo ex quodam Auguſtini loco, quem quotidiè circumferunt, & confidenter objiciunt, in quo ſanctum Doctorem plures Patres pro eorum ſententia compuliſſe affirmant, parum certè habet roboris, nec ex Auguſtini verbis, id quod volunt, colligitur. Locus

Auguſtin. non ſenſit S Patres Virginem ſub origin. comprehendiſſe.

L namque

namque ille, qui ex l.2. contra Iulian. c.10. ita deducitur. *Propter quam Catholicam veritatē, Sancti ac Beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes, Irenæus, Cyprian. Reticius Olympius, Hilar. Ambros. Gregor. Innocent. Ioan. Basyl. quibus addo presbyterū (velis nolis Hieronymū.) Vt omittā eos, qui nondum dormierunt, aduersum vos proferunt de omnium hominū peccato originali obnoxiā successione sententiā; vnde nemo eruit, nisi quem sine lege peccati repugnante legi mentis, virgo concepit.* Suas habet non violentas, nec tortuosas explicationes; sed genuinas, & euidentes patitur solutiones. Nec certè expressè in casu nostri dubij loquitur S. Doctor; quod ex eo manifestiùs patet, dum illi, quos nominat, Doctores, nec verbū habuerint de V. Maria in locis, quæ huic Augustini propositioni fauere possent, & quæ ille l.1. contra eundum Iulianum citauit. Sed tantum de lege, & obnoxiâ successione (sicut ipse loquitur ibidem August.) omnium mortalium ad contrahendum originale peccatum. Quod non obstat, quin ex eiusdem Augustini, & Doctorum, quos citat, mente & doctrina, singularem hanc fœminam *puram non solum ab omni contagione peccati, sed & singularitate naturæ* (vt egregiè dixit Bernardus) singulari præuentam gratiâ fuisse dicamus, ne peccatum, cui cum cæteris obnoxia erat, incurreret.

Bernard. serm. aquæ ductu.

8 Eundem vel faciliorem habet sensum Magister Sententiarum, quem etiam adhibent testem in 3. d. 3. dum interroganti sibi, *an caro Verbi priusquam conciperetur, obligata fuerit peccato?* respondit, *sanè dici potest, & credi oportet iuxta Sanctorum attestationis conuenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus Sancti operatione ita mundatam, vt ab omni contagione peccati immunis vniretur verbo, &c.* Nullam etenim his verbis animæ, cui soli peccatum inhærere necesse est, mentionem fecit, nec de actuali contractione, sed de debito, & obligatione peccati loquutus est. Imò & æquare videtur in hoc, matris ac filij carnem, quod vtraque (vt ait ibidem) mundata fuerit, non à peccato, quod nullum fuisse in Christi carne constat, sed quod illa ab omni contagione immunis vniretur verbo, hæc sanctissimæ animæ Mariæ; quod solum Sanctos in hoc dubio dixisse, ex verbis ipsius Magistri credendum est.

Nec Magister Sententiarum.

9 Tertium & his clariorem adducunt Bonauenturam item in 3. d.3. art.1. q.3. in corp. Dum præter cætera ait, affirmatiuā magis concordare Sanctorum authoritati. Sed ipse hoc se dixisse declarat *pro eo, quod communiter Sancti cū de materia illa loquuntur solum Christū excipiunt ab illa generalitate, qua dicitur, omnes peccauerunt in Adam.* Nec aliquē audierit, qui

Quid in hac re senserit Bonauentura.

rit, qui expresśè eam ab originali immunem fuisse tradiderit. Hic illorum Achilles, hoc expresso testimonio pro fundaméto præcipuo vtuntur, vt hanc suam opinionem SS. Patrum esse asseuerent. Sed quam imbecillis, & inermis hic sit Achilles, & fragile hoc fundaméntum, quis non videt? Non dicit Seraphicus Doctor, SS. Patres Virginé compræhendisse sub peccato; sed communiter solũ Christum excepisse: Verum hoc est communiter de prioribus illis Patribus: Verum etiam quod illi dixerunt, si de debito ad contrahendum, & lege generali, quâ totum humanũ genus obstringitur, loquebantur. Quod si de ipsa contractione actuali eos loquutos fuisse insistere velint Aduersarij; dum contumaciter aut fastidiosè nolim modo de hoc protrahere vel instituere sermoné, dico quod ita tunc eos loqui conueniebat, quando tam vehementer Ecclesiã, eiusq; Doctores vrgebat illa infestissima, per multa sæcula protracta, & nouis semper Patronis suffulta & instaurata Pelagianorum hæresis, quæ nullũ in vllo infantulo admittebat deductum ex parẽtibus reatum. Cui extremæ hæresi, & interminatæ negationi firmam ex aduerso veritaté, & illimitatam affirmationem opponere opus erat; ne si Virginem exciperent orthodoxi Patres, hetherodoxi cauillatores nullo maiori fundamento hanc, quã alium quempiam, aut cæteros omnes à generali lege, & cõmuni peccato excipi statim instarent. Quod omnino certum erat dicturos homines, qui solum, quod expressum habeatur in verbo Dei scripto, negandum, aut affirmandum docebãt. Quando autem sanctis Doctoribus res erat cum Christianis, & vbi se obtulit occasio, adeò clarè se pro Virginis immunitate ab omni peccato, sensisse insinuant, vt solum, quos propriæ opinionis tenet affectus, id ibunt inficias.

10 Argumentum autem negatiuum eiusdem Seraphici Doctoris, scilicet se non audijsse Sanctorum quempiam, qui expresśè staret pro immaculata Virginis Conceptione, licet sancto viro sufficeret, vt contrariam sequeretur, nos non conuincit, vt ex aduerso credamus, alteram esse sanctorum Patrum firmum consensum. D. enim Bonauentura adolescentiori ætate hæc edidit Commentaria, vt eius vitæ acta testantur, & grauibus præcipuisque sui ordinis præfecturis ad varia distractus, non potuit omniũ Patrum intentæ incumbere lectioni; maximè dum, & si per tempus liceret, non ei omnium suppetebat copia librorum, tum propter Euangelicam, & strictam eius paupertatem, tum etiam propter illius ætatis codicum

Testimoni- n gatiuum Bonauen- turæ non vrget.

L ij penu-

penuriã, vnde multi, vel ex multis multa eius subterfugere poterant studium, & auditum. Non igitur, quia ille horum loca satis luculenta, quæ nobis in promptu sunt, non viderit, aut non audierit, nullũ omnino extare dicendum est. Nec quia antiquiores Patres, & communiter illi, qui Bonauenturam præcesserunt, in suis cum hæreticis congressibus, solum Christum exceperint, ideo Beatam Virginem sub generali Decreto eos comprehendisse putandum est. Forsan post hæc Commentaria, in quosdam incidit, ad quorum rationes, & fundamenta, iam senior negatiuam amplexus est sententiam in luculentissimo, & deuoto sermone de B. Virgine, qui habetur Tom. 3. suorum operum.

Nihil statuit de mẽte sanctorũ D. Thomas.

11 Hoc etiam de mente sanctorum (meo videri) ex D. Thoma colligi potest non leuiter, cumque nullatenus sensisse hanc sententiam fuisse Augustini, aut alterius ex Ecclesiæ Doctoribus, quippe qui tantus, & tam frequens erat in citandis pro quacumq; opinione Doctoribus, totiesque de hac materia egit, Sanctorum authoritates nullatenus pro ea adduxit, nec sanctorum Patrum sententiam esse affirmauit, quod credibile est propterea non fecisse, quod nullum viderit, qui verè, & expressè secundum rigorem controuersiæ, quo inter Scholasticos tractatur, parti adhæserit affirmatiuæ.

Primus Scholasticorum docuit negatiuã.

12 Quod si ipsius opera purè, & sincerè expendamus, videbimus eum inter Scholasticos primum piam scriptis commendasse sententiam, vt videre licet in Commentarijs eiusdem ad primum Sententiarum, alijsq; in locis, quæ plus æquâ quorundam industriâ iam nobis exciderunt. Qui si in 3. p. q. 27. suæ Summæ, & alibi dixit contrarium, hoc non tam fuit mutare sententiam, quam propter summam semet continere modestiam, nec tam dictum voluit corrigere, quam semet parumper colligere, ne temerè aliquid cõcederet, quod tunc non viderit ab Ecclesia probatum: Retardauit itaq; eum à negatiuâ firmiter tenendâ, communior sui temporis doctrina, & licet quarundam Ecclesiarum cultu vrgeretur, tamen Festum illud tunc temporis adhuc non erat ab Ecclesia Romana vniuersaliter institutum, nec quo sensu deberet coli à Pontifice declaratum.

Quare tenuerit affirmatiuam.

13 Præterea quando pro affirmatiua vltimum protulit sanctus Doctor iudicium, non satis discussa erat controuersia, nec plures extabant inter Scholasticos, qui validè, & tenaciter negatiuam propugnarent sententiam. Non erant, qui objicerent, qui examinarent, qui inter se ea cura, ac diligentia, qua his sæculis factum est, sancto-

ſanctorum Patrum,& ſacræ Scripturæ teſtimonia. Adhuc non erat pro negatiua ſententia clarus, aut manifeſtus Eccleſiæ ſenſus, non aderat pro ea tunc vnanimis, quem modo perſpicimus, fideliũ conſenſus; non erant, qui ſe palam affirmatiuæ opponerẽt, quos modo habemus viros doctiſsimos quoadvſq; viam aperuit ſua ſubtilitate, & fælici ingenij acumine Scotus, à cuius ætate ad noſtram pauciſsimi, aut ferè nulli ſunt, qui cum eo negatiuæ, non ſubſcribant. Vnde non erit, qui in eo rerũ ſtatu ſummoperè non laudet D. Thom. prudentiam, qui ſui temporis, & controuerſiæ circumſtantiarum rationem habuerit, & qualem opinionis ſtatus, & temporis conditio expoſtulauerit, ſequutus fuerit ſententiam. Sed & qui modo propter temporis & controuerſiæ varietatem, & Eccleſiæ manifeſtã propenſionem in ſententiã piam, illam ſectantur, nec à D. Thomæ mente recedere, nec eius ſe cõtraire doctrinæ doctè, & cordatè contendũt.

14 Demus verò hunc, & cæteros, de quibus actum eſt, nunquam ſententiam retractaſſe, vt plurimi ex eorum doctrina fruſtra probare nituntur, ſed ſemper, & firmiter in affirmatiua perſtitiſſe; nunquid ita huius rei veritatem ſunt aſſequuti, vt qui cum illis non ſenſerit, ab ea penitus recedet? Nunquid ita in hac re omnem omnino certitudinem explorarunt, vt nihil poſterius explorandum ſupereſſet? Nónne vt homines errare potuerant? nec enim omnibus quæ ſcripſit, aut dixit quiſpiam mortalium, omnimodam, & irrefragabilem attigit veritatem. Solis canonicis ſcriptoribus, & quibus continuo ſpiritus ille veritatis aſtiterat, hoc conceſſum eſſe fatemur. *Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia.* Quælibet ætas ſuam veritatem aut parit aut aperit, temporibus ſuis res aguntur & varia dogmata varijs reſerantur ætatibus: Nihil ergo iniuriæ his aut alijs Patribus irrogatur, cum nouiores Theologi, quod illi non percæperunt, attingunt; nec honoris ſubibunt diſpendium, ſi quidquam illis contrarium affirment.

Doctorum quiſque potuit errare.

Daniel 12.4.

15 Nullius certè ſub canonicis ſcriptoribus authoritas maior eſt Auguſtini, quem Hieronymus *conditorem antiquæ noſtræ fidei appellauit.* Et quem in generalibus Concilijs, in catholicis Academijs, in Eccleſiaſticis tribunalibus pro ſacræ Doctrinæ depoſito & germano interprete venerantur Orthodoxi; & nihilominus non eſt, qui neget, quod & ipſe fatetur, aliqua eius captum ſuperuolaſſe, aliqua excidiſſe, non omnia percepiſſe, quædam minus recte ſcripſiſſe, non ita certo ſcopum attigiſſe, vt omnes ſuæ doctrinæ velit ha-

Auguſt. fatetur ſe aliquando erraſſe.

Hieronymus Epiſtola ad Auguſt.

bere sectatores. *Neminem* (inquit sanctus, & humilis Doctor) *velim sic amplecti omnia mea, vt me sequatur, nisi in ijs, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, vt nec me ipsum, in omnibus me sequutum fuisse demonstrem.*

August. lib. 2. de Dono perseuer. c. 21. to. 3.

16 Augustinum certè imitari non puduit D. Thomam eius doctrinæ, & humilitatis discipulum, si credimus opusculo 72. quod inter cætera illius opera circumfertur. Ingenue etenim intellexit in tot tantisque eius operibus aliqua esse, quæ sibi cohærere vel non poterant vel non videbantur, & in aliquibus locis sui immemorem, contradicentia fortasse dixisse; quæ si offenderit benignus Lector, ea vel inter se reconciliare, vel minus exercitatum aut minus verum reijcere, & saniorē amplecti illum rogauit. Hæc illius opusculi verba: *Supplicamus vt si quid aliquis inuenerit à nobis non concordatum; si ei non sit magna causa dicendi, ex qua (secundum Hilarium) accipienda sit intelligentia dictorum discretorum, & magis exercitatum consulat; si verò non fuerit inuentum, quod simul vtrumque stare possit, id illorum eligat, quod magis veritati consonum iudicauerit, alterum verò reuocaremus nos, si talis nobis discordia occurreret.*

Non puderet D. Thomam se retractare.

D. Tho. opusc. 72 in princ. tom. 17.

17 Probabiliter ergo credere possumus quod si hodie hanc vitam viueret gloriosus Doctor, & controuersiæ statum perspiceret, eadem facilitate, qua Augustinus multas, ille vnam retractaret sententiam, vt pie, & non inani ducti fundamento, multi ex probatissimis eius iudicarunt discipulis. Quod, & eius sectatores iam tandem facere conueniret, nec ita tenaciter adhærere opinioni cui præcipuus eius author libentissime valediceret. Expediret certe non parum hanc dissimulare & omnino tacere, non secus ac alias quasdam eiusdem Doctoris sententias, quas communi hominum captui displicere deprehendunt, vel ingenij dexteritate, qua pollent, explicare; & ad saniorem ac mage gratum sensum accommodare; tum propter illa, quæ diximus; tum quia in ipsius sancti Doctrina non infirma sunt piæ opinionis de qua agitur, fundamenta; imò solidiora quæque à multis ex recentioribus adducta, ex eius sunt operibus deprompta.

Si nunc vixisset, in negatiuam abiret.

Medina in 3. p. q. 27. art. 2. in respōs. ad 3. pro sententia affirmat. Iustin. in addit. ad vit. B. Ludou. Beltram. paragr. 1. Idem Beltramus ab eo citatus, & alij.

18 Hæc ergo tantorum Doctorum acies ab aduersarijs conuocata, quæ sedulâ indagatione Theologorum destructa, & profligata, ad paruum ternarium numerum, imò minorem (si alijs credendum) redacta est. Doctores quosdam Scholasticos, & alios minoris notæ viros, antiquitus fuisse pro hac sententia non inficiabor,

Ex sanctis Patribus, & ex Recentioribus ferè nullus adhæret affirmatiuæ.

qui

qui continuâ succeſsione ſine maiori inueſtigatione in fide magiſtrorum, ſanctorum Patrum fuiſſe ſententiam putantes, eis ſubſcribebant; ſed vt lis hæc dirimenda propoſita eſt, & quæſtione exactè per tot ſæcula diſcuſsâ, veritas eluxit, Eccleſiæ auctoritas acceſsit, vniuerſam Theologorum ſchola (pauculis qui ſe vinci putant inhonorum, exceptis) negatiuæ firmiter adhæſit, eamque omnes fermè Principes Chriſtiani tuâ ſententiâ ſtabiliendam inſtanter efflagitant.

19 Vel hinc demum ſufficienter nobis perſuaderi poterit hanc non fuiſſe Patrum opinionem, vt inaniter iactant vel obijciunt aduerſarij. Nec enim ſe illis opponerent recentiores Doctores, nec in illorum deſpectum negatiuam foueret Eccleſia, ſequerentur Principes, crederent populi; ſummi venerarentur Pontifices: Aliter namque periurij reos dicemus tam Doctores, quam Pontifices, qui, contra iuramentum præſtitum dum ad illos gradus vel honores aſcenderent, aliter interpretantur Scripturas, quam communis patiatur ſanctorum Patrum doctrina. Certè ſi illorum eſſe ſententiam affirmatiuam intelligerent Patres Concilij Tridentini, nequaquam vererentur eorum innixi auctoritati, ſub communi hominum conditione & ſub eadem alea conditionis humanæ in Decreto de peccato originali Virginem compræhendere. Nec de Tua Beatitudine credendum (imò iniurioſum in Tuam illuſtrem in Chriſto prudentiam reputo dicere contrarium) ſi tale quid perſpexiſſet, aut aliquantulum ſuſpicaretur, Patres conueniſſe in aduerſariorum ſententia, quod illam iuberet taceri, & ſilentij tenebris iniuſte præciperet inuolui. Hæc certè magna; & plana excogitati figmenti indicia.

Non tenuiſſe affirmatiuam SS. Patres comprobatur.

20 Nequaquam igitur Tuam Beatitudinem debet retardare apparens illa ſanctorum congeries, quum (vt iam dixi, & me probaturum ſpondeo, ac palam oſtenſurum adſtringo) paucisſimi ſint pro affirmatiua, & multi pro negatiua, præſertim quod & ſi plures pro aduerſarijs eſſent, ob id ſtatim Regis Catholici pro diffinitione inſtantia non eſſet repellenda, cum multa, contra multos Eccleſiæ Patres, non in eorum contemptum, ſed in neceſſariam fidei veritatem, iam ab Eccleſia fuerint definita. Innumera ſunt mihi horum exempla, quorum copiam largiùs & liberiùs in alijs Tractatibus Tuæ Beatitudini faciam. Modo breuiter dico aliquos ex priſcis Patribus docuiſſe Angelos eſſe corporeos; animas non fruituras glo-

Quamuis aliqui docuiſſent affirmatiuā, poſſe tamen definiri contrariā.

ria ante diem iudicij, hæreticos esse rebaptizandos, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, Virginem actualiter peccasse: D. Thomas etiam cum suis docuit votum simplex sine adhibita solemnitate ad religionis professionem non sufficere; attamen nihil horum modo recipitur in Ecclesia, & contrariæ ferme omnes opiniones sunt à Pontificibus vel Concilijs definitæ.

Humilis expostulatio ad S^m. Dominum.

Videri oportet sanctos Patres in suis originalibus.

21 NIhil iam ergo vndequauis superest, quo à Diuino eructando oraculo remoretur Tua Beatitudo, aut aliquantulum hæsitet, cum hoc argumentum de Sanctorum Patrum doctrinâ, quo solo aduersarij in extremo iam discrimine positam suam sententiam tantopere commendauerint, apparens sit, & infirmum. Cuius rei si facere velit Sanctitas Vestra periculum, præsto adsumus, præ manibus sunt Patres, perquisita, & examinata eorum eloquia, expensæ eorum sententiæ, quas non sine magna iniuria, & infidelitatis notâ quidam ex aduersarijs protulerunt. Liceat ergo hæc in suis originalibus, vel libris optimè castigatis, & medica manu in Romana, & alijs Catholicis limatissimis Typographijs, correctis, & cum antiquis codicibus comparatis, conferre vt tantus Tuo, & doctorum hominum iudicio, dolus possit aperiri. Nihil nouum, nec iniustum peto. Hoc idem petierunt, & obtinuerunt Legati Sancti illius Pontificis Agathonis in illa 6. Synodo, in qua qui vnam tantum in Christo voluntatem admittebant, legitimum, & vnanimem illud fuisse sanctorum Patrum consensum iactitabant. Quorum fallacia vt detegeretur, Theodorus, & Ioannes Diaconus, qui locum præsentabant Sanctissimi Papæ Agathonis, & qui cum eis erant Episcopi, & cæteri Patres Concilij dixerunt ad Imperatorem Constantinum Pogon. qui assistebat Concilio. *Piissime Domine adhuc aliquid de vna voluntate, & vna operatione non ostenderunt Macharius Archiepiscopus Antiochiæ, & alij Episcopi aut Patres eius sequaces per testimonia ab eis prolata. Sed & ipsa testimonia, quæ protulerunt coram vestra pietate ac sancta Synodo detruncauerunt, & quæ ad Trinitatis attinent rationem de vna voluntate pro incarnationis dispensatione Domini nostri Iesu Christi, protulerunt, quæ vero conueniunt, & quæ proprie pro huiusmodi carnis dispensatione Domini nostri Iesu Christi posita sunt, tam sensum quam verba detruncauerunt. Vnde petimus vestram piissimam*

In 6. Synodo generali act. 6.

ſimam fortitudinem authenticos Codices prolatorum ab eis paternorum teſtimoniorum proferri ex venerabili Patriarchio huius Regiæ ciuitatis, & conferri cum codicibus ab eis oblatis, & demonſtrâmus quæ ab eis in his facta eſt obcelatio.

Quod ad ſequentem actionem 7. fieri iuſsit Imperator. Ad hoc idem multo antè tamquam ad vltimum malorum remedium, cogere voluit Arianorum ſequaces Imperator Theodoſius ex Conſilio Siſinij, & Nectarij, vt collatis inter ſe ſanctis Patribus, & periculo facto veritatis authoritatum eorundem, quas vtrinque Catholicorum acies, & Ariana colluuies proferebant, ſiſterent iudicio ipſorum Patrum & Codicum, & per illud tanta reſcinderetur controuerſia. Hiſtor. tripar. l. 9. c. 19.

Hoc idem humiliter, & quâ poſſumus inſtantiâ petimus, & nos ſtare volumus iudicio Patrum; & veſtro, quod omnium firmiſsimum, & certiſsimum reputamus, & credimus; nullius alterius Patris aut cuiuſcumq; Doctoris dictis infallibilem omnino tribuentes certitudinem, & ſecuritatem, quam in ſinu Patrum ſuam aſſequutam eſſe ſententiam finxit Caietanus. Tuum erit hoc iudicare, à te ſolo ſecuritatem prodire nos confitemur. Quidquid fidei, quidquid certæ veritatis in hac re ſperamus, à te illud exſpectamus, quam multis & magnis Doctoribus, & maiorem, & veriorem orthodoxa ſuſpicit & veneratur Eccleſia. Non fuit ex non Pontificibus ſummis poſt Apoſtolos, vllus, qui in Dogmatibus ſtabiliendis errare non potuerit. A te ſolo, & Tuæ Sedis Pontificibus omnis error eſt alienus, in te ſtabilita eſt veritas, in Tua Sede venerandum, & perpetuum ſibi thronum conſtituit. Ab illo ſolio nullum vnquam poterit oriri mendacium. Caiet. opuſc. de Concept. cap. 5. ad fin.

Tractatus Quarti Finis.

Continuatio Hiſtoriæ.

VT per hunc Tractatum, & quæ ſub familiari colloquio Orator intimauerat, Sua Sanctitas percepit, horum authorum nimiam imponendi libidinem, factamque tantam in authoritatibus obcelationem intellexit; ſe vehementer admirari, ait, quomodo per tot annorum ſpatia, fallacia hæc inualuerit, nec deprehenderetur; & iam deprehensâ (ſi verum erat) & detectâ, adhuc inſiſtebant aduerſarij in perſuadendo populis, tam ſanctos omnes

mnes Patres, quàm vetuſtiores Doctores ſibi fauere. Magnum ſibi tunc ineſſe deſiderium oſtendit, vt huius fallaciæ (ſi quæ erat) fieret periculum, & exactè ſeriúſque omnes conſulerentur in ſuis operibus Doctores; (quod & ſummè percupijt, & enixiùs petijt Orator) non tamen hoc ſibi tot moleſtijs, & grauiſsimis Eccleſiæ rebus circumſeptō, & vndique obſeſſo, tunc temporis licere, & proinde in aliud commodius eſſe differendum. Quod verò attinebat ad libellum, in quo ingens Patrum, & Doctorum numerus coaceruabatur, & quem ſibi oblatum paucis ante diebus Oratori reuelauerat, in eo illum deceptum admonuit, quod Vincentij Bandelli eum eſſe putauerit, eſſe tamen alterius Authoris eiuſdem inſtituti. Hunc facilè diuinauit, & dixit Orator Bandelli compendium eſſe, propterea quod omnes, qui poſt eum quidquam in hac Controuerſia ſcripſerant de mente Patrum, totum fermè ex Bandello deſumpſerint. Libellum ipſum promiſit Sua Sanctitas Epiſcopo ſe in ſuas ædes deſtinaturam, quod & beneuolè compleuit per ſuæ Cameræ Præfectum. Non inanis nec temeraria fuit Oratoris de libello ſuſpicio, quippe nihil aliud continebat, præter compendium, vel potius cathalogum Doctorum à Bandello citatorum, per Fratrem Petrum de Vincentia concinnatum; præfixis in initio quibuſdam temerarijs contra piam opinionem cenſuris.

Cogitauit ergo Orator non parum cauſæ profecturum, ſi nouo edicto tolleretur è medio Bandellus, nec eo ita liberè, & abſque timore vterentur Aduerſarij ad perſuadendum quæ volebant de mente Sanctorum, quotidie eum omnibus obtrudentes, & pro probatiſsimo, & omnium in hac re doctiſsimo commendantes. Voluit ergo, vt ex duobus eius libris contra immaculatam Conceptionem editis (quorum vtrumque inueſtigare facilè non eſt, & nobis habere licuit ex Bibliotheca Illuſtriſsimi Cardinalis de Trejo optimis libris refertâ) omnia colligerentur, quæ grauiora erant, & duriora, & Apoſtolicis videbantur Decretis contraire; & iterum inculcarentur, quæ minùs fideliter dixit de ſenſu priſcorum Doctorum, & quæ minùs modeſtè in aduerſæ ſententiæ fautores effudit, ſub hoc Tractatu Sanctiſsimo Domino exponerentur.

ORATIO

ORATIO QVINTA
AD S.MVM D.NVM
PAVLVM PAPAM V.
TRACTATVS VI.

Libros duos Vincentij Bandelli contra Conceptionem immaculatam Virginis Mariæ conscriptos, sæpius fuisse interdictos, & adnumerari debere auctoribus in Indice, vel Cathalogo librorum reprobatis.

1 *Referuntur temerariæ quædã propositiones contra sententiam negatiuam.*
2 *Condemnãtur litteris Apostolicis.*
3 *Iisdem litteris subscribunt alij Pontifices.*
4 *Propositiones illæ condemnatæ modo seminantur in populis per Bandelli tractatus.*
5 *Recensentur iniuriosa, & minùs æqua verba, quæ Bandellus habet l. 1. p. 1.*
6 *Quæ scripsit in secunda parte eiusdem tractatus.*
7 *Conuincitur alterum tractatum esse Bandelli.*
8 *Quæ dixit in 1. p. tractatus 2.*
9 *Quæ in 2. p. eiusdem tractatus.*
10 *Quæ in tertia parte.*
11 *Quæ in 4. parte.*
12 *Quid minùs verè de mente Sanctorum Patrum inculcauerit.*
13 *Quæ dixerit in contrarios, conuicia.*
14 *Apostrophe ad Sanctissimum Dominum.*

BEATISSIME PATER.

POstquam Sixtus IV. ad annum 1476. vniuersos fideles hortatus est, & largissimis indulgentijs inuitauit ad celebrãdum Conceptionis Virginis Mariæ Festum, iam ante ab Ecclesia vniuersaliter receptum; quidam diuersorum ordinum Prædicatores ausi sunt prædicare, & editis insuper libris docere, non esse celebrandum huiusmodi Festum, aut saltem intelligendum de spirituali Conceptione, aut sanctificatione eiusdem Virginis, opinionemque asserentium eam fuisse sine peccato conceptam, hæreticam esse, mortaliterque peccare eos, qui ita sentirent, aut docerent; imò, & quoscumque qui sermonibus ita asserentium interessent. *Temerariæ quorundam propositiones contra negatiuam sententiam.*

2 Ex quibus assertionibus dum non leuia, nec pauca oriebantur scandala, duas edidit extrauagantes idem Sixtus, quarum vtraque incipit *Graue nimis.* Primam peculiarem pro partibus Lombardiæ an. Dom. 1482. In quibus magis tunc huiusmodi vigebant dissidia. Se- *Condemnantur à Sixto IV.*

dia. Secundam vniuersalem, & quæ habetur in corpore iuris Tit. de reliq. & venerat. Sanctorum in Extrauag. communibus, anno Dom. 1483. In quarum prima specialiter illam Felici explicationem condemnauit, in vtraq; verò cæteras relatas præfatorum Prædicatorum propositiones, tanquam falsas, erroneas, ac à veritate penitus alienas, dictosque desuper libros, illas continentes, authoritate Apostolica reprobauit, ac damnauit, & eos, qui in posterum præsumerent in suis sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet prædictas propositiones approbare, aut veras esse dicere, vel dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationi & æternæ maledictioni subiecit, cuius absolutionem soli Romano reseruauit Pontifici.

Et ab alijs Pontificibus.

3 Prædictas verò Extrauagantes, saltem secundam reualidauit, eius executioni Iudices constituens, Alexander VI. in Bulla quæ incipit; *Illius qui se.* an. Dom. 1502. Postea ad an. 1546. easdem confirmauit Concil. Trident. sess. 5. de peccato originali. 3. Pius V. in motu proprio, cuius initium *Super speculam* an. 1570. Ac tum demum Tua Beatitudo an. 1616. in Diplomate *Regis pacifici* multis superadditis pœnis illas roborauit.

Duo Bandelli tract. contra puram Virginis Conceptionem.

4 Non obstantibus tot, tantisque summorum Pontificum litteris censurisque in ijsdem contentis, plurimi ferunt præ manibus duos libellos vel tractatus Vincentij de Bandellis & Castro Nouo Diœcesis Terdonensis, Ord. Prædicat. quorum vnum suppresso proprio nomine edidit an. Dom. 1475. dedicauitque Comiti Petro de Gambara, ciui Brixiensi, cui titulus *libellus de veritate Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ.* Eius hunc esse constat ex altero libro, quem in lucem dedit sub suo nomine an. Dom. 1481. & ita ad Herculem Estensem Ferrariæ Ducem inscripsit. *Tractatus de singulari puritate & prærogatiuâ Conceptionis Saluatoris nostri Iesu Christi.* In hoc primi libri multoties meminit, citatque in pluribus locis plura, quæ eodem modo, & loco, quo citantur, in illo inueniuntur, quorum aliqua inferius subijcientur, vt liquido constet vtrumque opusculum eiusdem fuisse authoris. In vtroque non solum prædictas assertiones à tot tantisque Pontificibus reprobatas, ac condemnatas, verũ etiam alia multa, & Catholicæ fidei, Christianæ concordiæ, ac paci & bonis moribus aduersantia passim habet, & sæpius inculcat. Horum compendia fecerunt alij, in quibus easdem similesque propositiones docere in tot Apostolicarum litterarum contemptum non verentur.

Multa in ijs habent graui censurá digna.

rentur; quarum summam hic subijcio, recensens primo, quæ habentur in secundo libro, tanquam authoris nomine præfixo, notiori, & quia in volumine quod offertur primũ habet locum; cuius aliæ plures extant editiones, vna Venet. an. Dom. 1501. per Christophorum de Pensijs, alia Mediolanen. per Leonardum Vegium an. 1512. altera facta est an. Dom. 1502. cura cuiusdam Patris Dominicani, qui licet in principio eiusdem præfixerit Epistolam ad Fratres sui Ordinis, nomen tamen suum & locum in quo excusus est liber, omnino reticuit.

In primo libro.

5 IN *Epist. Dedicatoria ad Herculem Ducem, multoties vocat opinionem, quæ negat Virginem in peccato conceptam* errorem, *insuper*, insanam opinionem, femina falsitatum, *& in fine dicit*, esse quid mortale, perniciosum, falsitate plenum, & fidei diuinisque litteris contrarium.

Cap. 1. ait. Huic singulari puritatis Christi excellentiæ detrahere nefandissime videntur, qui contra Sanctorum Patrum clarissimas sententias Beatissimam Virginem in sui Conceptione ab originali peccato fuisse immunem conantur astruere.

In fine eiusdem capitis conclusione 2. Dicere Beatam Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, non est pium.

Ibidem Corolario 1. Non est licitum credere, aut pertinaciter asserere B. Virginem non fuisse conceptam in peccato originali.

Ibid. Corol. 2. Non est licitum prædicare assertiuè quod B. Virgo fuerit in sui Conceptione immunis à peccato originali.

Ibidem Corolario 3. Periculosum est accedere ad prædicationes illorum quando actu prædicant Beatam Virginem fuisse conceptam sine peccato originali.

Cap. 9. circa finem, consequens est, vt quicunq; dicat B. Virginem nullum vnquam habuisse peccatum, sit Hæreticus appellandus.

Cap. 22. citat authoritatem cuiusdam Ioannis Ord. Cisterciensis quam approbat, in qua dicitur, quod Deus Pater præcepit Spiritui Sancto, aufer rubiginem, &c. *quod quo sensu inter Catholicos possit proferri, Doctissimi quique dubitabunt.*

Capite 34. in princip. Opinio quæ dicit Beatam Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, contradicit sacræ Scripturæ, & est impia.

Cap. 35. in princip. Positio quæ dicit B. Virginem non contraxisse originale peccatum, contradicit auctoritatibus Sanctorum, & est impia.

Cap. 36. in princ. Positio quæ dicit B. Virginem non contraxisse originale peccatum, contradicit antiquæ fidei omnium Catholicorum, & est impia.

In fine eiusdem capitis infert. Patet quod excipientes B. Virginem ab illâ generalitate, contradicunt fidei antiquæ omnium Catholicorum.

Cap. 37. in princ. Illud quod Sancti & famosi Doctores dicunt esse erroneum, superstitiosum, & hæreticũ, non est pium, sed impium, sed dicere quod B. Virgo vel alius præter Christum non habuerit aliquod peccatum, Sancti & Doctores famosi dicunt esse erroneum, ergo dicere B. Virginem non contraxisse peccatum originale non est pium.

Cap. 38. in princ. Illa positio quæ contradicit determinationi Ecclesiæ non est pia, sed impia, sed positio, quæ dicit B. Virginem non contraxisse originale peccatum, contradicit determinationi Ecclesiæ, ergo non est pia, sed impia.

Ibidem ante medium Capitis. Si quis diceret Ioannem Baptistam vel Apostolos non habuisse originale peccatum esset hæreticus, quia contradiceret illis Concilijs (*quæ scilicet ille ibidem refert*) ita & qui dicunt B. Virginem non contraxisse originale peccatum contradicunt illis Concilijs.

Ibidem in fine. Positio quæ dicit oppositum, scil. B. Virginem non habuisse peccatum originale non est pia, sed impia, quia contradicit Spiritui Sancto, qui est author sacræ Scripturæ.

Cap. 39. Quod contradicit sacræ Scripturæ & Doctoribus sanctis & determinationibus Ecclesiæ caret veritate, sed prædicta positio est huiusmodi ergo.

Cap. 40. Personæ quibus factæ sunt reuelationes de V. Mariæ immunitate à peccato originali sunt personæ suspectæ, carnalibus vitijs deditæ, nihil in se spiritualitatis ostendentes. *In quo certè non leuiter B. Brigittæ, & aliorum piorum hominum sanctitati derogat, imò & Ecclesiæ eosdem canonizanti, & reuelationes quasdam ex his approbanti.*

Cap. 41. Quod contradicit S. Scripturæ & sanctorum Doctorũ authoritatibus & antiquæ fidei & demonstrationi Ecclesiæ & repugnat dignitati, & veritati Christi, non est licitum illud credere, sed

ſed poſitio quæ dicit B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali eſt huiuſmodi, ergo non eſt licitum credere vel tenere ipſam non habuiſſe peccatum originale.

Ibi in 2. Corolario. Non eſt licitum prædicare B. Virginem non habuiſſe originale peccatum, quia repugnat authoritatibus ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Doctorum, & antiquæ fidei omnium Catholicorum, & dignitati Chriſti.

Ibi in 3. Corolario. Non eſt licitum audire prædicantes Beatam Virginem non habuiſſe originale, quia eſt doctrina corruptiua fidei, & contradicit ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Doctorum, & derogat dignitati Chriſti.

Ibi in 2. probat. 3. Corolarij. Qui audiunt prædicantes B. Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali, dant eis occaſioné peccandi, quia dant eis occaſionem dicendi mendacium, & praue exponendi ſacras Scripturas, & falſa miracula confingere, à quibus malis retraherentur ſi non haberent auditores.

In peroratione primæ partis eiuſdem libri ad Ducem Ferrariæ concludit. At nos relicto populari errore amplectemur veritatem, quam nobis Apoſtoli & alij Doctores ſanctiſsimi in ſuis codicibus tradiderunt.

In 2ª. parte eiuſdem Tractatus.

6 IN *decima ratione ſecundæ partis ad infirmandam authoritatem Eccleſiæ quia Feſtum Conceptionis celebrabat, hæc verba effudit.* Vnde dicta Auguſtini & aliorum ſanctorum Doctorum in his quæ pertinent ad fidem & ad bonos mores, in maxima reuerentia à Summis Pontificibus habentur, imò eorum dicta in ſacris Scripturis exponendis & in cauſis decidendis, maximè quando fundantur in ſacra Scriptura in his quæ pertinent ad fidem, & ius Diuinum videntur eſſe præferenda conſtitutis Summorum Pontificum vt notatur in gloſſa *De libell. diſtin. 20.* imò præferuntur determinationi Concilij vt habetur in c. *Placuit* 35. q. 2. vbi præfertur ſententia Hieronymi Concilio Calcedonen. prohibenti raptam poſſe Matrimonio copulari raptori, quia authoritas Hieronymi erat in ſacrâ Scripturâ fundata, *Exodi 22.* Et ideo cum Auguſtinus & alij Doctores ſancti, ac Summi Pontifices fundantes ſe in ſacra Scriptura promulgante ius Diuinum, dicant Beatam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam, videtur ex prædictis ſequi quod

ſententia ſanctorum Doctorum in hac parte ſit dictis, & conſtitutis quorumcunque præferenda, &c. *Quæ propoſitio quam pernitioſam contineat hæreſim, & quantum ſacræ & ſupremæ Pontificiæ præiudicet dignitati, & noſtri temporis hæreſibus applaudat, Tuæ Beatitudinis eſt exactè perpendere.*

Ratione 21. quæ talis erat; Dominus Papa dedit Indulgentiam his qui dicunt officium Conceptionis Virginis iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationē Magiſtri Leonardi de Nogarolis ergo &c.
„ *Reſpondet;* Poſito quod Dominus Papa viderit illud officium, quod
„ multi negant propter multa verba nugatoria, quæ in illo continentur, &c. In quo quam iniuriam irrogauerit & Summo Pontifici & ſanctæ Eccleſiæ, eo quod dicat inconſiderata, non examinata, aut perſpecta, ſed nugatoria propoſuiſſe fidelibus recitanda in officio Diuino, & ad eorumdem recitationem tam amplas elargitus ſit Pontifex Indulgentias conſiderari certè debet & perpendi.

Ibidem cum ſibi obieciſſet quod in Lectione quapiam illius officij refertur pro pia ſententia authoritas ſancti Dominici, dicit. Reſpondeo primo quod mentitur in caput ſuum, ex hoc enim concludere poſſumus quod illud officium multis conſperſum eſt mendacijs, cum allegat librum, quem natura neſciuit. *Et tandem in fine concludit ſic.* Et ideò quidam dicunt quod Dominus Papa illud officium non vidit, quia cum ſit vir doctiſsimus, & ſemper Doctores ſanctos in veneratione habuit, non eſt tam faciliter credendū quod intendat præſtare fauorem his, qui ſententijs ſanctorum Doctorum contradicunt. *Vbi apertè fatetur hoc officium fauere his, qui contradicunt ſententijs Sanctorum, & illud approbaſſe Pontificem neſcientem quid continuerit, quod non leuiorem cenſuram quam præcedens meretur aſſertio.*

Ibidem in fine multa dicit ſatis indigna contra prædictū Leonardum, & vitam eius ac mores, & officio prædicto ait illum inſeruiſſe multa falſa, & libros citaſſe, quos natura neſciuit, vnde colligit Pontificem officium illud non vidiſſe, quod tamen piè, ſanctè, & laudabiliter diſpoſitū fuiſſe ait in Extrauaganti *Cum præexcelſa* ipſe Sixtus. Et in Extrāu. *Graue nimis* ab ipſa Eccleſia ait inſtitutum.

Ratione 33. Quia aduerſarius arguens ei obiecit etiam ipſum Mahometum de Virginis originali innocentia protuliſse teſtimonium,
„ ait. A fide Chriſti alienos ſe eſse oſtendunt, qui in his quæ ad fidem
„ pertinent relictâ ſacrâ Scripturâ, Mahometi teſtimonium requirunt, &c. Cum tamen multa etiam Sancti Patres ab Ethnicis & fidei noſtræ

dei nostræ aduersarijs, citauerint, vt ex ipsis inimicis inimicos debellarent, semper tamen sacræ Scripturæ innixi testimonijs. *Et addit;* non esse mirum si Mahometus hunc errorem seminauerit, &c.

Rat. 34. ait. Hæreticum esse dicere Virginis Conceptionem præintellectam esse in mente Diuina conceptioni aliorum hominum, quod tamen satis probabile, & receptũ est apud plures Theologos.

In Epilogo, dicit. Quod si aduersarij (*defensores scilicet Conceptionis immaculatæ*) in eadem stultitia, & præsumpta nouitate perdurent necesse est, vt egregios Catholicæ veritatis acerrimos defensores qui ingenti gloria in Ecclesia Dei claruerunt, turpiter accusent, & Scripturas sacras perniciosè deprauent, & errorem Pelagij, Cælestini & Iulianij suis peruersis expositionibus impie defendant.

In Carminibus Antonij Fauentini eidem libro affixis in editione an. 1502. negatiua sententia seu pia, vocatur *error;* & in alijs sequẽtibus cuiusdam Anonymi dicitur Bandellus per hunc suum librum consolidare fidem, aggredi valide, & sternere superna manu adiutus „ hostes Diuini nominis, & solum quod ille dicit, verum esse; quod „ non probat, atrox; quod spernit, falsum; quod tenet, esse pium, & „ non nisi mentis inopem aut perniciosum hominem contradictu „ rum, aut acerbis eum rosurum dictis. *Et in Carminibus M. L. Iurisperit. dicitur;* „ hunc librum errata sophismata soluere.

In fine totius operis post relatam epistolam D. Bernardi in peroratione authoris ad detractores dicit, *contrariam opinionem esse errorem & copiosam ignorantiam.*

De 2. libro huius voluminis.

7 QVamuis hic libellus sub præfati Vincentij Bandelli nomine non prodierit, eius tamen esse constat ex primo quem hucusque discussimus qui in editione fuit posterior, in eo etenim se in hoc 2. multoties citat, nam in c. 9. 1. partis in fine agens de expositione cuiusdam authoritatis D. August. ait; Expositionem præ- „ dictæ authoritatis diffuse posui in alio libello, quem Comiti Petro „ de Gambara intitulaui, in ratione 11. 3æ. viæ, vbi eiusdem loci Au- „ gust. expositio illa inuenitur. *Cap etiam 31. habetur.* Idem tenet August. „ 44. alijs locis sicut allegaui in alio libello quem intitulaui Comiti „ Petro de Gambara ciui Brixiensi in ratione 13. 2æ. viæ, quo in loco „ habentur omnes illæ Augustini authoritates.

Cap. 11. 2. partis respondens ad quædam loca D. Anselmi sibi obiecta ab aduersario ait; Respondeo quod liber ille & epistola illa non sunt Anselmi Cantuariēsis, sicut diffusè per nouem rationes probaui in solutione 32. rationis alterius tractatus, quem intitulaui Comiti Petro de Gambara, vbi omnes illæ rationes habentur *ex quibus alijsque citationibus sine dubio eidem authori tribuendus est vterque libellus.*

8 *In proœmio huius libri dicit;* Opinionem de Conceptione immaculata esse errorem mortalem fugiendum, falsitate plenum, impium, profanum, vtpotè fidei diuinisque litteris aduersatissimum, perniciosum.

Ibidem paulo inferius ait; Se velle oppositum sentientes ad sinum Matris Ecclesiæ relicto errore conuertere.

Inferius. Quod nulla ratione persuasi, nec authoritate freti aduersarij in iniuriam sanguinis Christi contra tot Sanctos & Doctores propter popularem tantum fauorem, illam sine originali fuisse conceptam audent prædicare.

Statim subiungit titulos capitulorum, quæ habentur in quatuor libri partibus, & in titulis 2. viæ, partis 2. has habet assertiones grauiores præ alijs multis, viro Theologo satis indignas.

Tit. 4. Si Beata Virgo sine peccato fuisset, Christi sanguine nec reconciliata, nec iustificata fuisset.

Tit. 6. Si Beata Virgo sine peccato concepta fuisset, ad populum Christi non pertinuisset.

Tit. 11. Qui Beatam Virginem sine vllo peccato fuisse asserit, dignitati Christi nefandissimè detrahit.

Tituli rationum 3æ. viæ.

1 SI Beata Virgo sine peccato concepta fuisset, eius Mater in concipiendo Virgo fuisset.

2 Beatam Virginem fuisse sine peccato originali conceptam, caret omni veritate.

3 Dicere Beatam Virginem sine peccato fuisse conceptam, est contradicere sacræ Scripturæ.

4 Dicere Beatam Virginem sine peccato fuisse conceptam, est resistere fundatissimæ fidei.

5 Qui Beatam Virginem sine originali peccato fuisse asserit, Christianæ fidei fundamenta subuertit.

6 Qui

6 Qui Beatam Virginem ſine omni peccato dicit, horrendâ peruerſitate Chriſtianæ Religioni infeſtus exiſtit.

7 Dicere Beatam Virginem peccatum non habuiſſe, eſt dicere eam ſeipſam decepiſſe.

8 Beatam Virginem ſine peccato fuiſſe conceptam, Sancti dicunt eſſe erroneum, & temerarium.

9 Beatam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam 200. Doctores famoſiſsimi tenent.

10 Dicere Beatam Virginem non habuiſse originale peccatum, eſt dicere oppoſitum eius, quod eſt per Eccleſiam determinatum.

11. 12. & 13. dicit; Sanctos Doctores approbatos ſpecialiter affirmare de Virgine fuiſse ſine peccato conceptam; & hoc concludi efficaciter & clarè ex authoritatibus ſacræ Scripturæ & Sanctorum Doctorum.

In ſecunda parte libri.

9 IN *titulo ſecundæ partis ait.* Incipit 2. pars in qua demonſtratur quod impium eſt tenere Beatam Virginem ſine peccato fuiſſe conceptam.

Cap 1. pro concluſione ſtatuit. Dicere Beatam Virginem non fuiſse in originali peccato conceptam, eſt valdè impium, & temerarium.

Ratione 1. 2. 3. & 4. primæ viæ ait; Eſse impium valdè dicere Virginem ſine peccato fuiſse conceptam.

Ratione 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. & 13. ſecundæ viæ idem repetit, & 11. Non eſse piè tenendum.

Ratione 1. tertiæ viæ ait; Si Beata Virgo originale peccatum non contraxiſset, de Spiritu Sancto concepta fuiſset. *Et ſtatim ait.* Se velle luce clariùs demonſtrare impium ac temerarium eſse, dicere Beatam Virginem non fuiſse conceptam in peccato originali. *Et infrà ait.* Eſse valdè impium hoc aſserere.

In 2. ratione ait. Eſse impium valdè, quia caret omni veritate.

In 3. idem ait. Quia contradicit ſacræ Scripturæ.

In 4. Quia eſt reſiſtere fundatiſsimæ fidei.

In 5. Eſse impium valdè, quia eſt ſubuertere fundamenta Chriſtianæ fidei, *quod iterum in fine eiuſdem rationis repetit.*

In 6. Eſse impium valdè quia eſt infeſtum horrendâ peruerſitate Chriſtianæ fidei.

In 7. Quia exinde sequitur quod Virgo seipsam decepit.

In 8. Esse impium valdè, quia est attribuere Virgini id quod Sancti dicunt esse erroneum, præsumptuosum, & superstitiosum.

In 9. Esse impium, & temerarium, quia est oppositum eius, quod ferè omnes famosi Doctores tenent.

In 10. Quia est asserere oppositum eius, quod est determinatum per Sedem Apostolicam, & per Concilia generalia. *Et in fine.* Esse impium, & etiam Hæreticum.

In 11. Quia est negare quod Sancti affirmant, & affirmare quod negant.

In 12. Quia est negare illud, quod clarè potest concludi ex dictis Sanctorum, *vnde esse valdè impium ait ibidem, & ratione 13.*

In fine rationis 9. Refert & approbat illam suspectam sententiam, seu potius manifestam Hæresim, quam ipsum assertiue docuisse supra retulimus ad principium 2ª. partis 1. libri; scilicet, *Sententiam Doctorum fundantium se in sacra Scriptura esse præferendam quibuscunque opinionibus & determinationibus etiam Papæ & Concilij.*

In fine 2ª. partis dicit quod defendentes Conceptionem immaculatam, Scripturas sacras pernitiosè deprauant, hæresim Cælestini, Pelagij, & Iuliani suis expositionibus defendunt. *Et §. vltimo affirmat* esse impium.

In 3ª. parte 1. libri.

10 IN *principio 2ª. partis dicit.* Impium, profanum, & hæreticum fore pertinaciter asserere B. Virginem in sui Conceptione à peccato originali fuisse immunem.

In responsione ad rationem 23. 25. 26. & 33. vocat sententiam negatiuam, errorem.

In responsione ad rationem 30. dicit. Quod miracula, quæ fiunt pro Conceptione, fiunt à Dæmone, quia Dæmon, vt diuisionem ponat inter seruos Dei, & errorem nutriat in Ecclesiâ Deo permittente, vt qui in sordibus est, magis sordescat ad inuocationem Conceptionis sanat aliquas infirmitates, *& alia plura huiusmodi ibi addit, quæ certè matura indigent animaduersione.*

In responsione ad rationem 31. Dicit quod Papa non potest determinare aliquid contra dicta Sanctorum Patrum in sacrâ Scripturâ se fundantium, quasi velit solis Patribus, & non Pontifici datum esse à Deo in sano, & irrefragabili sensu scripturas intelligere, & interpretari.

Ibidem

Ibidem in fine, ait, negatiuam ſententiam contradicere ſacræ Scripturæ & dictis ſanctorum Patrum.

In 4ª. parte 2ⁱ. libri.

11 IN *reſponſione ad rationem ſeu Euaſionem (vt ille vocat) nonam, de ſententiá negatiuá ait.* O dogma diabolicum quod in ſui pernitiem diuerſa mendacia fingens peruertere nititur veritatem!

Ad Euaſionem 17. dicit. Ante Incarnationem nullum hominum per Chriſtum fuiſſe redemptum; *quod qualiter intelligendum ſit, expoſitione indiget, nec enim ſic abſolute prolatum poteſt admitti.*

Ad Euaſionem 20. ait; Doctores antiquos dixiſſe eſſe tenendum ſecundum fidem Catholicam, Beatam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam, & eoſdem affirmaſſe, atque approbaſſe quod oppoſitum tenere erat erroneum, temerarium, ſuperſtitioſum, & hæreticum etiam.

Ibidem ait falſum eſſe dicere, quemlibet in hac Materia de Conceptione Virginis poſſe partem quamcunque tenere, ſed ſemper affirmatiuam de maculata Conceptione eſſe tenendam.

Ibidem paulo inferius ait; affirmatiuam cedere in dignitatem Chriſti, propter quaſdam rationes, quas ibi affert, & ſubinfert; ſed opinio, quæ dicit quod Beata Virgo non ſit concepta in peccato originali, deſtruit omnia illa, quæ cedunt in honorem Chriſti, quia dicit ſolum Chriſtum mortuum non eſſe debitorem mortis. Et dicit poſtremò, Chriſtum non eſſe redemptorem omnium hominum, ergo opinio noſtra eſt magis pia: Opinio vero contraria eſt impia, & ideo omnes, qui meditantur veritatem, tota deuotione noſtram debent ſententiam amplecti, & oppoſitam partem, quæ falſitati, & impietati nititur tanquam pernitioſam deteſtari.

Ad Euaſionem 36. quâ obijcitur vniuerſitatem Pariſien. determinaſſe Feſtum Conceptionis eſſe celebrandum; ait in fine. Determinatio, quæ eſt contra doctrinam Auguſtini, Bernardi, &c. qui dicunt Beatam Virginem eſſe conceptam in peccato originali, nullius eſt authoritatis, ſed eſt præſumptuoſa, temeraria, & ſuperſtitioſa.

Tandem in Epilogo ad Comitem Petrum; Dicit, impium fore, Catholicæque fidei aduerſatiſsimum credere, tenere, aut prædicare Beatiſsimam Virginem originale peccatum non contraxiſſe.

Quid

Quid de mente sanctorum Patrum minus vere dixerit.

12 IN *Proëmio libelli primi seu Epistolæ ad Ducem Ferrariæ §. seu versic:* Et cum primus, *ait*, innumeras ferè authoritates sacræ Scripturæ, & sanctorum Virorum adduxi, quæ nihil aliud asserebant nisi beatam & sanctissimam Virginem ex virili semine propagatam in conceptu suo originalis peccati maculam contraxisse.

Cap. 2. primæ partis eiusdem libri, positis pro conclusionibus, non esse piam opinionem dicere Virginem non contraxisse originale, nec ita credere licitum, aut prædicare, & periculosum esse accedere ad Conciones illorum, qui talia asserebant, ait; Ducentorum sexaginta Doctorum testimonia in medium fideliter adducam, quæ ita esse affirmant, sicut nostræ conclusiones loquuntur.

In Prologo 2æ. partis eiusdem libri, Adduxi (*inquit*) ducentorum sexaginta clarissimorum Doctorum apertissima testimonia, qui nemine discrepante nobis tradiderunt non esse secundum fidem Catholicam tenendum Beatam Virginem in sui Conceptione ab originali peccato fuisse immunem.

Ibidem ratione 10. ait; Quod omnes Doctores & Patres Illustres nemine discrepante asserunt Beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam.

Idem asserit in Epilogo eiusdem secundæ partis, & quartâ parte alterius libelli, Euasione 18. Augustinum, Anselmum, Gregorium, &c. Hanc veritatem apertè docuisse, pluriesque idem repetit.

Probant multi sanctos Patres à Bandello falsò citari.

Quod quam falsum & fictitium sit sedula sua diligentia in Patribus euoluendis, & Doctoribus à Bandello citatis consulẽdis, recentiores editis super his doctissimis libris & scriptis demonstrant, & tres tantum sanctos Patres, vel ad summum secundum alios, quinque, admittunt esse, qui expressè affirmatiuam huius Controuersiæ partem docuerint, quamuis hi etiam tres vel quinque sibi in hac re, non omnino constiterint, & illorum authoritates contra immaculatam Conceptionem claras non violentas patiantur solutiones, & genuinas explicationes.

Parum etiam fideliter eorum verba ab eodẽ referri

Insuper deprehensus est plura pluribus ex his Doctoribus, quos citat, falsò imposuisse, dum illorum verbis sua adijciat, illorum authoritates decerpat, & mutilet, & qui nunquam tale quid somniarunt,

runt, in ſuam ſententiam adducat. Imo & contrariæ opinionis fautores & Principes pro ſuâ citare non eſt veritus , vt numerum 260. à ſe promiſſum compleret, ita vt Scotum ipſum , & Bernardinum Senenſem contrariæ ſententiæ egregios patronos, pro ſuâ, velint, nolint, compellauerit.

Alios etiam toto cœlo ignotos, quorũ nulla fuit apud antiquos notitia, nec eſt apud recentiores memoria, nec vnquam natura cognouit, in medium produxit, & neſcio quibus ex angulis extraxit, quos ſuo catalogo interſerit, vt putetur eſſe in multitudine dominus, ex tantâ congerie Doctorũ (quorum multos ille hoc nomine inſigniuit, & laureauit) magnã conciliet ſuæ opinioni authoritatẽ. *Ignotos adduxisse Doctores.*

Magnam certè in hoc, Eccleſiæ ſummiſq; Pontificibus, feſtum Conceptionis ſub ſenſu ſatis manifeſto immaculatæ approbantibus & indulgentiarum largitione proſequentibus, ipſamq; opinionem negatiuam, & piam omni fauore quotidie ſectantibus, iniuriam irrogat, quaſi voluerint in deſpectum, & contemptum omnium Patrum & Doctorum, opinionem ab illis relegatam, ſed & condemnatam (vt ille ait) amplecti, & illorum vnanimem conſenſum, & omnibus communem opinionem, ac doctrinam, flocci pendere, nouam & inauditam quandam introducere, contra illud quod in profeſsione Fidei ſub ſolemni iuramento ſe ſpondent Prælati & Doctores facturos, communem ſcilicet ſanctorum Patrum doctrinam, & vnanimem conſenſum ſemper ſequuturos. Vnde ſi verum eſt, quod Bandellus de mente tantorum Patrum & Doctorum pro ſua opinione affert, conſequens erit omnes Eccleſiæ Præſules & Doctores, qui omnes præter quoſdam Prædicatorij ordinis & paucos ab illis edoctos negatiuæ ſententiæ adhærent, eſſe periuros. An vero vel leuiter hoc ſit de illis ſuſpicandum, Tu Pater ſanctiſsime iudicato; quid autem immodeſtius, & irreligioſius in contrariæ ſententiæ fautores dixerit omnino prætereundum non iudicaui. *Iniuria est hæc Ecclesiæ & omnium Prælatorum.*

Quid contra bonos mores & viri Religioſi modeſtiam in contrariæ ſententiæ fautores contumelioſius, & irreuerenter adiecerit.

13 IMmodeſtius, quam Religioſum deceat virum, inuehitur immodicis conuicijs in eos, qui Virginem Mariam ab originali labe excipiunt, quorum aliqua grauiora in medium

profero

profero, alijs innumeris, quibus vterque libellus respersus est, consulte omissis.

In Epistola Dedicatoria primi libri ad Ducem Ferrariæ parum post princip. versi. quod vbi, *postquam retulit contradictiones Prædicatorum qui Ferrariæ concionabantur quibusdam dicentibus fuisse conceptam Virginem in originali, alijs è contra negantibus, ait,* hos templa clamoribus compleuisse, ineptissimas voces deprompsisse, vesanâ mente desipuisse, ac veluti delirantes diuinam detestando veritatem in sanctissimos clarosque viros desæuisse, & quo seminandi erroris sui maior se causa offerret, forum eaq; loca, in quibus advertebant ineruditam vulgi frequentiam, assidue perlustrasse, vulgi audientia contentos, peritos Doctorum aures aspernatos.

Ibidem versic. O deliramenta nequitiæ, *exclamat*, vnde æterne genitor funestum hoc virus eorum mentes obrepit, qui castissimæ Matris Ecclesiæ laribus educati à primis (vt aiunt) vnguiculis veritatem diuinarum rerum suxisse debuerant? Quid porrò hac peste pernitiosius? Quid tanta labe execrabilius excogitari poterit? Nefandum sane est id alteri attribuisse quod solum Christo in diuinas laudes fides immaculata donatum fuisse profitetur. Veruntamen cum pro nostra consuetudine eorum flagitiosis dogmatibus pro veritate Christianæ fidei tutandâ Illustrium Virorum clarissimas sententias obijceremus, ad consueta vulgi populariumque confugia se conferebant, clamoribus atque vociferationibus se armantes, in quibus suæ erroneæ opinionis fundamenta iecisse, atque omnem spem, & præsidium collocasse videntur.

Ibidem versic. Proinde, *ait*, cum rationum nostrarum fundamenta suis tortuosis argumentationibus, vel saltem leuiter fœdare non possent, eos illico tanta inuasit rabies, quod in me fremere labijs, stridere dentibus bestiarum more cœperunt, ita vt spumantes apros pestifero telo percussos, aut certè rapacissimis canibus vndique coarctatos hos facilè putares; nos enim quia rationibus superare facultas non erat, contumelijs conuitijsque affectos terrere nitebantur.

Inferius versic. Eo maxime. Aduersarij nostri longa iam consuetudine id agere solent, quod vbi se victos confusosque nostris rationibus in disputationis certamine succubuisse viderint, imperito postmodum vulgo prædicantes, victores se extitisse gloriantur. Tales enim habemus obtrectatores, qui dente canino nos rodunt, vt nisi

vt nisi acerbe inflicti veritatis baculo repellantur, latrare non cessant, armantur mendacijs, falsitatibus se muniunt, vt veritatem perdant, quam persequuntur.

Taceo multa & grauia quæ primâ parte eiusdem libri capite 19. dicit in Panormitanum, aliosque Concilij Basilien. graues viros, quos ideo statuisse fert partem negatiuam à cunctis tenendam propterea quod Prædicatores ab eo Concilio recesserint, eorumque factis noluerint assentiri; quasi in illorum odium & ad vindictam de illis sumendam, illi qui remanserunt in illa congregatione Sessionem 36. celebrauerint, in qua de Mariæ immunitate ab originali credendâ Decretum illud satis repetitum, efformatum est. Vtinam verum esset, quod de suorum recessu fingit, sic etenim ad miserum & detestabilem illum exitum Concilium illud non peruenisset, nec in tantam prorupisset insaniam, vt verum Pontificem deponendum, & Pseudo-Papam creandum curaret, & ita temere nefas illud adoriretur. Crimen etenim omne, & culpam in Prædicatorem quendam Burgundionem Nicolaum nomine referunt cum Aenea Syluio postea Pio II. huius Tragœdiæ teste oculato, alij qui de hac re sermonem fecerunt, quod & ex ipsis actis eiusdem Concilij licet colligere.

In Epistola Dedicatoria secundi libri ad Comitem Petrum de Gambara versic. Sic isti (*inquit.*) Isti diuinarum litterarum ignari dum Virginem Dei Genitricem sub specie pietatis falsis honoribus extollunt, Christi dignitati nefandissime detrahunt sanctas Scripturas peruerse exponunt, Sanctorum Patrum sententias spernunt, & tandem propter humanum fauorem ac terrenum lucrum, nouos errores confingunt. Hi secundum Hieronymum veluti adulterini filij à Patrum suorum vestigijs discedentes, veritatem vertunt in mendacium, & superstitiosâ temeritate armati, terminos transferre præsumunt, quos posuerunt Patres eorum. Isti de domo Domini populos seducunt, & vt suum pertinaciter defendant errorem, diuinas Scripturas pernitiose deprauant, Doctores antiquos condemnant, & imperito vulgo prædicantes, audent alijs dicere, quod ipsi non intelligunt; nec fateri etiam verentur se aliquid videre quod eorum non intellexêre Magistri, ô stupendum Prodigium. Vt quidam, (vt ita dicam) scalciati, moderni, vento pleni, sapientiâ vacui tam facile intellexerunt, quod Doctores antiqui, vitâ sanctissimi, &c. ignorauere. Hi profecto ignorantiæ tenebris inuoluti, volentes sapere plusquam oporteat sapere, nouas non cessant adinuentiones confingere, nec dignantur disce-

re, quid Apoſtoli, quid Euangeliſtæ, & quid S. Doctores diuinâ gratia illuminati de hac materiâ ſenſerunt, ſed Sanctorum veritates floccipendentes ad fabulas ſeſe conuertunt, & ad ſenſum erroremque ſuum pernitioſum incongrua adaptant teſtimonia, quaſi grande ſit & non vitioſum dicendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſanctam Scripturam trahere repugnantem, &c.

In eodem libro 3. Via 2. partis ratione 13. ad finem: Quidam (*inquit*) fabricatores mendacij ſanam doctrinam non ſuſcipientes ad fabulas ſe conuertunt, & ſententias ſermonibus imperitis inuoluunt, dicentes & obſtinata fronte prædicãtes Beatiſsimam Virginem nunquam originali peccato infectam fuiſſe, & tamen ad Chriſti redemptionem, ac ſaluationem pertinere. Tales profecto Scripturas pernitioſe deprauant, & hæreſim Pelagij, Cœleſtini & Iuliani ſuis expoſitionibus defendunt. *Vbi increpatoria, & acerba verba Auguſtini aduerſus eoſdem, in hos retorquet. Et ibidem poſt verba Auguſtini ſtatim addit;* Oportet ſecundum Catholicam fidem, & ſanam doctrinam, & intelligentibus perſpicuam veritatem, fateri, quod nec quiſquam ſanari poteſt non infirmus, nec aliquis poteſt dici redemptus, niſi fuerit ſub ſeruitute captiuus. Quod ſi quidam aduerſarij Catholicæ veritatis vellent ſine pernitioſo ſtudio defendi errorem ſuum, cum Dei timore cogitare, & oculo ſinceræ veritatis ſacras Scripturas inſpicere, profecto non ita ſceleſtiſsimè blaſphemarent, vt dicerent naturam humanam poſt Adæ peccatum, antè liberam, & ſanam fuiſſe, quam liberator, ac ſaluator adueniret. *Ita verò eos dixiſſe infert ex eo quod ſubijcit,* Ita enim errantes, ita delirantes, ita inſanientes ſunt, vt non aduertant in eo quod Beatam Virginem originale peccatum non contraxiſſe aſſerunt, quod ipſam ſaluatam aut redemptam fuiſſe abnegant, &c. *Egregiam certe illationem, alienam ſatis à negatiuæ ſententiæ fautoribus.*

In princ. etiam 3. partis §. Ideo. In hac poſtrema, *& 28. euaſione, & alijs quamplurimis in locis acrius inuehitur in aduerſarios, immodicis eos afficiens conuitijs, & contumelioſis verbis inſectans, quæ illos in iniuriæ vindictam Chriſtianæ concordiæ, & paci inimicam, non leuiter incitant, & alios quoſque vehementer ſcandalizant.*

Apoſtro-

Apoſtrophe ad S^{m}. Dominum.

14 HOs nihilominus libros (Beatiſsime Pater) multi per Italiam & Hiſpaniam præ manibus ferunt,in cathedra, & manu ſcriptis quaſi codices vndique commendatos citantes,populo,& omnis generis viris illos intrudentes, inſuper dicentes ſolum Bandelum hunc docere veritatem,& huius dictis non alienis ſtandum eſſe; His tanquam perpetuo Clipeo (quo nomine primum à me reuiſum, ſed ab illo ſecundo loco, vel poſterius editum ipſe author inſigniuit in Prologo ad Ducem Ferrariæ) ſemet defendere conantur contra communem Eccleſiæ conſenſum, & vnanimem ferè omnium Doctorum, & Vniuerſitatum doctrinam, ne cogantur cum illis conſentire; Ex quo multa, & grauia vbique oriuntur ſcandala, quibus obuiare voluerunt ſuis ſæculis Pontifices in principio huius ſcripti relati, hos & ſimiles libros prohibendo; Imo ſunt qui dicant propter hos ipſos libros Sixtum IV. Conſtitutiones illas grauiſsimas *Graue nimis* edidiſſe, quod omnino eſt veriſimile, dum primum ad Comitem Petrum ſcripſerit anno Dom. 1475. & alterum in publicum dederit anno Dom. 1481. (vt ex hoc codice conſtat) ante vtramque emiſſam conſtitutionem *Graue nimis* ſub annis Domini 1482. & 1483. In illiſque habeantur omnes & ſingulæ aſſertiones, quas Sixtus in illis extrauagant. à tot Pontificibus reualidatis condemnauit, ſed & de illis comburendis & penitus è medio tollendis ſententiam latam (vt iam in ſuperiori Tractatu propoſui) in Diœceſi Toletana à Iudicibus Apoſtolicis ſuo Diplomate *Cum notis* confirmauit Iulius II. ad ann. Dom. 1502. Et exequi præcepit in Diœceſibus Carthaginen. & Conchen.. quod & ita factum eſt, vt per publica, & originalia ſcripta, qnæ apud me ſunt, conſtare poterit.

Ludouici Caruajal. in declā. expoſt. pro Concep. Virg. c. 31. & reſponſ. ad obiectiónē 2. & alij.

Quare humiliter orat Catholicæ Maieſtatis Orator, vt Veſtra Beatitudo denuo dignetur declarare, quatenus per tot Summos Pontifices hic liber alijque eiuſdem farinæ prohibiti ſunt legi, aut retineri apud quemquam Catholicorum ſub grauiſsimis illis cenſuris quæ in ſupradictis conſtitutionibus continentur, & præcipere velit Conſiliarijs Sacræ Congregationis Indicum, vt eos in Cathalogo librorum prohibitorum ſtatim apponant; Qua ratio-

ne obuiatum iri ſpondet multis ſcandalis, quotidie exorientibus ex prædictorum librorum lectione, & retentione. Et quod ſuauius poterit vlterius procedi ad æquam huius Controuerſiæ compoſitionem. Quod in re adeo iuſta, & penè neceſſaria ſe conſequuturum à Veſtra Beatitudine non diffidit, quam Deus Optimus Maximus ad plures & fælices annos ſeruet incolumem.

Tractatus Sexti Finis.

Continuatio Hiſtoriæ.

NOn potuit non horrere Sanctiſsimus Antiſtes ad tot taleſque Bandelli aſſertiones, & tam temerarios auſus non condemnare; ſatis ſuperq; tamen dixit prohibitum eſſe vtrumque Tractatum per conſtitutionem Sixti, *Graue nimis* propter hos ipſos libellos factam, & pro maiori obſeruantia in corpore Iuris repoſitam, & à ſe, alijſque Pontificibus, & Concilio Tridentino reualidatam, nec vlteriori, nec celebriori indigere condemnatione, vt verò adnumerarentur expreſsè alijs proſcriptis in Indice librorum prohibitorum, ſuperfluum eſſe laborem, quippe adeo notoriè conſtat, Pontificem Sixtum ſub grauiſsimis pœnis vetuiſſe, vt pro veris, aut ſanis legerentur, aut apud quempiam retinerentur, & licet nominatim in Indice non haberentur, ex regulis tamen præfixis ipſi Indici innoteſcere omnibus quodnam de eis ferendum erat iudicium.

Hæc & quæ aliâs à S^mo^. reſpondebantur Pontifice, quas etiam ipſe adhibebat diligentias, quam aſſumebat, vel deponebat ſpem Catholico Regi ſcripſit Orator, quemadmodum ei præſcripſit in vltimis ſuis litteris orthodoxus Princeps. Sed cum in Luſitaniam, vt magno illius Regionis hominum deſiderio, & bono proſpiceretur, Rex ſe expediret, non reſcripſit, nec reſponſum expectabat Orator, donec iterum Maioritum curia remearet.

Statuit ergo ea, quæ ſibi preſcripta erant ex conſilio illorum grauiſsimorum Virorum quos ſub prima Sectione dixi Regem conuocaſſe Maioriti, proſequi, & ad vnguem obſeruare. Illud præ cæteris ei commendatum, vt ſolicitius inſtaret circa vniformitatem cultus, & conſonantiam in celebrando myſterio Conceptionis, vt & omnes iuberentur ritum, vocem, & ſenſum Eccleſiæ obſeruare, nec

nec cuipiam in posterum liceret sub Sanctificationis, aut alterius cuiuspiam vocis varietate ab ea discrepare. Sæpius de hoc antea egit cum Sua Sanctitate. Per sequentem Tractatum sub mense Maio voluit rem amplius vrgere. In eo grauiora huius dissonantiæ Prædicatorum à communi ritu incommoda adnotauit, & vniformitatis in cultu bonum subtexuit.

ORATIO SEXTA

AD S.^MVM D.^NVM

PAVLVM PAPAM V.

TRACTATVS VII.

Non esse tolerandam aduersariorum in celebrando Conceptionis Festo dissonantiam, & expedire vt vnanimiter cum vniuersali Ecclesia illud celebrare iubeantur.

Grauiter ferri tantam in celebranda Conceptione Virginis dissonantiam.

§ I.

1 Dubitatur qua authoritate aduersarij discrepent à communi ritu Ecclesiæ in celebranda Conceptione Virginis Mariæ.

2 Responsio eorundem Patrum ad præfatum dubium.

BEATISSIME PATER.

1 QVam molestè ferant viri grauissimi, & quam non dissimulandum iudicent homines doctissimi aduersariorum ritum, non solum diuersum, sed & alienum à communi totius Ecclesiæ cultu, eidemque non solum dissimilem, sed & omnino sensu contrarium, & voce discordem in celebranda Conceptionis Virginis Mariæ Festiuitate, ab Ecclesia Romana vniuersaliter instituta, semel ac iterum Tuæ Beatitudini proposui. Quorum scrupulum exinde augeri adnotaui, quod nequaquam eis constet, vel leuiter attingant, aut aliunde percipere valeant, vnde prouenerit tanta licentia ab Ecclesia discrepandi, vel qua authoritate Pontificia freti, Ecclesiæ morem in hoc Festo ita respuerint, vt vel ipsum Conceptionis nomen eisdem cum Ecclesia Catholica quandoque commune, reiecerint; & à *Dubitatur vnde liceat in Festo Conceptionis dissonantia.*

libris suis tam Missalibus, Breuiarijs, Diurnis, quam alijs quibuscumque officio Diuino inseruientibus, hoc nostro æuo penitus aboleuerint.

Responsum aduersariorum. 2 Sed responsum est, & Tuæ Beatitudini inculcatum hanc suam in tanta re diuersitatem, & diuturno esse iam tempore inueteratam, & Ecclesiastico exemplo munitam. Nam apud se per plura sæcula ita celebrari hanc Festiuitatem affirmant, & iam olim sub eodem nomine, & sensu à Romana Ecclesia receptam. Primum antiqua, & non interrupta (vt aiunt) suæ Religionis consuetudine probant; secundum expresso, & firmo Aluari Pelagij Minoritæ Episcopi Siluensis testimonio confirmant. Hic enim cum sentiret Beatam Virginem in peccato fuisse conceptam, consequenter adiunxit. *Ideo Romana Ecclesia Festum Conceptionis non agit & si tolerat quod alicubi fiat, vel illud Festum debet referri ad Sanctificationem Virginis, non Conceptionem; Et ita dicit Oratio quæ dicitur in hoc Festo Romæ in Sancta Maria Maiori. Deus qui Sanctificationem Virginis, &c. sicut vidi & audiui, quum ibi de ista Sanctificatione prædicarem in Festo Sanctificationis, quod fit in mense Decembri ante Festum Natalis per 15 dies.* A quo idem transsumpsit testimonium Turracrem. seu Bartholom. de Espina, & Albertus Decimius in editione libri eiusdem Card. part. 13. cap. 9.

Alu. Pelag. l. 2. de planc. Ecclef. art. 52. littera B.

Inter Prædicatores antiquum fuisse Conceptionis Festum, & Sanctificationis nouiter in tota Religione introductum.

§. II.

3 *Nequaquam erat vniuersale inter Prædicatores hoc Sanctificationis Festum.*

4 *A quo tempore hæc celebrãdi dissonantia cæpit inter Prædicatores.*

5 *Ex litteris Clementis VIII. colligitur non constitisse illi de hac vniuersali innouatione.*

6 *Nec vllatenus eidem scienter consensit.*

7 *Ad illam Sixti IV. permissionem diuersè opinandi; non sequitur licentia diuersè celebrandi.*

8 *Vanum est effugium dicere idem sub Sanctificationis ac Conceptionis titulo celebrari.*

Festum Sanctificationis recens inter Prædicatores. 3 Satis certè mirari non possum viros doctissimos, insuper, & religiosissimos quamcumque vel leuissimam aut infirmam ansam arripere ne opinioni, ab omnibus receptæ, cogantur subscribere; & solemnem Ecclesiæ Festiuitatem; in legitimo, & manifesto iam sensu compellantur admittere. Sed quam à veritate alienum sit in Prædicatorum Ordine semper celebratum fuisse Festum hoc, sub titulo *Sanctificationis* grauissimum probat Vincen-

Vincentij Iustiniani Dominicani testimonium, qui in pluribus Conuentibus sui Ordinis non solum celebrari Festum Conceptionis ait, sed taliter vt splendidius, & magnificentius nusquam. Imò, & in tota Prouincia Bœthica quæ magna, & lata est, & magno grauissimorum Prædicatorum, & Doctorum numero decorata, celebrari, & coli asserit cum Octaua solemnissimè. Sed & in tota Gallia, & vbiq; vltra montes celebrari de Conceptione testificatus est Archiepiscopus Compsæ Catharinus. Ipsi etiam eorum libri rituales Missale, Breuiarium, & Martyrologium antiquiora, hoc apertissime demonstrant. Missale etenim aduersariorum Hispali impressum an. Dom. 1530. sub titulo *Conceptionis* habet propriã Missam eiusdem Festi, in qua pluries repetitur *Conceptionis* nomen. Et in Kalendario eiusdem ac rubrica de præfationibus B. Virginis semper habet idem commune, & receptum vocabulum. Breuiarium etiam eorundem excusum Parisijs an. Dom. 1550. eadem cum tota Ecclesia vtitur voce *Conceptionis*. Martyrologium denique ipsorum per Fr. Ioan. de Palencia grauissimi Conuentus D. Stephani Salmanticen. Ord. Prædic. præcentorem de licentia R[mi]. P. Seraphini Caualli generalis magistri typis mandatum Venetijs an. 1582. in Kalendario eidem Martyrologio præfixo 8. Decemb. ita habet: ***Conceptio B. Mariæ Virginis totum duplex.*** Et in ipso Martyrol. ad 6. Idus Decemb. ***Conceptio Sacratissimæ V. Mariæ Genetricis Dei, & Domini Nostri Iesu Christi: totum duplex.*** Adnectit autem prædictus Martyrologij collector in Tractatulo quodam, quẽ in initio præfigit ijs, qui Ord. Prædicatorum incipiunt profiteri, librum hunc nulla in re ab ijs, quæ in Ecclesia Rom. sunt in vsu, & ab eadem approbantur, vllatenus differre, & ex antiquioribus sui Ordinis libris se eum concinnasse. Alij etiam, si qui sunt illorum libri Diuino ritui accommodati, quos videre potui, non alio quam hoc vtuntur nomine.

Vincen. Iustin. in addit. ad vit. Lelcia. paragr. vlt.

Catharinus de congr. exorta inter Prædic. & Senen. in defens. 3. rationis paragr. 2. adnotaui.

4 Ex plurium itaque librorum variarum editionum collatione probabiliter colligi potest solum in Missali & Breuiario, quæ à tempore magistri Generalis Hieronymi à Xauierre prodierunt in lucem, initium habuisse hoc diuersum celebrandi genus sub nomine *Sanctificationis* vniuersaliter in grauissimo Prædicatorum sodalitio. Qua verò auctoritate vel licentia Pontificia id factum sit, penitus ignoratur. Nec enim in Diplomate Clementis VIII. nouo Missali præfixo vlla mutandarum vocum vel innouandarum Festiuitatum mentio habetur, sed solum conceditur, & iubetur vt libris

Qualiter introductũ hoc discrimen ignoratur.

Choralibus, Missali, Breuiario, Diurno, in capitulo generali anno Domini 1601. in æde Sanctæ Mariæ supra Mineruam, celebrato, in quo idem Xauierre in generalem cooptatus est, ordinatis, ac reformatis, totus Prædicatorum ordo vtatur, & cauetur vt alius nullus præter Alphonsum Ciacconum Typographum prædictos libros aut imprimat, aut vendat.

Noluit hanc variationem Clemens VIII.

5 Sed quales voluit, & putauit hos libros, hoc aduertendum; hic scrupulus, hoc necessario considerandum. Quod certè non clam, aut obscurè ipse animaduertit. Ait enim se significasse generali illi capitulo per Illustrissimum Cardinalem Cæsarem Baronium in illo Præsidentem, se maximopere desiderasse, vt libri omnes rituales illius Ordinis, quam maximè conformarentur ad normam, & præscriptum Missalis, Breuiarij, & Diurni Romani, præcipuè quoad Epistolarum, & Euangeliorum seriem, seruato tamen antiquo prædicti Ordinis ritu. Cuius iusto desiderio omnes in Capitulo cōgregatos refert ipse Pontifex annuisse, ac prædicto Generali à Capitulo commissum, vt executioni mandaretur, quod Pontifex desiderauerat, & illi ad eius votum ordinauerant. Quod vt factum esse innotuit, vel dictum erat Pontifici; iussit vt libri Chorales huiusmodi ad præscriptum Missalis, Breuiarij, ac Diurni Romani, vt prædictum est, conformati; per totum Ordinem reciperentur. Desiderium ergo Pontificis, quod Illustrissimus Baronius in Capitulo expressit, quodque eis ansam, & occasionem præbuit, vt noua hæc librorum reformatio fieret; erat vt conformarentur cultui & ritui Romano, seruato tamen antiquo ipsius ordinis; Et ita factum esse supposuit in Diplomate, quando iussit vt his, & non alijs libris Fratres Prædicatores vterentur. In hac verò mutatione *Conceptionis* in *Sanctificationem* nec conformantur Romano cultui, nec obseruant antiquum sui Ordinis ritum. Ecclesia etenim Romana, nec Sanctificationis sensum à Dominicanis vsurpatum recipit, nec ipso *Sanctificationis* vtitur vocabulo: sed nec antiquus Prædicatorum ritus, vt iam ostendi, hanc vocem admisit. Vnde consequenter apparet tam à Romanâ, quam à suâ laudabili, & antiqua consuetudine desciuisse.

Nec eam sciens permitteret.

6 Nequaquam ergo putandum, aut sentiendum ex Clementis litteris aliquid in hac re licuisse mutare, qui enim voluit, & iussit vt Ecclesiæ conformarentur, quomodo ab ea discrepare vocabulo, imò & sensu contrarium profiteri, permitteret? Qui Prædicatorij Ordinis

Ordinis ritum antiquum voluit seruari, quomodo nouum & inusitatum consentiret introduci? Qui etiamnum in Epistolis & Euangelijs Festorum differentiam tolli fecit è medio: nunquid in Festis ipsis diuersitatem, multo minus contrarietatem tolerare voluisse putabitur?

7 Vnde ergo huius discriminis licentia? Ab illâ forsan Sixti (vt quidam voluerunt) aliorumue Pontificum aliter sentiendi, quàm communis tenet opinio? Nec hinc certè licet. Videndæ ipsæ constitutiones Sixti; nullum prorsus habent verbum de celebranda à quopiam Conceptione sub titulo *Sanctificationis*, & cum in ijsdem, post institutum & commendatum pro vniuersali Ecclesia Conceptionis Festum, facultatem faciat libere opinandi, non eam facit libere celebrandi, imò condemnat (vt alias ostendam) quorundam glossas & interpretationes eiusdem Festi, dicentium celebrari sub vocabulo *Conceptionis Sanctificationem*, quod pro falso condemnat & erroneo. Aliud certè est permissio qualitercumque opinandi, aliud facultas diuerse celebrandi. Illa in rebus, quæ non sunt fidei, vel fidei proximis; etiam inconsulto Pontifice, pænes probatos est Doctores. Hæc non nisi à Pontifice, vel eius quoad hoc authoritatem habente, potest concedi. Nec enim (vt aptissimo vtar exemplo) Augustino, cui (vt aliquibus visum est) licuit dubie vel aliter opinari de Ioannis Baptistæ Sanctificatione in vtero, quam communis habet Doctorum; nec alijs quibuscumque, qui cum illo sentirent, aut aliquando senserint Ioannem non fuisse Sanctificatum ante natiuitatem, exinde vel eo ipso liceret Festum Natiuitatis eius ab Ecclesia institutum celebrare, sub titulo *Sanctificationis*, quasi sub illo senserint Baptistam post natiuitatem ex vtero fuisse Sanctificatum: vt hi Patres circa natiuitatem in vtero asserunt de Virgine. Quibus licet permittatur opinari Virginem fuisse in peccato conceptam, non licet exinde sua authoritate Conceptionis eius Festum ab Ecclesia institutum, & veneratum, sub *Sanctificationis* titulo, quasi post natiuitatem in vtero fuerit Sanctificata, celebrare. Nec ex eo quod liceat alicuius sancti viri facta laudabilia, heroicas virtutes, & præclara Sanctitatis indicia publicè recenseri, permittaturque credi, & opinari Sanctum, & Deo dignum fuisse, statim tolerabitur eius Festum aut Natale celebrari. Quanto minus è contrario licebit propter tolerantiam opinionis affirmatiuæ, tantæ Virginis Dei Genitricis (cuius omnimoda Sanctitas, & in

Variè opinantibus non licet variè celebrare.

Aug. epi. 57. ad Dardanũ post. med.

& in primo Conceptionis instanti puritas ab Ecclesia colitur, & dignis honoratur præconijs) honori detrahi per noui, inusitati, & ab Ecclesia non approbati, Festi introductionem?

Aduersariorum reijcitur effugium. 8 Quod si contra illud quod docent, & publicè hucusq; in scholis profitentur, dicant se idem sub *Sanctificationis* titulo celebrare quod tota Ecclesia, & illi hucusque per diuersas Prouincias & Nationes sub *Conceptionis* coluerunt vocabulo, statim se ingerit scrupulus, & interrogandos admonet, quare si sensum Ecclesiæ admittunt, nomen quo suam exprimit mentem, omnino reijciunt? Sensus Ecclesiæ patulus est, & manifestus, tam ex primæua huius Festi institutione, quam ex Extrauag. Pontificum, ex officijs Diuinis, ritu ipso Ecclesiæ, communi hominum conceptu, & graui præcipuorum non paucorum Prædicatorij Ordinis virorum consensu, illam scilicet venerari Virgineæ Conceptionis Sanctitatem in primo instanti. Si ergo Conceptionis nomen, sub quo Conceptionis Sanctitas celebratur, effugiunt, & respuunt, non temerè de illorum sensu quis dubitabit, aut sinistrum quid suspicabitur, dum contra communem Ecclesiæ & peculiarem suam vetustam, & antiquam consuetudinem Sanctificationis agunt, & Conceptionis respuunt officium.

Nunquam in Romana Ecclesia Sanctificationis Festum admissum fuisse in sensu Aduersariorum.

§. III.

9 Dubitatur an verum sit quoddam Aluari Pelagij testimonium in hac re.

10 Quomodo possibile fuerit aliquando hoc Festum celebrari sub titulo Sanctificationis.

11 Antiquum esse, & nequaquam interruptum Conceptionis Festum in Ecclesia.

12 Ecclesiæ omnes si aliquando Sanctificationem, modo, Conceptionem celebrant.

Dubitatur de Aluari testimonio. 9 QVod verò secundo obiecerunt ex Aluaro Hispano, ita antiquitus celebratam huiusmodi Festiuitatem sub titulo *Sanctificationis* in Ecclesia, & præcipuè in æde Maiori S. Mariæ de Vrbe, pro suspecto, & falso reputat Catharinus, nec legitime probatur (inquit) ab authoribus. Me aliquantulum mouit vt hoc crederem, illud Aluari viri eruditi testimonium grauissimum, dum ait se ita vidisse, & audijsse celebrari in templo prænominato, donec in Bibliotheca Sfortiana ad læuam ingredientis in vltimo, & infimo scamno citatus Aluari liber, non sine gaudio

Cathar. in dispu. pro Concep. Virg. ad Conc. Trid. parum ante finem.

gaudio mihi occurrit in ingenti volumine num. 13. manuſcriptus in ipſa Vrbe an. 1474. per Petrum Symonetti de Francia de Maſerijs ſuper Moram Remen. Dioc. pro R^mo^. Domino Vrbano de Fliſco electo Foroliuien. & Referendario S^mi^. Domini Noſtri Sixti IV. in quo nihil tale nec verbum, quod ad Feſtum vel Feſti modum attineat, habet: licet enim opinionem affirmatiuam in loco citato ſectetur, tamen Feſti non meminit. Vnde grauis mihi irrepſit calumniæ vel fictæ additionis ſuſpitio. Quam non plenè tollet quiſpiam, dum mihi obijciat Aluarum bis hos ſuos de planctu Eccleſiæ libros correxiſſe, & examinaſſe, vt ipſe aduertit in fine, & in vno forſan exemplari hæc inueniri verba, in alio nequaquã. Nam credendum eſt poſt tot annos in Vrbe de vtraque correctione conſtitiſſe, & prædictum electum Foroliuien. Sixti Referendarium correctiorem, & emendatiorem codicem ſibi tranſcribi voluiſſe, & curaſſe alium conſuli codicem Bibliothecæ Excellentiſsimi Ducis Vrbini & Piſauri, manuſcriptum an. 1482. qui nec verbum habet præallegati teſtimonij, in quo dum nihil horum, quæ aduerſarij afferunt, inuenitur, & codici à tot annis manuſcripto potius credendum ſit, quam excuſis in quos craſsiores errores, & ſpuriæ additiones multoties irrepunt, iuſte hoc ab eis prolatum teſtimonium, tanquam adulterinum poterimus reijcere. Cui adſtipulatur diligens illa diſquiſitio facta anno proximè elapſo in archiuis eiuſdem templi Mariæ Maioris per doctiſsimos Epiſcopos ac Præſules, & grauiſsimos viros, in quibus nec minimum huiuſmodi Sanctificationis Feſti veſtigium aut monumentum apparuit.

10 Sed ob reuerentiam tantorum Virorum, qui hoc expreſſum proferunt teſtimonium, & ne omnes Codices vbique excuſos reprobare, vel mendacij incuſare dicamur, concedamus modo ita vere teſtatum fuiſſe prænominatum Aluarum Hiſpanum eumque & auritum, & oculatum fuiſſe huius rei teſtem, ſicut in excuſis circumfertur codicibus. Admittamus etiam nunc veritatis indagandæ gratia, ita aliquando in illa, aut alijs particularibus Eccleſijs aliquando fuiſſe celebratum hoc Feſtum, ſub illo, quem aſsignant, titulo. Sed temporum aduertamus curricula; quæ ſi diſtinguamus, leui cura concordabimus diuerſos hos ritus. *Licet verũ eſſet, quid inferat.*

Aluarus hic teſte Trithemio claruit ſub annum 1320. ad tempus Archidiaconi in iuriſprudentia celeberrimi, & Scoti; quorum primum in iure Canonico, ſecundũ in Theologia habuit magiſtrum. *Quando hic floruit Aluarus.*

Cuius

Cuius eruditionem habuit in precio Ioan. XXII. qui eum suum confessarium postea pœnitentiariæ magistrum, demum Episcopum creauit Siluensem. Citatum verò exhibuit Aluarus testimoniũ ad an. 1332. in quo se libros illos de planctu Ecclesiæ edidisse ad finem secundi animaduertit. Circa hæc autem tempora in his partibus initium habuit huius inualescentis mysterij Festum, & extendi cæpit ad particulares quasdam Ecclesias, in quibus timidè, & cautè admittebatur, tum propter multorum contradictionem à Bernardi tempore protractam, tum quod eousq; palam suam mentem Romana non declarauerit Ecclesia. Vnde ne errarent, forsan sub Sanctificationis titulo, (sub quo tam Sanctificatio post peccatum contractum, quam Sanctificatio in primo instanti Conceptionis & nullo præsupposito peccato) aptissime potuit tunc celebrari, Festum hoc in illis Ecclesijs à quibus introducebatur.

Antiquum & continuum in Eccles. Concept. Festum.

11 At paulo post statim ac diligentius Ecclesia rem examinauit, instituit, vt in omnibus Festum fieret Conceptionis sub hoc ipso vocabulo. Cuius institutionis mentionem facit Concil. Basilien. in suo illo qualicumque Decreto, edito anno Domini 1439. dicens; *Renouantes præterea institutionem de celebranda eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quam alias Ecclesias antiqua, & laudabili consuetudine celebratur, &c.* Sixtus verò IV. denuo ad annum 1476. idem Festum sub eodem titulo per omnes etiam Ecclesias coli hortatus est, & colentibus magnas elargitus est indulgentias. Et quia aliqui dubitabant imò & alij contradicebant, dicentes; non materialem, & veram Conceptionem celebrari statutum fuisse, sed potius venerari Sanctificationem, sententia excommunicationis lata contra huiusmodi assertores, in partibus Lombardiæ ad an. 1482. declarauit proprie, & vere intelligendam esse generalem huius Festi institutionem de vera, & materiali Conceptione, sed in gratia facta; & anno sequenti 1483. aliud vniuersale edidit Diploma ab Alexand. VI. Concil. Trid. Pio V. & tum demum à Tua Beatitudine confirmatum, in quo vtriusque sententiæ assertores, & immaculatæ Conceptionis cultores, à grauioribus aduersariorum censuris defendit; à cuius tempore in hoc nostrum semper perseuerat communis, & clarus hic sensus, & Conceptionis titulus in Ecclesia.

Soli aduersarij persistunt in celebranda Sanctific.

12 Expenso igitur rerum ordine, & subductis à primo numero calculis, patet Aluarum testimonium præfatum (si illius sit) protulisse ante annos 287. & præcessisse primam Festi vniuersalem institutio-

ſtitutionem (nobis quantum ad inſtitutorem incognitam) fermè ad centum annos, & manifeſtam, ac notam Sixti eiuſdem Feſtiuitatis exhortationem ad 144. annos. Nihil ergo mirum, ſi tunc à quibuſdam Eccleſijs aliter voce, non ſenſu; quam modo, celebratum fortaſſe ſit hoc Feſtum, dum nec de manifeſta intentione, nec de ſingulari inſtitutione Eccleſiæ illis conſtiterit. Vt verò conſtitit, ſtatim, ſi quæ erant, ritum ſeu vocabulum mutauerunt: celebratur enim modo in Sancta Maria Maiori, & alijs quibuſcumque Vrbis & Orbis Eccleſijs palam de Conceptione. Vt quid ergo antiquatũ & ab Eccleſia derelictum nomen vſurpant, & reaſſumunt? cur pariter cum Eccleſia Sanctæ Mariæ Maiori, cuius nobis authoritatem obijciunt, ritum non proſequuntur, & colunt? Cur quod vniuerſa colit Eccleſia, celebrare contemnunt? Sanctificationem à peccato contracto venerantur, non Sanctificationẽ ſubiecti, quod ex ſemetipſo, non propter peccatum quod infuit, Sanctificari indigebat; nec præſeruationem à peccato contrahendo, niſi gratia præueniretur, cum Eccleſia, volunt admittere. Aequum certè erat, *& tantorum Virorum ingenio dignum à communi cultu non recedere* (inquit Catharinus) *nec nouum ſibimet, quaſi ſoli ſaperent contra Eccleſiam fingere cultum, quæ contra illos merito in hac parte conqueritur.* Catharinus vbi ſupra.

Non debuiſſe affirmatiuæ fautores propter Pontificum tolerantiam in Feſtiuitate celebranda à cæteris diſcrepare.

§. IV.

13 Non debent aduerſarij propter Pontificum tolerantiã à cæteris differre.
14 Pontius conuenit, vt omnino, & vndequaque Eccleſiæ conformentur.

13 IVſtam certè eſſe hanc Eccleſiæ de Religioſis, & doctis his Patribus querelam, non infimæ notæ viri ex recentioribus ſubſcribunt Catharino quum in magnum Eccleſiaſticæ authoritatis detrimentum vergere poſsit (vt in alio Tractatu aduerti) quod illa omnibus proponit, ita dure, & conſtanter à quibuſdam viris Religioſis, non admitti ſed repelli. Abutuntur profecto eiuſdem Eccleſiæ tolerantia ac benignitate, dum ex illâ legem ſibi conſtituere, & hac ſe defendere conantur ne nunc in contrarium ſenſum aut ritum à Tua Beatitudine vel ab alio quopiam attrahantur. Sed conſiderare deberent, prudentiſsimam ac pientiſsimam Matrem Eccleſiam Catholicam multa toleraſſe & quotidie permittere nec tamen omnia quæ

Tract. 1. num. 13.

Eccleſia nõ approbat quidquid permittit.

O permiſit

permisit aut tolerauit, eam approbasse vel commendasse. Quod enim permittitur, non approbatur, vt habetur 4. D. Denique 21. q. 1. Hac ratione. Non est ergo quod Tuæ Beatitudini obijciant aut dicant, quod Summi Pontifices eorum approbauerint in hoc Festo celebrando ritum, imò nec opinionem; nam ex exorientibus nunc scandalis tolerari non debet, quia ratione scandali intolerabilis facta est hæc consuetudo.

Deceret vt cum reliqua vniuersa Ecclesia conuenirent.

14 Religiosissimis certè viris, & tantis Ecclesiæ filijs sufficere debuisset eandem hoc Festum sub hoc, vel illo ritu proposuisse celebrandum vel leuiter suam intentionem declarasse, aut tantum insinuasse vt dicto citius parerent, & in vnum cum vniuersa Ecclesia conuenirent, nec ita se solos ab illa in tanta disgregarent Festiuitate. *Non decet* (inquit Calixtus Papa & habetur 12. d. c. non decet) *à capite membra discedere, sed iuxta sacræ Scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus hos conuenit deuiare; sicut Dei filius venit facere voluntatem Patris sui sic & hos implere decet voluntatem Matris suæ, quæ est Ecclesia, cuius caput Romana consistit.* Vnde consequens est (vt Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem scripsit, & habetur 11. d. c. consequens) *vt quod ab huius sedis Rectoribus plena authoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias tantummodo sequendo voluntates remoueatur, sed firmius & inconcusse teneatur. Satis enim indignum est* (vt alterius Pontificis Iulij verba, quæ ibidem c. nolite habentur, subnectam) *quemquam vel Pontificem, vel ordinum subsequentium, hanc regulam refutare, quam Beati Petri Sedem & sequi viderit, & docere, multum enim conuenit vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, quæ inde authoritatem habet, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum.* Et ibidem c. quis nesciat, ait Innocentius in simili casu *oportet sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum videantur amittere.* Sunt pro hoc ibidem egregij textus c. Ecclesiasticarum c. *In his rebus* cum tribus sequentibus, & est insignis locus d. 12. c. *Præceptis.* vbi egregiè docet Gregorius Papa nullatenus discrepandum esse à præceptis aut constitutionibus Ecclesiasticis. pro quo etiam facit ibidem c. *Illud breuiter.* & c. *Ridiculum.*

Calixtus.

Nicol. Epist. ad Michael. Imper.

Iulius.

Innoc.

Maximum

Maximam debere haberi rationem consuetudinis Ecclesiasticæ in cultu Diuino & Sanctorum.

§. V.

15 Sancti Doctores ac Patres desiderarunt semper cultus vniformitatem.
16 In Ecclesia non possunt esse cultus contrarij.
17 Rationes, quas assignant aduersarij suæ dissonantiæ, non sunt admittendæ.

15 HAnc diuersitatem celebrandarum Festiuitatum non solum abhorruerunt Patres, vt docet D. Petrus Damianus dicens; *Doctores Ecclesiæ vnum nos docuere ordinem in Officijs inuiolabili semper obseruatione tenere.* Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus capite 25. & 42. sed eam etiam omninò è medio tollendam summopere laborauerunt Paulus, & Pius Quarti; per hos Concilium Trident. post illud Pius Quintus, & Clemens Octauus vt eorum litteras, Breuiario Romano præfixas legenti patebit. Imo Augustinus huiusmodi diuersitatum introductores coërcendos docet Epistola ad Casulanum & altera ad inquisitiones Ianuarij, dicit, *resecandas illas quæ nec authoritatibus sacrarum Scripturarum, nec Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata sunt.* In ipsis Festorum modulationibus aut psalmodia Officiorum vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem sequi iubent sub grauissimis pœnis Concil. Toletan. 11. & Bracaren. 1. cap. 19. quorum verba referuntur Dist. 12. cap. *De his* & cap. *Fin. placuit.* Quæ ergo nec in psallendo varietatem admittunt, credendum est diuersitatem, imò, & contrarietatem permissura in Officijs?

Damia. l. de Dom. vobis. c. 7.
Microl. in auctor Bibl. vet. Lat. to. 1. edit. nouior. Parisien.
Reprobant S. Patres cultus diuersitaté.
August. Epist. 86. & Epist. 119. c. 19.

16 Prædicator veritatis & Doctor Gentium Paulus Apostolus huius Vrbis incolis deprecatus est à Deo vt id ipsum saperent, vt idem agnoscerent & sectarentur. Sed ad quid? vt vno (inquit) *ore honorificetis Deum.* Vbi Hieron. *Tunc verè Deus honorificatur si vno animo, & concordi voce laudatur.* Nec enim voce discordi, aut contraria Ecclesiasticæ, Deum facilè laudari posse putauit. Cultum omnem, qui contra Ecclesiæ consuetudinem fit, superstitionem esse docent cum D. Thoma 2. 2. q. 93. in cor. communiter Theologi, & in diuersis Ecclesijs diuersa & repugnantia esse non posse secundum veritatem, subiungit ibidem Angelicus Doctor in responsione ad vltimum; & benè equidem nam Ecclesia nequaquam ea fertur leuitate, vt dicat EST & NON, vt magnus eiusdem Prædi-

Non sunt in Ecclesia cultus contrarij.
Rom. 15. num. 8.
Hieron. ibidem.

permisit aut tolerauit, eam approbasse vel commendasse. Quod enim permittitur, non approbatur, vt habetur 4. D. Denique 21. q. 1. Hac ratione. Non est ergo quod Tuæ Beatitudini obijciant aut dicant, quod Summi Pontifices eorum approbauerint in hoc Festo celebrando ritum, imò nec opinionem; nam ex exorientibus nunc scandalis tolerari non debet, quia ratione scandali intolerabilis facta est hæc consuetudo.

Deceret vt cum reliqua vniuersa Ecclesia conuenirent.

14 Religiosissimis certè viris, & tantis Ecclesiæ filijs sufficere debuisset eandem hoc Festum sub hoc, vel illo ritu proposuisse celebrandum vel leuiter suam intentionem declarasse, aut tantum insinuasse vt dicto citius parerent, & in vnum cum vniuersa Ecclesia conuenirent, nec ita se solos ab illa in tanta disgregarent Festiuitate. (Calixtus.) *Non decet* (inquit Calixtus Papa & habetur 12. d. c. non decet) *à capite membra discedere, sed iuxta sacræ Scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus hos conuenit deuiare; sicut Dei filius venit facere voluntatem Patris sui sic & hos implere decet voluntatem Matris suæ, quæ est Ecclesia, cuius caput Romana consistit.* (Nicol. Epist. ad Michael. Imper.) Vnde consequens est (vt Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem scripsit, & habetur 11. d. c. consequens) *vt quod ab huius sedis Rectoribus plena authoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias tantummodo sequendo voluntates remoueatur, sed firmius & inconcusse teneatur. Satis enim indignum est* (vt alterius Pontificis (Iulius.) Iulij verba, quæ ibidem c. nolite habentur, subnectam) *quemquam vel Pontificem, vel ordinum subsequentium, hanc regulam refutare, quam Beati Petri Sedem & sequi viderit, & docere, multum enim conuenit vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, quæ inde authoritatem habet, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum.* Et ibidem c. quis nesciat, (Innoc.) ait Innocentius in simili casu *oportet sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum videantur amittere.* Sunt pro hoc ibidem egregij textus c. Ecclesiasticarum c. *In his rebus* cum tribus sequentibus, & est insignis locus d. 12. c. *Præceptis.* vbi egregiè docet Gregorius Papa nullatenus discrepandum esse à præceptis aut constitutionibus Ecclesiasticis. pro quo etiam facit ibidem c. *Illud breuiter.* & c. *Ridiculum.*

Maximum

Maximam debere haberi rationem consuetudinis Ecclesiasticæ in cultu Diuino & Sanctorum.

§. V.

15 Sancti Doctores ac Patres desiderarunt semper cultus vniformitatem.
16 In Ecclesia non possunt esse cultus contrarij.
17 Rationes, quas assignant aduersarij suæ dissonantiæ, non sunt admittendæ.

15 HAnc diuersitatem celebrandarum Festiuitatum non solum abhorruerunt Patres, vt docet D. Petrus Damianus dicens; *Doctores Ecclesiæ vnum nos docuere ordinem in Officijs inuiolabili semper obseruatione tenere.* Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus capite 25. & 42. sed eam etiam omninò è medio tollendam summopere laborauerunt Paulus, & Pius Quarti; per hos Concilium Trident. post illud Pius Quintus, & Clemens Octauus vt eorum litteras, Breuiario Romano præfixas legenti patebit. Imo Augustinus huiusmodi diuersitatum introductores coërcendos docet Epistola ad Casulanum & altera ad inquisitiones Ianuarij, dicit, *resecandas illas quæ nec authoritatibus sacrarum Scripturarum, nec Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata sunt.* In ipsis Festorum modulationibus aut psalmodia Officiorum vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem sequi iubent sub grauissimis pænis Concil. Toletan. 11. & Bracaren. 1. cap. 19. quorum verba referuntur Dist. 12. cap. *De his* & cap. *Fin. placuit.* Quæ ergo nec in psallendo varietatem admittunt, credendum est diuersitatem, imò, & contrarietatem permissura in Officijs?

Damia. l. de Dom. vobis. c. 7

Microl. in auctor Bibl. vet. Lat. to. 1. edit. nouior. Parisien.

Reprobant S. Patres cultus diuersitatē.

August. Epist. 86. & Epist. 119. c. 19.

16 Prædicator veritatis & Doctor Gentium Paulus Apostolus huius Vrbis incolis deprecatus est à Deo vt id ipsum saperent, vt idem agnoscerent & sectarentur. Sed ad quid? vt vno (inquit) ore honorificetis Deum. Vbi Hieron. *Tunc verè Deus honorificatur si vno animo, & concordi voce laudatur.* Nec enim voce discordi, aut contraria Ecclesiasticæ, Deum facilè laudari posse putauit. Cultum omnem, qui contra Ecclesiæ consuetudinem fit, superstitionem esse docent cum D. Thoma 2. 2. q. 93. in cor. communiter Theologi, & in diuersis Ecclesijs diuersa & repugnantia esse non posse secundum veritatem, subiungit ibidem Angelicus Doctor in responsione ad vltimum; & benè equidem nam Ecclesia nequaquam ea fertur leuitate, vt dicat EST & NON, vt magnus eiusdem Prædicator,

Non sunt in Ecclesia cultus contrarij.

Rom. 15. num. 8.

Hieron. ibidem.

2.Cor. 1. n.18. cator, & Magister dixerat Paulus. *Nunquid* (inquit ille) *leuitate vsus sum, aut quæ cogito secundum carnem cogito, vt sit apud me* EST & NON. *Fidelis autem Deus quia sermo noster qui fuit apud vos non est in illo* EST & NON. Sed nunc Ecclesia vniuersalis publicè tanquam sibi moraliter certam, proponit venerandam, vt Sanctam Virginis Conceptionem, & in Officio proprio antiquitus à Sixto IV. instituto, & in Ecclesia per centum aut circiter annos frequentato atque ex eiusdem speciali priuilegio Fratribus Minoribus concesso dixit, & dicit expresse; *Est præseruata Maria à peccato originali.* Et particularis Ecclesia Prædicatorum celebrat Sanctificationem eiusdem Mariæ à peccato; dicitque expressa sua opinione, & manifesto suo sensu. *Non est præseruata Maria à peccato originali.* Iustumne aut fortasse expediens alicui videbitur vt hac leuitate, instabilitate, ita & contrarietate feratur Ecclesia, vt in tanta re, tamque graui Mysterio dicat, EST, NON EST? Mirum profecto quod cordati, Religiosi, docti, & grauissimi Ecclesiæ filij, qui vel nutui eiusdem parere debuerant, iam tandem post tam infestas concertationes, & scandala non velint suæ Matris auctoritati consulere, vt vel voce duntaxat, & Festo, si non opinione, cum eadem conueniant; & nolentes à Te, Beatissime Pater, fidei præceptore, & Christianorum moderatore non omnino compellantur.

Ratio quare discordët in Festo aduersarij. 17 Sed respondebunt forsitan se in hac re non infirma duci ratione; se esse veritatis amatores qui sicut opinantur, celebrare voluerunt proindeque totum Ordinem in hoc ritu nunc conuenisse, nec modo facilè posse reuocare, aut ablegare quod statuit. Alias quasdam rationes quæ iam tritæ satis sunt, quotidie producunt in medium, propter quas aiunt semet impelli vel induci vt communem Ecclesiæ celebrandi morem non admittant.

Nulla præualet ratio contra Ecclesiæ authoritatem. Sed nescio quæ contra Ecclesiæ authoritatem ratio sufficere possit, quæ nos vrgeat causa, vt à debita pariformitate, & consonantia cum eadem, deflectere aut recedere velimus. In Ecclesiastica consonantia, non est ratio requirenda, sed tantæ Matris authoritas sequenda. Benè certè author ille Micrologi. *Authoritati* (inquit) *Sedis Apostolicæ omnes per omnia absque omni hæsitatione debemus obedire, cui nunquam debitam exhibemus obedientiam si eius statuta potius iudicare, quam implere curamus.* Et alius author libri de Canonum obseruantia. *Notandum* (ait) *quod in omnibus authoritas Ecclesiastica imitanda est magis quam ratio, quoniam authoritas semper obedientiæ est, & humilita-*

Microl. cit. Radulph. Tungrẽ. l. de Can. obseru. propos. 7 to. 1. autor. Bibl. vet. Par.

militatis; ratio nonnunquam præsumptionis. Quod optimè adnotauit, D. Tho. 3. p. q. 68. art. 10. & 2. 2. q. 10. art. 12.
& obseruauit D. Thomas dum propositis non infirmis rationibus vt probaret pueros Iudæorum, vel aliorum infidelium baptizandos esse inuitis parentibus, parti negatiuæ subscribit propter authoritatem tantum negatiuam Ecclesiæ, quâ rationes suas, tanquam omnium fortissimâ, concludit: quia scilicet Ecclesia non habebat consuetudinem huiusmodi baptizandorum. Si ergo pro celebranda Virginis Mariæ Conceptione est authoritas positiua, & institutiua Ecclesiæ, & consuetudo rata ac firma celebrandi, nunquid eidem contradiceret vel ipse D. Thomas authoritatis, & Tract. 4. num. 17.
consuetudinis Ecclesiæ diligentissimus obseruator? Omni procul dubio nequaquam, vt ex ipsis eius Sectatoribus accuratius alias à me obseruati cordatissimi ac doctissimi viri docuerunt.

Apostrophe ad S^m. Dominum.

18 HAec pro vnanimi huius Festi obseruantia, & cultu Tuæ Beatitudini consideranda, & exactius discutienda offero, vt iam videre liceat, quam necessarium sit huiusmodi Festorum diuersitatem è medio tollere, & præcipere, vt hi religiosi viri, cum reliquâ conueniant Ecclesiâ. Illi & tibi eius Sponso, & Pastori non parum incumbit. Sunt qui sentiant grauissimi viri, & palam doceant te voluisse hos religiosos Patres ad communem cultum admittendũ adstringere in Decreto illo nuperrimo, dum in illo prohibes eisdem, ne in vllis actibus publicis suam proferre audeant sententiam. Alium nempè nullum, isto magis publicum censent dum psallentes & canentes in Choro, Ecclesia, & Altari coram magnis, & innumeris populorum consessibus per omnes suos Conuentus Sanctificationem in sensu suo peculiari, & vniuersis populis satis noto concelebrent. Tuum, cuius est decretum, & verba, erit hoc iudicare, & nostrum, supplices exorare, vt iam tandem dignetur Vestra Beatitudo tantis obuenire scandalis, prouidere dissidijs, & Catholicis viris indignam Festorum reprobare diuersitatem.

Tractatus Septimi Finis.

Continuatio Historiæ.

ADhæc Sanctissimus Dominus sæpius de hac re actum fuisse, seque non parum desiderasse, vt æquè ab omnibus hoc coleretur Mysterium, nec vlla esset in Ecclesia vel membris eius in tanto Festo obseruando differentia. Semper tamen à Prædicatoribus responsum se à reliqua Ecclesia non discrepare, idemque se omninò cum cæteris celebrare fidelibus, & nomine solum differre, nam quod Ecclesia sub Conceptionis titulo veneratur, hoc illi sub Sanctificationis. Quando verò Virgo sacratissima Sanctificata fuerit, dicunt adhuc non expressisse Ecclesiam, sed reliquisse sub dubio, an in primo instanti, an in aliquo subsequenti, idque solum intendi vt pro illo tempore, sub quo gratiam recepit, festiuus habeatur eius spiritualis Conceptus. Hoc idem verò celebrari inter Prædicatores affirmant, non hoc vel illud instans, cum de nullò certo adhuc constiterit in Ecclesia, nec determinatum fuerit à Pontificibus, sed quodcumque vagum, & indeterminatum, sub quo Virgo fuerit Sanctificata, siue in primo instanti, vt asserit communis sententia, siue in subsequenti, & post contractum peccatum, vt illorum tenet opinio; & sub nomine Sanctificationis se vtrumque tempus comprehendere vagè, & indeterminatè, siue hoc fuerit, siue illud, vt sic in re adhuc incertâ, & indefinitâ ab omni erroris periculo liberentur.

Inane hoc, inquit, Episcopus, effugium ab omnibus Doctoribus explosum, imò à Pontificibus condemnatum, & ab Ecclesia esse reiectum. Nullus est enim huius sæculi Doctor, qui non facilè, & euidentèr refellat commentum hoc. Illud iam à multis annis expresse condemnauit Sixtus peculiari illa Extrau. *Graue nimis* pro Longobardis edita, & Ecclesia suo cultu, & expressis verbis in diuino Officio à Sixto instituto, recitatis, se veram, naturalem, in primo instanti gratia decoratam, Conceptionem celebrare manifestè declarat. De illa Sixti condemnatione, imò & constitutione dubitari inter Prædicatores ait Pontifex, & circa illud expressum officium eos obijcere è Pio V. fuisse abolitum, vel è medio sublatum, vnde nec eos facilè à suo cultu dimoueri posse. Orator vadem se obtulit, & sponsorem in peculiari de his Tractatu se demonstraturum Ecclesiam non vagum, nec indeterminatũ, sed primum Conceptionis instans ab Ecclesia celebrari, & locupletem authoritatem

& fidem,

& fidem, Sixti extrauagantem obtinere; per quæ facilè constaret Patres Prædicatores non verbo-tenus, sed & sensu ab Ecclesiastico cultu recedere. Per hæc finem tunc fecit dicendi.

Sub hoc tempore certius percepit Orator, quod iam ante in Vrbe sub dubio quorundam rumore divulgabatur de eius recessu, & decretum esse in Hispania, vt aduenienti Albuquerquio Duci locum cederet & Legationem. Facilè quisquis animo commoueretur, & corde concideret ad immaturam, & immeritam tanti nominis & muneris iacturam. *Nulla est etenim tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur;* Verum fassus Romanæ eloquentiæ Princeps. *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur. Ipsi illi Philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt; in quo prædicationem, & nobilitatem despiciunt, prædicari se, & nominari volunt.* Nec ego dubitem, aut negem Illustrissimum Oratorem fortassis humanum quid passum, aut pro animi celsitudine ei displicuisse re infecta ab Vrbe recedere; tamen nec vultu commotum, nec animo perturbatum eum quisquam deprehendit, sed imperterrito pectore, quem ante præuidit & à longe prospexit, fortunæ ictum sustinuit. *Iacula, quæ præuidentur, minus feriunt.* Illis grauis est Plaga, quibus est repentina, facilè eam sustinet, qui semper expectat. Hostium aduentus eos prosternit, quos inopinatè occupauit, at qui futuro se bello ante bellum parauerunt, compositi, & aptati, primùm, qui tumultuosissimus est, ictum facilè excipiunt. Consilium prudens; Qui in sublimi totus exultas, nunquam rebus te crede caducis, nec ei, quam Gentes Fortunam appellant, quidquam fidas, etiamsi videatur in te beneuola, pacem, & amicitiam tecum agere, & in sinum tuum sua fundat, & profundat. Quæ in te indulgentissimè confert, pecuniam, honores, gloriam eo loco repone, vnde posit ea sine motu tuo repetere. Interuallum inter te, & illa magnum habe, vt si placeat, auferat illa, non auellat. Neminem aduersa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit. Illi, qui munera eius velut sua, & perpetua amauerunt, qui se propter illa suspici voluerunt, iacent, & mærent, cum vanos, & pueriles animos omnis solidæ voluptatis ignaros, falsa, & mobilia oblectamenta destituunt. At ille, qui se rebus lætis non inflauit, nec mutatis contrahit, aduersus vtrumque statum inuictum animum tenet, exploratæ iam firmitatis, nam in ipsa fælicitate quid contra infælicitatem valeret, expertus est.

Valer. Max. l. 8. c. 14.

Cicero Orat. pro Archia Poëta.

Præuisa plaga, leuior.

Gregor. Hom. 35 in Euang. & D. Anton. Patauin. in serm. Domin. 6. post Pascha.

Sæculi rebus prudenter vtendum.

Horat. 2. carm. 10.

Sperat infestis, metuit secundis.
Alteram sortem; benè præparatum
Pectus. ———

Timuit prudenter sinistram hanc sortem Orator, dum prospera gauderet, tunc metuit fortunæ vultus, dum læta, & benigna arrideret. Dum aduersa premit quid speret? Secundã. Bina fortunæ sors, in alterutram suum voluit orbem, alteram altera commutet necesse. Potior spes sub sinistra laborantis, potior, & si neges, conditio: Hominibus; ego reor, aduersa plusquam prospera prodest. *Illa enim semper specie fælicitatis, cum videtur blanda mentitur. Hæc semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit, hæc instruit. Illa per mendacium specie bonorum, mentes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis fælicitatis absoluit. Itaque illam videas ventosam, fluentem, suique semper ignaram; hanc sobriam, succinctamque & ipsius aduersitatis exercitatione prudentem.* Sed nec sub hac ipsa aduersitatis exercitatione stabilitatem habet, ipsa aduersa licet sui molestiâ patientibus diuturna videatur, tamen constans non est; se continere non valet; si manere incipit fors esse desistit. Nec sub aduersâ semper gemes, nec sub hilari semper iocundaberis.

Mundi fælicitas instabilis.

Boët. l. 2. de consolat. pros. 8

Hæc facilis, & frequens humanarum rerum vicissitudo Oratorem in profundiorem, & verè Christianam huius Mysterij deduxit contemplationem. Humiliter de se sentiens rem hanc, & Legationem altiorem, & superiorem esse dicebat, quam vt ab ipso, indigno, deberet absolui, & Deum immortalem, qui res has supernaturales, & nostræ credulitatis arcana peculiari moderatur prouidentia, per alium digniorem sub tempore præordinato Controuersiam hanc terminare voluisse, & imperuia esse Dei iudicia, nec rationibus humanis posse inuestigari, & proinde libenter, & sine tædio se locum cessurum cuicumque quem huic muneri aptum, & idoneum Princeps Orthodoxus iudicaret. Desiderasse vero per quam vehementer, vt qui eo functurus esset, sincero in ipsum Mysterium duceretur affectu, Scholasticam calleret Theologiam, vt facilius Controuersiæ terminos, & statum perciperet; nec alia curaret negotia, vt huic vni, quod totum requirit hominem, liberius vacaret, & affectuosius intenderet.

Nec tamen ob hæc ei licuit tunc omnem exuere sollicitudinem vel Oratoris depònere nomen, aut curam, donec per litteras Regis de eius constaret Decreto, & adesset cui cedere deberet. Voluit itaq;, vt, quem

vt, quem promisit Pōtifici, perficeretur Tractatus de sensu Ecclesiæ in celebrando Festo Conceptionis; inuestigatis tamen prius in quibusdam intra & extra vrbem Archiuis, & Tabularijs antiquitatis huius Festi, & rituum eiusdem monumentis. Percurri plura, plura vbiq; offendēs, præcipuè in Ciuitate Perusij, & Bibliotheca Minorum Conu: Assisiat: antiquitate, & varietate multorum codicum M. S. insigni. Ingens est in eadem Breuiariorum, & librorum ritualium peruetustorum, & manuscriptorū cumulus, in quibus diuersa sunt Officia immaculatā expresse testantia Conceptionē, & variæ temporum obseruationes, pluraq; huius deuotionis vestigia, quæ oportuniori tempori reseruo. Dabo modo quam hucusque apud neminem, qui de hac Controuersia scripserat, videre potui, Epistolam, seu supplicem libellū magistri Leonardi Nogaroli ad Sixtum IV: pro defendenda Virgine ab hac macula, & pro instituendo, & confirmando illo Officio Conceptionis à se composito, & in Ecclesia celeberrimo. Illam ipsi Officio præfixam, non sine gaudio, offendi ad initium Breuiarij vetustissimi M. S. in Bibliotheca nostræ Aedis Aræ Cæli in ipso Capitolij vertice erectæ, antiquioribus, & vetustissimis libris nouiter hinc inde iussu R^mi^. Patris Benigni Genuensis, Supremi nostri Sodalitij Rectoris, collectis, & aggregatis locupletè. Sed characterem habuit adeo vetustum, & deformem, vt in quibusdā locis transcribendis laborare, & fermè diuinare oportuerit. Quæ ex alijs citat, in margine notaui & vnum vel alterum locum ex ipsis authoribus restitui.

Ad Sanctissimum ac Beatissimum D.

D. SIXTVM QVARTVM

Pontificem Summum, Sacrumque Confessorem.

EPISTOLA seu SVPPLICATIO.

Beatissimo ac Domino verè Sancto SIXTO *Pontifici Summo Clarissimo Theologo, & Amatori Sapientiæ, Mariaque dilecto filio, pro omnibus eius deuotis ex omni hominum genere congregatis,* LEONARDVS NOGAROLVS *vnus ego hodie hoc defero postulatum.*

SI cœli Reginam atque terrarum, matrem esse gratiæ, spem nostram, & Aduocatam omnes vno ore conueniunt; quis adeo mentis hebetis, vecorsue, vt cum talem audierit in mundum venientem, summa non afficiatur lætitia? Beatum profectò se quisque

quisque iudicabit, qui eam summis laudibus extollere possit. Fœlicemque, beatissimumque diem dicent annalibus adscribendum, easque laudes sibi attribuendas iudicabunt, quæ nihil turpe, nihil flagitiosum contineant, sed quæ magis gloriam sapiant, ac laudatam magnificam reddant. Nullus igitur mentis sinceræ in Mariæ laudes prorumpens, matrem eam dicet Dei, simulque quondam filiam fuisse Diaboli. Deformem profecto reddit laudatam. Num matrem dices gratiæ, eamque antea inimicam largitoris gratiæ? Ingrati, non laudantis est hoc Officium. Nunquid viam ad vitam affirmabis, quæ & ipsa quandoque ignorauerit viam? Te sanè confundis. Spemne peccantium affirmabis, & medium ad tollenda omnia peccata, quæ peccatum gustauerit? Te ipsum à veritate alienum ostendis. Extollis, & deprimis, magnificas, & vilipendis, sanas, & percutis, teipsum censurâ circumuenis; Benedictam dicis, cui maledicere non desinis. Nullus igitur recto iudicio Mariæ laudans aduentum, Sanctificationis dicat diem, si id intelligendum duxerit, vt ex priuatione transitus sit ad habitum, vt scilicet prius inficias quam Sanctam facias. Præclare quidem Thomas Christi animam Sanctificatam docet. Hoc dicere non veretur, dum tamen non ex priuatione, sed ex negatione transeas ad Sanctitatem: Quod namq; non erat, tunc Sanctum non fuisse perspicuum erit. Vnde & Apostolus de IESV loquens, ait. *Quem Pater sanctificauit*; & ipse Saluator, *Ego sanctifico me ipsum*. Vis igitur laudare orbem terrarum introeuntem? Vis laudare ad nos venientem? Vis Festum diem constituere? Eas sibi laudes tribue, quæ ignominiam non miscent; sic nomina, vt extollas, non deprimas, singularem, admirandam, manuque Dei fabricatam Conceptionem.

Tho. 3. p. q. 34. art. 1. ad 2.

Ioan. 10. 36.

Ioan. 17. 19.

Te igitur Theologorum Principem, veritatis amatorem, Mariæ charissimum filium, qui in alto culmine resides, per tuam, quæ te diligit, matrem, oro, imploro, obsecro, & obtestor, intuere eius faciem. Ostendet tibi, quia decora nimis, sonet vox sua in auribus tuis. Videas Columbæ puritatem; *se moneat tantæ pietatis imago*. Mariæ filij vicem geris, eius diceris filius. Cur igitur Matris causam non suscipis? Quæ te tantæ tenuere moræ? Audire digneris Augustinum. Si filium decet honorare matrem, *nunquid non pertinet*, inquit) *ad benignitatem Domini Matris honorem seruare, qui legem soluere non venerat, sed adimplere. Lex enim sicut honorem Matris præcipit, sic inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorauit, &c.*

Cant 2. 14.

Virgil. 6. Æneid.

Pseudo August. tract. 8. c. 5. to. 9. in append.

Matth. 5. 18.

uit, &c. Potuit eam à puluere, & à putredine alienam facere, quæ humanæ est opprobrium conditionis. Intellige & tu sententiam, qui potes Pater Sancte. Audi etiam Ambrosium. *Maluit Dominus aliquos de sui ortu quam de Matris pudore dubitare. Sciebat etenim teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem Matris iniurijs adstruendam.* Cur igitur Tua Beatitudo Matris suæ non miseretur? *Miserere animi non digna ferentis.* Suscita, lauda Matrem tuam, quia tempus est, extolle illam, quia iam ipsa vult. Tibi si te dignum sui gratia reddideris, reseruauit grande Mysterium. Audi in Canticis sæpe replicatum sermonem. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, nec euigilare faciatis dilectam quoad vsque ipsa velit.* Monet enim sponsus (vt Glossæ vtar verbis) nouellam sponsam ne peccato inquietent. Filiæ, inquit, Hierusalem, hoc est, vos, qui in fide iam generati estis, adiurat vos filius Matris vestræ, ne peccato inquietetis ipsam, propter quod Doctores à quiete surgere cogantur, Glossa, eadem volente. Sequitur, per capreas, ceruosque camporum, quæ, inquit, munda sunt animalia, venenorum inimica, & sibi cauent contra hostis insidias. Et iterum sequitur; Dilectam, hoc est in corpore meo quiescentem; Caro enim vnius, caro est alterius, vt apud Augustinum legimus. Siluit humilis Mater tua, multo ante tempore; Euigilare iam vult. Iam tempus est, Pater Beatissime ipsam audi, piè, benigneque ad te clamantem; *Hodie si vocem meam audieris, noli obdurare cor tuum,* sicut fecerunt Prædecessores tui. Quid times, quid vereris? Dubitas fortasse laudare Filium? Non, nec dubites etiam laudare Matrem. Audi Hieronymum qui tibi inculcat: *Nulli dubium esse debet, quin totum ad gloriam laudis Christi pertineat, quidquid dignè Genitrici suæ fuerit impensum, ac solemniter attributum; quoniam (vt verum fatear) quicquid humanis potest dici verbis, minus est à laude cæli, quæ Diuinis, & Angelicis est excellentius prædicata & laudata præconijs.* Addit Augustinus: *Quicquid de Redemptore potest cogitari, & quicquid lingua humana potest loqui, ad laudem tuam optimè potest sacratissima Virgo adaptari, quia quicquid in te laudatur, Filio tuo pro salute humani generis crucifixo deputatur.* Similiter Basilius: *Quicquid de Redemptore mundi potest cogitari, quicquid non solum humana lingua, sed Angelorum rite loqui poterit, ad laudem tuam potest optimè adaptari, & maximè cum quicquid in te laudatur, dilecto Filio tuo crucifixo sponte pro me deputatur.* Non deprimimus igitur Filium, si Matrem extollimus, quia ipsi à Filio omnia concedimus, non enim progreditur in propria virtute. *Sed innixa*

Ambr. li. 2. in c. 1. Lucæ tom. 3.

Cantic. 2.7. & c. 8.4.

Varius & accomodatus suum sensum contextus ex glossa ordin. & interlin.

Pseudo-August. proximè citatus.

Psal. 94.8

Pseudo-Hieron. serm. de Assump. parumper post initiũ tom. 9.

August.

Basil.

Cant. 8.5 *innixa super dilectum suum.* Media est Maria inter Peccatores, & tantum Redemptorem. Redempti enim nos à peccatis, redempta plus ipsa, non à macula quæ infuerit, sed infuisset, nisi dilectus Filius à longe intonuisset. *Copiosa* etenim *apud Deum redemptio*, qui non solùm lapsos redimit, sed ex sua natura labe maculandam, vnicam Matrem ne caderet meritò retinuit. Maculatam fortasse Conceptionem embrionis, & seminis, ac propagantium, non maculatæ animæ intellige qui docte sapis. Peccatum quippe tanquam causa, & materiale quid in corpore est, formalis verò sola anima capax est. Sic igitur Mater tua immaculata concepta est. Priuilegium verò hoc teste Hieronymo, non naturæ est, sed gratiæ eius, de qua natus est Deus & Homo. Nulli ergo iniuria fiet, si hanc sine macula prædicaueris, nemini sanè derogat, multis congruit.

Psal. 129. 7.

Deducit ex verbis quibusdam Hieronymi supracitati.

Vide si potentem Patrem decet, inuenit ipse medium ad tollendum peccatum ab ea, quæ omnium iudicio peccato subiacere non debuit. *Nullam enim in massa humani generis inuenit viam, per quam vt disposuit* (inquit Anselmus) *eius subueniret luctuosæ perditioni, donec ad illam, de qua loquimur Virginem ventum est.* Præseruatur igitur medium, non maculatur, liberatur, non inficitur, custoditur, & carceribus non deputatur. Recordare Augustini verborum: *Si in potestate Dei est Sanctorum de capite nullum perire capillum, est & illam animâ, & corpore integram posse seruare.* Memineris Iobi sententiæ. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Audiant, qui Mariæ derogant. Non enim solum factum mundum dicit Christum; sed solum Deum, de immundo factum semine, mundum posse facere docet.

Ansel. de excel. Virg.

Pseudo-Aug. tract. 8. c. 8 in appēd. tom 7.

Iob 14. 4.

Scrutare Filij amorem in Matrem. Nunquam enim à peccato exclusum se facit, quin occultè Matrem si inspexeris exclusam non inuenias. *Erue*, inquit, *à framea animam meam*; Sequitur, *& de manu canis vnicam meam.* Similiter, *Salua me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam*; & his quidem multa similia. Lege, quem sæpè legisti Augustinum. Vide si tribus hypostasibus conuenit. *Si elegit diuina voluntas solâ gratiâ inter crepitantes vehementium ignium flammas non solum corpora puerorum seruare illæsa, verum etiam ipsa vestimenta inusta; cur abijciat in Matre propria, quod seruauit in veste aliena?*

Ps. 21. 21.
Ibid. n. 22

Pseudo-Aug. proxime citatus.
Daniel. 2. 94.

Ausculta, quia Spiritum Sanctum decet. *Ionam*, inquit Augustinus, *seruare in ventre cæti præter naturalem cursum voluit incorruptum sola misericordia; solam Mariam Matrem incorruptam præter naturam non seruabit gra-*

Idem i. lé.
Ionæ 2. 2

[illegible] Seruatus est Daniel ab intemperatissima [illegible] leonum; Non seruata est Maria [illegible] meritis, & priuilegio. Lege Ambrosium tuum. *Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit, quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generauit.* [illegible] Sequitur. *Talem templum reperit talem spiritus Sanctus elegit. Quae enim in [illegible] Digna fuit, ex qua Dei Filius nasceretur.* [illegible]

Decebat praeterea naturam nostram, seruasse Matrem humani generis innocentem, ne tali speciei inferas iniuriam. Qua ex re cantatur. *In innocentia populi nostri.* Quod & ipsi denique damnati affirmare poterunt. Nonne & ipsi confusi redduntur, cum in Maria immensam in humani generis naturam conspiciunt Dei charitatem. Offensi etiam & [illegible], ac maxime praebet ad occidendum peccatum. Etiam praesentiat, ut se hominem in ipsam venientem faciat, salutem quaerens hominum. Gaudeant & peccatores, cum tantam, ac talem in coelis apud Deum Patrem sentiunt sine macula aduocatam, quam pro eorum redemptione praeseruatam cognoscunt. Confidant omnes, quia tantae Reginae meritis optatum finem adipisci potuerunt. Laetentur Angeli, quia eorum Regina Angelorum sapit innocentiam, taceat Daemonum superbia, quia maculatae Reginae non subiecissent, qui tam infirmi Christo subiicere abhorruerunt. Beati Dei potentiam laudent, sapientiam admirentur, bonitatem, & gratiae largitatem humana reuerentia venerentur. ergo [illegible]

——— quae causa indigna serenae

[illegible]

Inimicus Christiani nominis Mahometh in Alcorano, originalem maculam à Christi Matre excludit, & tu tantae Matris filius non excludes? Audi sacrilegum, audi, inquit ille, nuncium Dei dicentem; *Nullus de filiis Adae nascitur, quem non tangat satan, & ideo plorat ex eius tactu, excepta matre Mariam, & filium eius.* Lege tu ad quam sermo est, Leuitici librum. *Summus*, inquit, *Pontifex, qui [illegible] fusus est [illegible] vestibus ad omnem mortuum non ingredietur omnino, Virginem ducet vxorem, viduam & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, ne commisceat generis sui stirpem*, vulgo. Non ingreditur Leuit. 21. ergo sacerdos quoquomodo ad maculatam, & ingreditur diaboli scortum aliquando Deus? Mortuum profecto nihil, sed plenum gratia intrauit. Non est vulgaris puella, non sicut caeterarum eius Conceptio, sed singularis, atque admiranda.

Recordare igitur, Summe Sacerdos, ne quam accepisti sponsam,

ſam, maculari permittas. Præuaricator eius Legis, ſeruata [illegible] tum in ſponſa, qui ſeruas in filio ſponſi. Mandarunt ſeruaſti, cur igitur te culpabilem reddis? Declara innocentiam tuam, non te transgreſſorem exhibeas. Vir ſtipulando de via, pro [illegible] illā viam habuiſſe conceditur. Hoc Leges indicant, quoniam duo ſunt in carne vna, hoc eſt in filio. Quid igitur mirum ſi ſponſa & mater vnum, ſi filius & ſponſus idem, viam innocentiæ ſeruans Chriſto, ſeruabit Mariæ, quæ eius ſponſa, & mater eſt?

Locus ab ſponſus vel maritus.

Cur igitur Pater Sancte cruciari Mariæ deuotos filios? Hieronymus ad Damaſum [illegible] facile [illegible], ſi Sedem Apoſtolicam approbare ſententiam [illegible]. Bernardus [illegible] docet. *Ad te igitur confugio, & ſupplex tua numina poſco, [illegible] num tuam, qui imples omne animal benedictione,* [illegible] benedictionem tribuas nobis. Vide omnes Mariæ filios, [illegible] rum facies, vide lachrymas, vide ſingultus. Recordare [illegible] Matris tuæ magnæ, miſerere animi non digna ferentis. Per viſcera ergo Matris tuæ, per ſuam benignam clementiam, quam in te monſtrauit, per illos diuinos oculos, quos in te direxit, per ſummam in te pietatem, per ſuam in omnes charitatem, honorem eius tibi commendamus, [illegible] clamamus; clamat, & ipſa, *Miſeremini honoris mei ſaltem vos amici mei,* ſaltem tu fili mi, quem [illegible] ſuper thronum Dauid, ſuper [illegible] Regnum, in qua

Hieron. epiſt. 58. Bernard. epiſt 174. Virg. 1. Aeneid. Pſal 144 16.

Iob 19. 21

——— *[illegible] Iunonemque*
Concilio [illegible]

Virg. 1. Aeneid.

Hoc ſaltem poſtremo obtineamus, Pater Sancte, vt qui hoc, à te emendandum, quod humiliter offerimus, digna deuotione celebrauerint Conceptionis Officium, Indulgentiarum tuarum partem, quam ipſe volueris, capiant, vt ipſa te in regno cælorum, capiat Mater tua, quæ benedicta eſt à principio ſuæ Conceptionis, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Et ſequitur immediate ipſum Officium Conceptionis ſub hoc titulo: Incipit Officium Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ editum per R. P. D. L. [illegible] Nogarolam, [illegible] Artium, & Sacræ Theologiæ doctorem [illegible].

OFficio etiam aſſigitur conſtitutio illa notiſſima, & celebris. *Cum præcelſa*, qua Sixtus Officium confirmauit, recitandum inſtituit, & ampliſſimis commendauit Indulgentijs. Adnotant,

notaui, benè in hoc codice obſeruatum fuiſſe annum Dom. 1476. in quo ediderit hanc Conſtitutionem Sixtus; nam quidam, qui de hoc Myſterio ſcripſerunt, & Iuris Canonici codices omnes antiqui, quos videre licuit, præſertim ille Lugdunen. ann. Dom. 1531. per Franciſcum Fradin excuſus, imò & recentiores, ſed Gregorianâ correctione priores in annorum numero errauerunt, decem etenim integros ſubtrahunt; & ſupputant ann. Dom. 1466. quod nequaquam conſtare poteſt, Sixtus etenim in Pontificem aſſumptus eſt poſt Paulum Secundum ann. Dom. 1471. 5. Idus Auguſti, & vixit in Pontificatu annos 13. dies 4. mortuus eſt enim Septuagenarius ann. Dom. 1484. Idibus Sextilibus, vt in ſepulchri legeram Epitaphio. Vidi etiam, & præ manibus habui, ipſum originale huius Conſtitutionis ſub plumbeo ſigillo Pontificio, quod aſſeruatur in Sacrario D. Franciſci Aſsiſiatis Patrum Conuentualium, in quo diligenter obſeruaui certam eſſe annorum computationem ſub an. Dom. 1476.

Perquiſitis, & inuentis pluribus antiquitatis, & ſenſus huius Feſti veſtigijs, voluit Orator vt plena, & plana fides fieret Sanctiſsimo Domino, & ei clarè conſtaret in celebritate Conceptionis non Sanctificationem Virginis à peccato contracto, nec inſtans aliquod vagum, aut indeterminatum, in quo Sanctificata fuerit Virgo, ſed primum, & præciſum ſuæ Conceptionis humanæ, in quo præſeruata eſt, ne originale contraheret, ab Eccleſia celebrari. Hoc largius probat ſequens Tractatus, quem ad Nonas Iulias Sanctiſsimo Domino exhibuit.

ORATIO SEPTIMA
AD S.MVM D.NVM
PAVLVM PAPAM V.
TRACTATVS VIII.

Catholicam, & Sanctam Ecclesiam in Festo Conceptionis Virginis Mariæ, nihil aliud aliquando intendisse, aut modò velle, quam celebrare immunitatem, ac præseruationem eiusdem Virginis à peccato originali, eo sensu, quod in nullo instanti eidem actualiter subiacuerit; euidenter ostenditur.

Varia recensentur aduersariorum ad varias obiectiones effugia.

§. I.

1 Aduersarij multo tempore in sua sententia tenaces. *2 Plura argumentis adhibent effugia.*

BEATISSIME. PATER.

Aduersarij longa ætate tenaces.

1 DE Controuersia Conceptionis Virginis Mariæ per ter centum & plures annos agitur cum Patribus Dominicanis, quorum plures adhuc hoc nostro sæculo Virginem Dei Genitricem in peccato Conceptam esse tenaciter defendunt, vel quia ita aliquando senserit D. Thomas in cuius verba iurauerunt, vel quia ita se ipsos sentire professi sunt, & modo nolint cantare palinodiam. Magno rationum pondere, & præcipuorum Patrum authoritate plurimi homines doctissimi per totum hoc tempus, cum suis scriptis, tum publicis disputationibus conati sunt eos ab hac sententia auertere, plurima obijcientes, quæ liberos quosque homines nec suæ sententiæ plus æquo addictos facilè conuincerent. Nulla fuit ætas in qua aliqui eorum, propria reiecta sententia, vel ipsa veritate victi, negatiuam non sunt amplexati. Sed quos nimius amor, aut propriæ opinionis affectus possedit, tantum abest, vt ei valedicant, vt potius quotidie, tenacius adhæreant.

2 Omnibus quæ Religiosis his viris obijciuntur, rationibus, quibus totus fermè conuictus est orbis Christianus, & magni ipsorum

rum cesſère Magiſtri, neſcio quas adinueniunt ſolutiones, & fortiſsimis argumentis confingunt effugia. Si pium dicamus benè ſentire de Virgine, quodcunque vel minimum ab ea remouendo peccatum, mage pium dicunt hoc ſoli eius Filio concedere. Si nihil hoc Filij dignitati detrahere, imò addere, probauerimus, ſtatim reſpondent, melius eſſe cum ſacra Scriptura, illis (aiunt) applaudente, ſentire. Si iam libere, & ſine fidei, aut erroris periculo à regulis vniuerſalibus & communibus Decretis ſacræ doctrinæ, eam eximere licere quis oſtenderit, tum per alia Virginis priuilegia, tum quod Concilium Tridentinum ſub illis vniuerſaliſsimis Decretis, à quibus mortalium nullum ab Adamo naturali modo deſcendentium exemit, Virginem noluerit comprehendere; recurrunt ad commune placitum Doctorum. Si Doctores fere omnes ex quo hæc Controuerſia exactius diſcutitur, alteram defendere obiecerit, dicunt ſe ſolis priſcis credere Patribus. At hoc telum & clypeum, quo ſe ſecure defendi glorioſe iactant, iam euidentiſſime eis ereptum eſt, dum diligenti examine, & acurata Sanctorum Patrum lectione, quid ſenſerint modo luce clarius innoteſcat, & pauculos eoſque in ſententia varios, nec ſatis ſibi conſtantes eiſdem fauere aperte fuerit demonſtratum, ad vltimum tandem confugiunt aſylum, Pontifices ſcilicet ſuam ſententiam, vt probabilem iudicaſſe, eiſque ita per Eccleſiam licere opinari. Inſtant alij, & non improbabiliter, Pontificum nullum eam hucuſque iudicaſſe probabilem. Quod ſi aliter, quam cætera Eccleſiæ pars ſentire, quidam ex illis permiſerint, hoc illos feciſſe iudicant ad euitanda maiora incommoda, pro certo reputantes veros Eccleſiæ filios cum eadem vel aliquando conſenſuros, præcipue cum ſolemni per orbem Feſto inſtituto, illa manifeſte omnibus ſuam mentem aperuit. Ex quo non inane aut eis parum moleſtum argumentum ſumunt, qui è contrario contendunt, vt eos omnino à ſua ſententia deijciant. Sed illi, quo magis eius vim percipiunt, & præcipue hoc tempore, quo tam ſolicite inſtatur de ſtabilienda altera ſententia, nihil tam curant, quam hoc argumentum infringere, eique plures adhibere euaſiones. Aliquando dixerunt non eſſe Feſtum vniuerſale totius Eccleſiæ, dum in aliquibus tantum Eccleſijs celebraretur, aliquando non eſſe in Eccleſia Romana, vel Pontificia Curia receptum, quia in ea Summus Pontifex aſsiſtentibus Cardinalibus Conceptionis Feſtum non egerit. Quæ tamen

modo vident ſe non poſſe reſpondere. Alij addiderunt inſtitutam hanc Feſtiuitatem, vt pro ipſa Conceptione, vel quia Virgo noſtræ fælicitatis Mediatrix, in Mundum aduenit, gratiæ redderentur Altiſsimo. Alij quia Conceptio illa principium erat futuræ Sanctitatis, & excellentiæ feſtiuè colendam dicebant. Alij alia excogitarunt penitus improbabilia, & ab alijs ſatis exploſa. Alteram etiam euadendi inuenerunt rimulam, videlicet, quod licet Feſtum hoc, commune, vniuerſale & Pontificium ſit, & iam omnimoda ſibi ſuffragetur authoritas Eccleſiæ (quæ quanta, & quam magna ſit ad ſententiam quamuis ſtabiliendam, non poſſunt negare) negant tamẽ celebrari in Eccleſia Conceptionem naturalem, ſeu corporis Virginei animationem in gratia factam, ſed ſolam Conceptionem ſpiritualem ſeu Sanctificationem eiuſdem Virginis; ſiue in ipſa animæ infuſione, ſiue poſt peccatum contractum contigerit, nec Eccleſiam adhuc in celebratione huius Feſti ſuam mentem aperuiſſe, nec determinatè hoc vel illud tempus aſsignaſſe contendunt; vnde nec ex Feſto vniuerſali ſe cogi ad contrariam opinionẽ ſectandam obiectant. Ad hos terminos deducta eſt modo Controuerſia.

In Feſtis omnibus Sanctitatem coli ab Eccleſia.

§ II.

De cæteris aduerſariorum effugijs, vel Tractatus Tuæ Beatitudini obtuli, vel præſens ſermonem habui. Hoc poſtremum eorum reſponſum ad vltimum ſcriptum à me præſentatum, quam contemnendum & reijciendum ſit, maturo tuo iudicio tumetipſe Beatiſsime Pater iudicabis, & ego euidenter conabor oſtendere.

3 Præſuppoſitum tamen prius, & breuiter à grauiſsimis Patribus probatum volo, non celebrari Feſtum qualecunque in Eccleſia, niſi pro aliqua re ſancta, nec alicuius Sancti natiuitatem, mortem, aut quodcunque vitæ eiuſdem tempus, coli in Eccleſia, niſi ratione Sanctitatis pro tunc in eo exiſtentis, ita quod ipſo facto, quod Romana Sedes venerandum proponat quemcunque illius vitæ terminum, certò tenendum ſit, illum tunc nulli ſubiacuiſſe peccato. Hinc magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus rationem extraxit, quare D. Cypriani mors potius, quam Natiuitas celebratur in Eccleſia, ideo videlicet, quia illa fuit ſub gratia, hæc vero ſub peccato. Verba eius ſunt. *Quid eſt hoc fratres? quando natus* (Cyprianus ſcilicet) *ignoramus,*

Cur mortis non Natiuitatis Sanctorum dies celebratur.

ramus, & quia hodiè passus est, Natalem eius hodiè celebramus: sed illum diem non celebraremus, et si nossemus, illo enim die traxit originale peccatum, isto autem die, vicit omne peccatum. Et inferius ostendens nullam aliam esse rationem Festiuitatis præter Sanctitatem, addit, *Vnde nos celebraremus Natalitia eius, nisi esset pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius?* Quæ etiam fuit ratio D. Bernardi, & aliorum inferius à nobis magis examinanda, vt dicerent, Conceptionem Virginis non esse celebrandam, propterea quod in peccato factam iudicauerint. Quod vt sibi visus est probare Bernardus, intulit. *Quænam iam erit ratio Festiuæ Conceptionis?* quasi doceat nullam assignari posse Festiuitatum Ecclesiæ rationem, nisi solam Sanctitatem; vnde & consequenter ipse Sanctum Ildefonsum Toletanum Antistitem imitatus, & vtrumque D. Thomas, ex eo colligunt eiusdem Virginis Natiuitatem fuisse Sanctam, quia eam Ecclesia celebrabat, quasi velint, & credant nullatenus Ecclesiam eandem celebraturam esse, nisi iudicauerit fuisse Sanctitate præclaram. Quod & vniuersaliter de omnibus Sanctis, Sanctorumque diebus Festiuis docuit D. Bonauentura; *Statuta* (inquit) *vniuersalis Ecclesiæ de Sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt super Sanctitate, vt nullo die pro aliquo Sancto solemnizet, in quo, vel pro quo persona Sancta non fuerit cui honor ille defertur.* Nec doctrinam hanc, quam nos supponimus, & tanti tradiderunt Ecclesiæ Magistri, ipsi negant aduersarij quam præclariores inter eos ex D. Thoma docuerunt, & suis scriptis mandauerunt, etenim D. Thomas (à cuius verbis vel latum vnguem discedere nefas putant) expressis his verbis huic sententiæ locis proximè citatis subscripsit; *Non celebratur* (inquit) *Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto.* cuius vt tueantur doctrinam, hanc explicationem tanto Festo adhibuerunt; quam falsa vero & futilis sit, facili, licet longiori aliquantulum sermone, tua venia licet demonstrare.

August. serm. 113 qui est de B. Cypriano Tom. 10.

Bernard. Epistola 174.

Ildefons. l. de part. Virginitate Mariæ ad prin.

D. Tho. in 3. p. q. 27. ar. 1. arg. contra. & in 3. d. 1. q. 1 ar. 1. sub tertio dubio.

Bonau. in 3. d. 3. q. 1. ad 4.

Thom. vbi supra.

Celebrari in Ecclesia veram & naturalem Conceptionem in Sanctitate factam.

§. III.

4 *Assumitur probandum veram & Sanctam Virg. Conceptionem celebrari.*
5 *Sub hoc sensu incepit in Anglia.*
6 *Sub eodem receptum Festũ à Gallis.*
7 *In eodem transijt ad reliquas Ecclesias.*

4 PErfecta rerum notitia ab ipsa earum origine perfectius deducitur & Festorum intelligentia à primæua eorum institutione, instituentium Pontificum verbis, & celebrantium sensu

erit repetenda. Per hæc tria capita faciliter probabimus non Sanctificationem vt sic, aut spiritualem Conceptionem, sed veram, naturalem, ac humanam, seu corporis & animæ vnionem, in ipso primo instanti in gratia factam ab Ecclesia celebrari. Taceo modo quam antiqua sit huius Festi, tam apud Latinos, quam apud Græcos solemnitas, nec immorari volo in probando, quod per plures Ecclesias ab Apostolorum tempore sub Conceptionis immaculatæ titulo ad 6. Idus Decembris, per continua sæcula fuerit celebrata. Solum repetere volo principium illud mage notum, quod in Anglia habuit post annos mille, vnde in Galliæ confinem Regionẽ ad idem tempus, & paulo post ad alia Regna fuerat translatum.

Veram Conceptionem, & Sanctã celebrarũt Angli.

5 Licet apud aliquas Angliæ Ecclesias circa Venerab. Bedæ tempora Festum hoc celebratum sit, vt ex eius Martyrologio infertur, & viris doctis placet, tamen multo pòst; & paulò ante, vel circa Anselmi sæculũ ad omnes fere fuerat propagatum. Sed quibusdam adhuc renuentibus, seu religiose timentibus, illud admittere, idem Anselmus suasit, & persuasit vt nemine discrepante, Episcopi omnes Angliæ in suis Diocœsibus Festiuitatem hanc ordinârent, quam licet tunc ex præcepto obseruari non iusserint, tamen eam admisisse innuitur ex Concilio Oxoniensi ad annum 1261. & ex Cantuarien. B. Anselmum eam per omnes introduxisse. Rem omnem vel solus, vel potissimus peregit, tum sermonibus exhortando, tum litteris inuitando. Illius est celebris illa ad Episcopos Angliæ de hoc Festo admittendo epistola, & homilia de eodem celebrando, vt multi firmiter asseuerant, & non obscure constat ex Breuiarijs Romanis antiquis (quorum plurima vidi) in quibus sub eiusdem nomine in Officio huius Festi per lectiones distributæ recitabantur licet ex aduersarijs, pro suo more, sint, qui de illarum dubitent authore. Cuiuscunque tamen illæ sint, siue Anselmi, siue alicuius Viri sancti, aut venerabilis Prælati eius coætanei, clare, & expresse explicant ad quid celebrandum populos inuitauerit, præposita namque in homilia duarum distinctione Conceptionum, naturalis in coniugali congressu, & spiritualis in animæ creatione, & infusione; ad hanc, quam tantopere in Epistola extollit, celebrandum inuitat, his verbis; *Si non placet illis celebrare solemnia Conceptionis carnalis Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ eius spiritualem creationem ac corporis & animæ copulationem, ô quanta est dies illa, qua nostræ reparatricis anima digna creatur & sacratur, & sanctissimo corpori*

Concil. Oxoniẽ. Can. 1. Tom. 3. Concil.

pori vnitur. Quibus verbis licet in voce aut nomine *spiritualis Conceptionis* conueniat cum aduersarijs, re tamen, ac vocis ipsius interpretatione ac explicatione, à se præmissâ, nostram seu quam nos naturalem, veram, ac humanam vocamus Conceptionem, venerandam, ac colendam proponit. Ita enim quam spiritualem vocat, ac declarat. *Spiritualis*, inquit, *Conceptio est; qua spiritualis anima noua & pura Domino operante, corpori diuinitus datur & coadunatur.* Quasi actionem ipsam à termino denominet & spiritualem vocet Conceptionem quia spiritualis tunc creatur & vnitur substantia. Vnde expresse, ac clare Festi intentionem, celebrantium sensum, & Conceptionis Mysterium declarauit. Quod nihil aliud est quam animæ sanctæ, dignæ, gratiæ ornatæ, in corpus infusio. Ita hanc huius Festi institutionem intellexerunt illius temporis Viri, & post illos Concilium Cantuarien. nationale Anglicanum. Vt testatur Ioannes Baccon insignis & peruetustus Theologus. *Ioannes Baccon: l.3. quodlib. quæst. 13.*

6 In hoc sensu receptum fuit hoc Festum à Gallis, vt euidenter constat ex illa Epistola, quæ inter litteras D. Bernardi est 174. ad Lugdunen. Canonicos, in qua eius author (quem ego non negarim esse Bernardum) toto conatu intentat prædictos Canonicos auertere à Conceptione celebrandà, hoc potissimum argumento, quod sancta non fuerit. Cum enim eos viderit & ex Ecclesiæ constantissima consuetudine intellexerit, non celebrasse, nec celebrare debuisse, nisi Conceptionem omnino sanctam, seu in ipsa Conceptione sanctitatem; vt eos ab illo Festo deterreret, nihil tam sibi probandum ingeniosè duxit, quam in ipsa Conceptione non fuisse Virginem sanctam; vnde cum multas, sanctitatem ipsius Conceptus improbantes, cumulasset rationes, (quæ an concludant, vel intelligendæ sint de prima Conceptione, vt doctissimi Viri, & in Bernardi doctrina versatissimi, multis comprobant, & Tuæ Beatitudini me promisi ostensurum, modo non disputo) statim subiunxit; *Cum hæc ita se habeant, quænam erit ratio Festiuæ Conceptionis? Quo pacto, inquam aut sanctus asseretur Conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam qui de peccato est? aut Festiuus habebitur, qui minimè Sanctus est?* Et paulò superius, postquam reuelationes, quas illi referebant & à quibus asserebant Festum initium sumpsisse, rationesque quas ipse effinxit, sibi refellisse visus est, subinfert, *vnde ergo huius Conceptionis sanctitas?* Quæ verba, & totius ferme Epistolæ rationes satis indicant Ecclesiam illam grauissimam introduxisse, *Laudem receperunt Galli.*

admi-

admiſiſſe, & celebraſſe Feſtum Conceptionis naturalis, ſed ratione omnimodæ Sanctitatis, & in Feſti celebratione intellexiſſe Virginem Sanctiſsimam in ſua Conceptione nequaquam vllum contraxiſſe peccatum. Vnde &. Sanctitatem in primo inſtanti tanquam ſibi moraliter certam, vel ad minus ſatis probabilem, feſtiuis laudibus coluiſſe. Neque enim ſi in ſenſu Sanctificationis eam celebrarent, illos reprehenderet Bernardus, qui Virginem copioſiori, & potiori Sanctificationis genere in vtero Materno Sanctificatam eſſe, quam Ioannes Baptiſta aut Ieremias mundati fuerint, libenter in eadem Epiſtola admittebat, & prædicabat. Ideo ergo reprehendit, quia ei conſtitit in ſenſu immaculatæ & ſanctæ naturalem Virginis Conceptionem ab eiſdem celebrari.

In eo ſenſu tranſijt ad cæteras Eccleſias.

7 Hinc in eodem ſenſu ad multas Europæ Eccleſias transfuſa eſt hæc Feſtiuitas, & ad annos quadringentos ſupra milleſimum omnibus facta eſt communis, vt conſtat ex teſtimonio hiſtoriali Decreti Baſilienſis facti ad annum Domini 1433. cuius verba refero, non vt ſtatuentia validũ, benè tamen vt denuntiantia verum. In quibus refertur Conceptionem non qualemcunque & in peccato factam, ſed in ſenſu præſeruationis ab originali, *& ſanctam, tam per Romanam, quam per alias Eccleſias* VI. *Idus Decembris antiqua & laudabili conſuetudine ſolitum fuiſſe celebrari*. Quare conſequenter & conformiter ad hanc, quam retulit, Romanæ & aliarum Eccleſiarum conſuetudinem iam antea dictum erat in illo Decreto, *Doctrinam illam diſſerentem Virginem à peccato immunem, & præſeruatam fuiſſe* non ſolum *conſonam fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ, ſed & cultui Eccleſiaſtico fuiſſe*. A quo tempore, & poſt Concilium Prouinciale Auinionenſe, celebratum præſidentibus duobus Illuſtriſsimis Dominis Cardinalibus huius Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis Legatis (in quo idem quod in Baſilien. firmiſsime ſtatutum eſt circa hanc Controuerſiam ad an. Dom. 1457.) ita receptum eſt in eodem ſenſu hoc Feſtum in omnibus, ſed præcipuè Gallicanis & Hiſpanis, Eccleſijs, vt illæ nefas ſemper putauerint de hoc dubitare, iſtæ per manifeſtum ſuum cultum, & intentionis ſuæ non obſcuram expreſsionem omnem aduerſæ ſuſpicionis, vel explicationis occaſionem procul amouerint, & penitus reſciderint.

Concil. Baſilien. parag. 36

Concil. Auinionen.

Idem

[illegible]

§. IV.

[illegible]

8 HIs temporibus superuenit Sixtus IV. qui [illegible] in Italia, adhuc [illegible] Festi interpreta-tiones [illegible] & litteris Apo-stolicis, & sub grauissimis [illegible] Diplomatis, (cuius [illegible]) quod ad maiorem [illegible] in commu-niti, repositum est in Corpore Iuris [illegible] & venerat. Sancto-rum [illegible] recitandorum Indulgentiis superadditis, Officium ac Missam propriam Conceptionis, in quibus expressa videretur ab omnibus intentio ipsius Ecclesiæ, & fidelium hoc Festum cele-brantium, vt non [illegible] de ea posset dubitari. Et certè si Offi-cium hoc ipsum & Missæ, quæ per centum vel circiter annos in Ec-clesia decantata sunt, & adhuc apud quosdam quibusdam mutatis [illegible] perseuerant, consideratur, & sine passione liberè iudi-cetur, [illegible] ita expressè in Oratione, Inuitatorio, Respon-sorijs, Antiphonis, Officij & Missæ Collecta, præseruationem Vir-ginis [illegible], vt nullus circa hanc rem remanere possit scrupulus. Namque in ipso Introitu seu principio ipsius Officij, [illegible] Vesperis hæc sunt primæ Antiphonæ, *Sicut lilium inter spi-nas, [illegible] filias Adæ. Et, tota pulcra es Maria, & macula origina-lis non est in te.* Quæ verba in fine octauæ lectionis eiusdem Noc-turni Officij repetuntur, & in Oratione quæ per omnes horas, & in Missa cantatur expressè dicitur, *[illegible] præseruatam fuisse, ex [illegible].* Quasi enim Sanctissimus Pontifex suam ex-pressius voluerit declarare intentionem, illam originalem macu-lam, quam in 2.ª Antiphona eam negauit contraxisse, & omnem [illegible] labem procul ab eadem Sanctissima Virgine remouendo, [illegible] Dominum eam ab omni labe præseruasse, originali scilicet, & actuali; quarum vtramque simul ab ea etiam expressè ablegauit in 5.ª Antiphona secundarum Vesperarum dicens; *Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Et vt alia pleraque eiusdem

nullam esse in hoc idem essentialiter contrarium, quia verba Inuitatorij, seu inuitantia ad Festum [illegible], atque monent [illegible] *[illegible]*: hæc sunt: *Conceptionem [illegible] Mariæ celebremus.* [illegible] verbis itaque commouentur fideles ad Conceptionem [illegible], siue in primo, siue in secundo instanti, sed [illegible], & singulis momentis sanctam: quippe quæ non fuerit sanctificata à contracto, sed præseruata à contrahendo peccato. Vnde & ad Christum Mariæ Filium, qui eam ita præseruauit, adorandum, & colendum eosdem fideles inuitantur. *Christum* (inquit altera Inuitatorij pars) *[illegible] adoremus Dominum.* Præseruationem à contrahendo, non liberationem à contracto, Christum, qui Virginem præseruauit [illegible], non quid [illegible] infectam, adorandum voluit hæc verba. Item Missa propria eiusdem Festi, quæ incipit *Egredimini* [illegible] ab ipsa eiusdem institutione [illegible] Pio V. tempore totâ Romana Ecclesia in suis officijs vsa est, [illegible] compositum Missalium, quæ apud me sunt, [illegible] hæc sola Missa in Festis Conceptionis tota Ecclesiæ [illegible] Romana Sancta [illegible] proponitur Item in prima [illegible] P. Virg. [illegible] *omni peccato præseruata & immunis* dicitur, [illegible] Conceptio immaculata vocatur. Quibus & [illegible] verbis quibus totum [illegible] respersum est Officium, [illegible] Festum Præseruationis ab originali peccato celebrari.

19. Sed quemadmodum nec soli ipsi, lucidissimo cœlorum astro, sua nebulæ desunt, sub quibus tantum orbis lumen & fulgentissimum iubar aliquando lateret, & absconditum videatur, ita nec veritati quantumcumque clarissimæ, tortuosæ & sinistræ desunt interpretationes, & applicationes quædam [illegible], quibus clarissimam quamque doctrinam eius æmulatores obfuscare, & obnubilare conentur; [illegible] verba [illegible] Insuper [illegible] quod à solo Tito Bostrensi [illegible] præseruationem Virginis à peccato, [illegible] non conceptionem [illegible], sed [illegible] quia à peccato contracto [illegible] & qui [illegible] vel [illegible] [illegible].

20. Hæ

10 His temerarijs ausibus, & erroneis assertionibus obuiare volens idem Pontifex, alias Pontificias dedit litteras ann. Dom. 1482. incipientes, *Graue nimis*, in quibus speciatim illos Longobardos Prædicatores vehementer increpauit, eorumque assertiones, vt erroneas condemnauit, & explicite docuit, non aliam Conceptionem spiritualem, quam præseruationem à peccato originali celebrari ab Ecclesia, sub his verbis; *Assertiones illorum, qui affirmare præsumerent sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat Conceptione & sanctificatione eiusdem Virginis gloriosæ Festum celebrare; & eos qui crederent, & tenerent eandem Dei Genitricem, ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vtpote falsas & erroneas, ac à veritate alienas, auctoritate Apostolica reprobamus, & dānamus.*

Eo condemnat Pontifex speciali Bulla.

11 De huius Bullæ veritate, licet facile & inaniter dubitare voluerint aduersarij (vt nihil quod contra ipsos profertur non vocent in dubium,) ne tam expresso, & claro testimonio cogantur admittere iam manifestè constare de mente, & intentione Ecclesiæ, cuius authoritati & cultui ingenue putant non refragandum; tamen doctissimi quique viri, quos propriæ opinionis affectus in alterutram violenter rapuit partē, eam omni semoto dubio recipiunt, & vt vere Pontificiam suscipiunt, & reuerentur. In Monumentis ordinis Minorum, libro, tam vetustate quam fidelitate commēdato, & in supplemento eiusdem habetur in omnibus, & varijs impressionibus, nihilo in vlla re variato, aut mutato. In varijs etiam inuenitur Bullarijs quæ collatis transumptis cum originalibus collecta sunt, & communita grauissimorum præsulum testimonio.

De ea dubitant aduersarij, sed immerito.

Eam habent varij antiqui codices.

Diuersa etiam Bullaria.

Eam summatim citauit Emanuel Rodericus to.1.quæst. Regul. q.57.art.1. & in sua benè authentica collectione Bullarum, & priuilegiorum Apostolicorum regularium, illam inter cæteras habet sub eodem Sixto IV. Bulla 17. Quæ collectio & compilatio à Catholicæ Majestatis supremo Consilio reuidenda, & examinanda commissa est grauissimo D. Gregorij Vallisoletani Collegio Patrum Dominicanorum, cuius Rector vir sane doctus, & Doctor Paredes in sacra Theologia præsentatus, fidē fecerunt summa cura dictam collectionem se euoluisse, illamq; non parum commendarunt, tanquā rem multo labore insigniq; diligentia editā, dignamq; iudicarunt, quæ prælo mandaretur. Quod credendū est non facturos, presertim quod ad hanc Bullam attinet, nisi ipsis copijs authenticis, vel originalibus oblatis vincerentur, & omnino conuincerentur,

Emanuel Rod. sequtus.

Q tur,

tur, vt teſtimonium perhiberent veritati; Nec enim putandum eſt illos ementituros, aut aliter contra ſe cauſam dicturos, & iudicium prolaturos, vel in huius ſolum Bullæ controuerſia, quando actualiter, & continuo Fratribus Minoribus, ac alijs Eccleſiæ Doctoribus, cum eiſdem in hac materia Conceptionis lis ac diſputatio fuerit.

Compend. priuil. ord. Huius etiam Bullæ mentionem faciunt Alphonſus à Caſarubios & Hieron. Sorbo in Compend. priuil. ord. Mendic. verbo Conceptio. n. 6. quam ex authentica Bulla ſe citaſſe ſignificat collector appoſito illo charactere B ad finem illius numeri, ita enim ad principium illius libri pag. 7. declaratur litteram illam B maiuſculam ſignificare Bullam authenticam.

Ioannes Bapt. Confect. Ioan. quoque Bapt. Confectius Protonatarius Apoſtolicus ſub eiſdē verbis eam habet in ſua collectione priuilegiorum ſacrorum ordinū Clementi VIII. dicatâ. Cuius ſingulas Bullas ex authenticis tranſumptis extractas & exemplatas fuiſſe ipſe in admonitione ad Lectorem aduertit. Idemq; Offredus Offredij Nunc. Apoſtolic. in Hetruria teſtatur plena fide, & expreſſo teſtimonio in calce collectionis affixo, in quo ait ſe collationare iuſsiſſe omnia illius libri priuilegia, indulta, & Diplomata Apoſtolica, per Cancellar. ſuum, & Notariū publicum qui omnia retulerat, cum ſuis authenticis tranſumptis conuenire; opus hoc, & collectionē ſummopere Clem. VIII placuiſſe ſcribit Hyppolitus Doneſmondus Vincentij quondam Ducis Mantuani Theolog. & notæ litteraturæ vir, in ſua hiſtoria vel chronologia eccleſiaſtica Mantuana p. 2. l. 9. ad an. 1597. eundemq; omnes illas Bullas, & indulta Pontificia confirmaſſe, conſeruatoremq; vniuerſalem pro obſeruantia, & patrocinio illarum Bullarum, pro omnibus ordinibus, & nomine Sedis Apoſtolicæ conſtituiſſe, & creaſſe Illuſt^mum & Reu^mum D. Dominum Franciſcum Gonzaga Mantuanum Epiſcopum, Sacri Romani Imperij Principem.

Proceſſ. origin. ſub Iulio II. Sed & ſub Iulio II. an. 1504. indict. 7. die Sabati 14. menſis Decembris prænominati Pontificis an. 2. omnis omnino circa huius Bullæ veritatē ſuſpicio remota eſt, dum venerabilis Dominus Antonius de Monte electus ciuitatis caſtelli, Apoſtolicus Camerarius, Curiæ & Cameræ cauſarum auditor generalis, omnium itidem litterarum Apoſtolicarū ac ſententiarum in Rom. Curia latarum iudex vniuerſalis, & executor, proceſſu iuridico à ſe ſuper hac & alijs Bullis Apoſtolicis ſolemniter, & iudicialiter facto, omnes, ad quas attinere poterat perſonas, & procuratores Religionū per ſuos termi-

nos

nos peremptorios citando, testes & alias quascunq; iuris diligentias adhibendo, originalia de verbo ad verbũ legendo, transcribi eodem modo faciendo, copias cum originalibus iterum collationatas elargiendo, testimoniũ, & instrumentum publicum de earum veritate præbuit, seq; vidisse testatur hanc Bullam originaliter non vitiatã, non cancellatam, suspicione omni falsitatis aut corruptionis carentem, vnde & copiæ à se concessæ eandem adhibendã iudicauit fidem grauissimis pœnis & censuris (earum absolutione Rom. Pontifici reseruata) fulminatis in eos, qui huic transumpto sub Notarij testimonio testiũ præsentia, & sigillo pendente à se concesso contradicere, fidemue denegare, aut eius executionẽ impedire non vererentur. Quod transumptũ & iudicialis processus adhuc eodem Camerario & generali auditore superstite, & sub eodẽ Pontif. an. 1511. indict. 14. affixo ad valuas Eccl. Cathedr. Salmantinæ per Petr. Vacca I.V.D. generalem Vicar. R^mi^ D^ni^ Ioan. de Bouadilla Episc. Salamanticen. edicto generali citationis contra omnes, & singulos sua cõmuniter, vel diuisim interesse putantes, & nemine contradicente, vel in contrarium quidquã allegante ab eodem recognitum fuit, & approbatum tanquã verum, & omni suspicione vacuum, eiusdemq; varias fieri concesit, & iusit copias, & transumpta cum originalibus collationata, & Notarij publici ac Apostolici manu, subscriptione, & signo munita, quorũ vnum apud me est, pluraq; esse credo in Vrbe, & in multis scio obseruari archiuis tam Italiæ, quam per Hispaniã. Vnde non immerito tantopere admirantur cordatissimi viri licentiam & facilitatẽ aduersariorum in hac Bulla (quam etiam à Concil. Trid. confirmatam dicunt) deneganda, & calumniam cuiusdam Religiosi viri, qui in scripto à se superioribus annis in Vrbe oblato conuictos fuisse præcipuos fautores immaculatæ Conceptionis hanc Bullam finxisse vel mutasse, nimis fidenter, & parum verè dixit, cum nec in iudicium aut quæstionem de huius Bullæ veritate fuerint, vocati, nec de ea iudices hucusque dubitauerint, & facillime per supradicta & ex alijs capitibus eius certitudo legitime & plene posit comprobari. Cum igitur Bulla hæc tantis titulis & probatis testibus commendata, tam exprese prædictam explicationem condemnet, nescio qua ratione eam adhuc inculcant, & tam violenter Festum ipsum interpretentur.

Vidend. Egid. Lusit. l. 3. q. 6. § 6. n. 36.

12 Insuper ne omnem vim facere & negotij firmitatem in hac Bulla constituere videamur tanquam non suppetat aliunde ex quo hæc res probari posit, ex ipsa Extrauag. communi quæ habetur in

Ex alia Bulla ostenditur Festi sensus.

corpore Iuris, & quæ ab eodem Pontifice *in fauorem* (inquit Caietanus) *opinionis de præseruatione à macula originali*, prodijt an. 1483. sub ijsdem verbis, *Graue nimis*, incipiens, rem hanc non obscure probatã volo. Aduersarij etenim iam relatas assertiones erroneas inculcare non omittebant dicentes peccare mortaliter eos, qui Officium sic intellectũ recitabant, aut Festum, in sensu præseruationis à peccato, celebrabant, imò & hæreticos esse, & reatum incurrere mortale, eos, qui prædicatores, Virginem sine peccato originali conceptam fuisse docentes, audiebant. Quas assertiones eadem censura, qua superiores, data per vniuersum orbem communi hac Extrauaganti damnauit Pontifex, & constitutionem illam quæ specialis erat pro Longobardis ad omnes extendit, in ea propositiones illas falsas & erroneas, ac à veritate pænitus alienas esse, decernens, non aliam assignans rationem, quam, *quod Romana Ecclesia de intemeratæ semper Virginis Mariæ Conceptione Festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super hoc Officium ordinauerit*. Reprehendit ergo eos, ac condemnat eorum assertiones, quia condemnabant pro hæresi, quod Ecclesia celebrabat, & eos, qui illud, quod Ecclesia suo cultu profitebatur celebrabant, hæreticos dicebant, ex eo quod hæreticum putabant dicere Virginem fuisse sine peccato conceptã; vnde consequenter ac immediate inferre necesse erat Ecclesiã in suo cultu hæresim amplexatam fuisse, eamque fidelibus in suis Festiuitatibus propinasse. Refert eorum propositiones, quibus expresse condemnãt defendentes immunitatem Virginis à peccato originali, ac eandem celebrantes, & his opponit Ecclesiæ Festiuitatem, propter quam iudicauit Sanctissimus Pontifex abstinendum ab huiusmodi assertionibus, & illis sufficere debuisse, videre Ecclesiasticum de Conceptione immaculata cultum, ad hoc vt abhorrerent & vererentur simile quid proferre. Aliter namq; si in hoc sensu non celebraretur, ex Conceptionis Festo, & Ecclesiastico cultu futiliter, & inefficaciter argumentaretur sapientissimus & doctrina spectatissimus Pastor, dum facile respondere potuissent aduersarij, se nihil contra Ecclesiæ cultum dixisse, quippe quæ non præseruationem Virginis à culpa, sed Sanctificationem ab eadem celebrabat, seque proinde nihil, quod eidem derogaret affirmasse. At omnem huiusmodi euadendi viam præclusit Pontifex, dum ex Ecclesiæ ritu, & ex eo quod Festum Conceptionis instituerit propositiones illas adeo seuere reiecerit, vt non solum falsas, sed erroneas nuncupauerit. Nihil autem apud Theologos erroneum dicitur, quod aliquo modo, saltem

Caiet. in opusc. de Conc. c. 3

ſaltem indirectè, aut mediate, alicui non opponatur fidei principio. Illud verò apud verè Catholicos ſatis notiſsimum eſt, & indubitanter pro fidei articulo receptũ, Deum ſemper ſuæ Eccleſiæ aſsiſtere, nec eam aliquando permiſiſſe, aut in æternum permiſſurum in ſuis definitionibus, aut in communi, & vniuerſali ſuo cultu hæreſim amplecti vel errorem. Propoſitiones illæ huic non immediate opponuntur, non enim expreſſe, & data opera hanc negant veritatem, ſed aliud affirmant, ex quo conſequenter, & mediate veritas illa erat neganda. Affirmat Pontifex Eccleſiam Romanam ordinaſſe Feſtum Conceptionis, idemq; celebraſſe, ſeque de eadem Officium (in quo expreſſe ſenſus Feſti habetur) inſtituiſſe. Aiunt harum propoſitionum aſſertores Officium in ſenſu hoc dicere, aut Feſtum in ſenſu præſeruationis à peccato, celebrare, hæreſim eſſe & crimen mortale. Hoc erroneum eſſe definit Pontifex, quia ſtatim per immediatam conſequentiam ſequebatur Eccleſia in communi cultu ſuo hæreſim colere, & hinc inferre neceſſe erat, Deum ſecundum datam fidem & promiſſum Eccleſiæ factum, non ſemper & infallibiliter eidem aſsiſtere; Quæ omnia non aliter inferebantur quam ex primo, & vnico illo aſſumpto, quod ad ſuæ illationis fundamentum propoſuit Pontifex, videlicet quod Eccleſia Romana de Conceptione immaculata Feſtum celebrauerit, & proprium de eadem Conceptione Officium ordinauerit, quod Officium immaculatæ Conceptionis celebrare, aut recitare, hæreſim, vel peccatum mortale eſſe dicebant aduerſarij. Ex quo liquidiſsime conſtat, quid Eccleſia in hoc Feſto celebrauerit.

13 Vlterius & non obſcurius; cum dixerit in eadem Extrau. Pontifex, ſpeciale ac proprium ſe ordinaſſe ac inſtituiſſe recitandum de Virg. Conceptione Officium; illud videlicet Leonardi Nogarolis tantis propoſitis Indulgentijs, vt à populo chriſtiano libentius frequentaretur, in quo paſsim (vt aduerti) manifeſtiſsime hic Eccleſiæ ſenſus propalatur, ſtatim hoc idem oſtendit eſſe Officium quod ab aduerſarijs impugnatur, dum refert eos dixiſſe mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos celebrantes Officium, non Sanctificationis ſeu Conceptionis vtcumque, ſed *Immaculatæ* (inquit) *Conceptionis*, quam propoſitionem reaſſumens inferius, condemnat eos, qui tali cenſura damnant *recitantes* huiuſmodi *Officium Conceptionis*, illud ſcil. Officium de quo ſuperius affatus eſt, *Conceptionis*, videl. *Immaculatæ*, Conceptionis ſanctæ, & à peccatis præſeruatæ, quod (vt ipſe dixit in

Confirmatur ex eadem Extrauag.

principio eiusdem Bullæ) speciale ac proprium Ecclesia de hoc Festo ordinauit: euidenter ergo iam patet quid instituerit Ecclesia celebrandum, & quis sit Ecclesiæ sensus in hoc Festo celebrando; tam ex institutionibus primæuis quam ex verbis huius Pontificis; vniuersalis Festi promotoris, ac proprij eius Officij institutoris, nec non ex mente omnium fermè suorum successorum, & tui ipsius (Beatissime Pater) has illius Extrauagantes confirmantis.

Idem confirmatur ex Concilij Tridentini declaratione.

§ V.

14 Probatur vlterius intentum ex Concil. Tridentini declaratione.

15 Dubitarunt quidam confirmatam fuisse Extrauag. cum præ excelsa *à Concil. Trident.*

16 Confirmatam fuisse probatur.

17 Duæ ad minus constitutiones Sixti confirmatæ sunt.

18 Vrgetur vlterius sensus Ecclesiæ ex declaratione Concilij.

Vrgetur ex Concil. Trident. declaratione.

14 COroborat non parum argumentum hoc illa Concilij Tridentini declaratio, qua cautissime doceri, & sciri voluit se noluisse comprehendere Virginem Mariam sub illo vniuersalissimo, & ineffragabili Decreto de peccato originali, & vlterius Sixtinas constitutiones sub pænis in eis contentis obseruandas esse decreuit. Nam si paulo accuratius eius verba expédantur & diligentius obseruētur, quando vel qua occasione ea protulerit, ex mente ipsius eiusdem Concilij videbitur non aliud quam præseruationem ab originali in primo instanti in Festo Conceptionis Mariæ celebrari. Cum etenim statuisset pro fidei articulo, ab omnibus credendo, nullum ex Adam per naturalem propagationem descendere, qui in primo instanti suæ animationis originale non contrahat, tunc meminit B. Virginis, illamque sub graui illo iugo & miseria protoplasti parentis non audet comprehendere; sed obseruare in hac re iubet Sixti constitutiones, in quarum vna Festum Conceptionis iam in Ecclesia, antiqua consuetudine receptum, promouet, & Officium in quo sensus Festi exprimatur instituit: in altera grauiter inuehitur in eos, qui Festum hoc vel Officiū condemnant. Vnde cum illo eodem tempore, quo de necessaria contractione originalis in primo instanti Conceptionis agit; circa controuersiam de Virginis Mariæ Conceptione recurrendum dicat ad Sixti constitutiones, eas voluit propriè; & in terminis difficultatis, quam dirimebat, intelligendas, & per eas declarari, quid

circa

circa eandem Virginis Conceptionem erat censendum. Quasi dicat, quando omnes homines in ipsa sui animatione & vera conceptione, peccato infici decerno, nolo Mariam sub hac vniuersali regula comprehendere. Recurrendum erit ad Sixti constitutiones, quæ quid in Mariæ Cõceptione vel animæ infusione, de qua modo tractatur acciderit non obscure docebunt, dum ad immaculatæ Conceptionis Festum & Officium omnes inuitant. Aliàs enim impropria esset declaratio generalis regulæ, si quæstio de Virgine in illis Extrauag. diuersi temporis casum contineret, ab eo quem vniuersalis continebat regula, maxime dum accepta occasione ex illo vniuersali Decreto istas innouat eosque obseruari præcipit, sub pœnis in eis contentis; quod nihil aliud est, quam idem ipsum quod Sixtus in hac re statuerat denuo præcipere. At quid Sixtus ordinauerit, & decreuerit iam satis superque vidimus ex verbis eius supra citatis, in quibus proprium & speciale sub manifesto sensu (vt supra ostendi) Officium toti proposuit, & ordinauit Ecclesiæ recitandum, in Festo Conceptionis Mariæ, & sub grauissimis pœnis prohibuit huic Festo vel Officio contradicere, vel opinionem eorum, qui eam ab vniuersali Decreto excipiunt, condemnare; satis certe expressum, si intimius penetretur, pro expresso isto sensu Concilium protulit iudicium.

15 Sed non defuerunt quileui & inani ducti fundamento voluerint dubitare an Concilium duas illas extrauagãtes generales confirmauerit, partim vt fortissimum ex authoritate Concilij ductum argumentum infringerent, partim ex eo quod Concilium ipsum suis verbis quandam huic hæsitationi ansam videatur præbuisse, dum iubet illas constitutiones Sixti obseruari sub pœnis in eis contentis. At in vna tantum prædictarum constitutionum præfixæ sunt pœnæ; in altera propositæ gratiæ; vnde solam illam quæ incipit *Graue nimis* innouatam esse deducunt. *Negant aliqui confirmatam à Trident. Extrauag. Cũ præexcelsa.*

16 At contra hos sufficit Theologorum ac Doctorum ferè omnium qui post Concilium scripserunt de vtriusque constitutionis innouatione vnanimis consensus, ac verba ipsius Concilij adeo clara, vt solum is, qui Latine non sapit, ea ita violenter interpretetur. Dum etenim dicunt Concilij Patres, *obseruandas esse constitutiones Sixti sub pœnis in eisdem constitutionibus contentis, quas innouat*, quis vel Latini idiomatis ignarus, sub numero plurali toties in Oratione apposito, vnam solam ac singularem constitutionem velit intelligi. *Confirmatam fuisse ostenditur.*

Q iiij Qui

Qui constitutiones iubent obseruare, qui in constitutionibus pœnas contineri aduertunt; qui constitutiones denuo innouant, non vnam vel singularem intelligunt, sed ad minus duas, sub quibus pluralis verificetur numerus, obseruare commendant. Atque ita tanquam quid indubitatum hoc supposuerunt, qui in varijs locis, & Regnis Concil. Trident. per se seorsim imprimi curauerint, dum ad finem eiusdem vtramque constitutionem adiecerunt. Et certe si ipsa Concilij consuetudo, & modus eiusdem in Bullis & litteris Apostolicis citandis consulatur, videbitur nullibi dum vnas tantum litteras cuiuscunque Pontificis citat, in plurali sed solum in singulari loquutum. Videat, qui voluerit, Sess. 7. 14. 21. 23. 24. de reformatione per varia capita, & Sess. 25. de regular. c. 8. de reformatione c. 10. in quibus varias citat Pontificias constitutiones semper sub numero singulari. Et vt verba in re tam Manifesta non absumam, testes oculatos & Doctores grauissimos, qui etiam ad illam declarationem faciendam concurrerunt, in medium adducam. Huic interfuere concilio Ambros. Catharinus, & Didacus Payua grauissimi Theologi, qui ita testantur intellexisse vel dixisse concilium. Imo addit & notat Catharinus nullum totius concilij Virum huic declarationi obstitisse, quamuis in eo plures adfuerint ex Prædicatoribus Episcopi & Payua §. *sed quoniam*, asserit, quod, *Catholicis viris Sixti Pontificis, Tridentinique concilij satis profecto esset authoritas, vt Virginem Deiparam, generalibus illis Pauli Sanctorumque Patrum sententijs nequaquam contineri sibi persuaderent.*

Cathar. opusc. de Concep. ad Trid. Patr. p. 2. § Verum, Deus. Payua l. 5. de sens. T. id. p. 3. parag. vt vero.

Duas constitutiones Sixti confirmauit Concilium.

17 Admittant ergo aduersarij vel ipsa ratione, & graui tantorum virorum testimonio conuicti, tam primam quam secundam constitutionem nouum à Concilio robur accepisse, & consequenter Officium & Festum in sensu in Officio explicato, innouatum fuisse. Vel si admittere noluerint Extrauagantem *Cum præcelsa* solamq; illam in qua pœnæ iniunguntur dixerint reualidatam, aliam ego proferam constitutionem, cui hæc non desit conditio. Duas saltem ad veritatem verborum Concilij sustinendam debent admittere constitutiones. Refellunt illam, quæ incipit *Cum præexcelsa*. Præter hanc duæ sunt adhuc Sixti constitutiones, quas supra retulimus, *Graue nimis*, incipientes, in quarum vtraque non leues continentur pœnæ. Videant ergo quid tutius ducant si omnes tres velint admittere à Concilio fuisse approbatas, si duas illas corpori iuris insertas, si duas alias, *Graue nimis*, incipientes, vt plures dixerunt Theologi.

Vidend. Egidi. Lusit. citat.

Tres

Tres vereor ne velint concedere; si verò duas illas communes, tunc consequenter, & euidenter inferemus, & velint nolint, admittent Concilium approbasse Festum Conceptionis immaculatæ & Officium speciale ac proprium eiusdem, in quo (vt sæpius aduerti) hic sensus habetur expressus. Si alias duas, *Graue nimis*, iam explicationem illam violentam Festi videlicet Conceptionis spiritualis, aut sanctitatis indeterminatæ, condemnauit. Siue ergo Extrauag. *Cum præexcelsa*, siue, *Graue nimis*, illam particularem Lombardiæ (quarum alterutram (vt dixi) necessario propter verborum Concilij veritatem, & proprietatem tenentur admittere, vt cum alia illa, *Graue nimis*, in numerum coalescat pluralem) concesserint à Concilio confirmatam, sua excident sententia, & nostra satis vndequaque stabilitur.

18 Vrgetur hoc argumentum ex eo quod illo tempore quo Concil. Trident. dictam adhibuit declarationem vniuersali Decreto, Catholica & sancta Ecclesia Romana celebrabat Festum Conceptionis naturalis, gratia diuina ab originali labe præseruatæ, nam eodem Officio & Missa vtebatur in Festo immaculatæ Conceptionis, quibus nunc cum alijs vtitur religio S. Francisci, & quæ à Sixto IV. approbata in libris ritualibus Romanis illius temporis excusa ab omnibus recitabantur. Vt videre est in varijs editionibus, quæ tunc prodierunt, præcipue in Missali Rom. edito Venetijs an. 1535. quod apud me habeo, & in quo Missa illa quæ incipit, *Egredimini*, à Magistro Leonardo Nogarolo concinnata in Festo Conceptionis habetur; in illius autem Missæ orationibus clarè, alijsque eiusdem partibus mystice ostenditur Virginem fuisse à peccato præseruatam (vt sæpius aduerti, idque solum Ecclesiam Catholicam festiuis laudibus celebrare.) Cum ergo Concilij Patres in eadem hac ipsa Missa vsi sint in Festiuitate Conceptionis, & Extrauag. Sixti in qua Missam illam & Officium proposuit recitanda, innouauerint, manifestum est voluisse eos & intellexisse Festum in hoc sensu celebrari, dum ille tam expresse pateat, & manifestè declaretur in Officio, quo tunc vtebantur, & secundum Sixti Constitutionis tenorem frequentandum volebant. Vnde, & sunt qui dicant, & instent ex vi declarationis & intentione Concilij restituendum & repetendum esse vniuersaliter in Ecclesia illud Nogaroli Officium à Sixto institutum, approbatum, & fidelibus tantopere commendatum. Toto ergo cælo errare ac veluti amplissimum solis iubar

Probatur vlterius Festi sensus.

palmo

palmo occludere velle iudicarim, eos qui rem tot argumentis adeò manifeſtam negare, eamque in controuerſiam adducere ſuis violentis intentant explicationibus.

Idem habetur Feſti intentum ex Officio Sanctimonalium immaculatæ Conceptionis Mariæ.

§ VI.

19 ADdam ad hæc Officium, quo in hoc Feſto & per Octauam vtebatur ex prima ſua fundatione religioſus ordo Monialium Conceptionis Mariæ, in quo ſicut & in profeſsione ac habitu ſanctam & immaculatam à primo inſtanti fatentur, & profitentur fuiſse Mariæ Conceptionem. Nam præterquam quod in Antyphonis, Oratione, Inuitatorio, & alijs pleriſq; conueniat vel idem ſit cum ſupra citato Nogaroli Officio, tamen habet hoc peculiare quod plura referat loca ex S. Patribus, Virginis immunitatem à peccato originali teſtantia, & in aliquibus orationibus, præcipue illa, quæ pro Feria 4. aſsignatur expreſsus Feſti ſenſus habetur ſub his verbis; *Vt qui Matris tuæ puritatem in ſua Conceptione recolimus, &c.* Et in hymno Feria 2. dicitur; *Legem generalis propaginis Virginem non fœdaſſe*, & infertur ibidem quaſi argumento de minori ad maiorem decentiam & æquitatem, (quo communiter in hac re vtuntur Doctores) quod ſi Angeli fuerunt creati in gratia, & abſque peccato, multo magis gratiam hanc & priuilegium Virgini Dei Matri conceſsum eſse credendum eſt. Illudq; præ cæteris habet ſingulare Officium hoc, quod Decretum illud qualecunque quamtumuis ex ſe inefficax Concilij Baſilien. de credenda Virginis præſeruatione ab originali peccato in ſua Conceptione, & de celebrando ſub illo ſenſu hoc Feſto, diſtributum ſit per primas ſex Lectiones Feria 2. ſicque frequentabatur & recitabatur in toto ordine prædicto. Quod Decretum licet ex illius concilij authoritate, quæ nulla erat, nullam ſortiatur, tamen hinc mihi aliquam & magnam adipiſci videtur, vt benè adnotauit Caniſius quod totum hoc Officium ita ordinatum, prædictumque habens incertum Decretum confirmauerint & confirmatum conceſserint recitandum illis Sanctimonialibus quinque Summi Pontifices tui Prædeceſsores. Quod ex primis earundem Sanctimonialium Breuiarij verbis præſignatum, & aduertitur; hoc enim eius principium *incipit Breuiarium ſecundum ordinem ſanctæ atque immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ*

Sanctimonales Conceptionis variè profitentur eam fuiſſe immaculatam.

Caniſ. l. 1 de Beat. Virg. c. 7.

Beatissimæ Virginis Mariæ, indultum, concessum, ac confirmatum à Sacrosancta Romana Ecclesia per Beatissimos Pontifices atque Dominos Sixtum IV. atque Innocentium VIII. præfatum ordinem & religionem instituentes, & Alexandrum VI. & Iulium II. dictum ordinem & Officium approbantes, atque multiplicibus gratijs, priuilegijs, atque indultis, & indulgentijs eum corroborantes, decorantes, & fauentes; quæ indulta & gratias etiam Dominus Leo Papa X. demum multipliciter ampliauit, & alias de nouo concessit. Huius ergo Officij expressum, & manifestum sensum non erit, qui poterit vel leuiter negare. At si totus ille ordo ex concessione tantorum Pontificum celebrauit Conceptionis Festum sub expresso & manifesto sensu immaculatæ in primo instanti, nequaquam credi potest, aut asseri in reliqua Ecclesia sub alio contrario, vel indeterminato sensu celebrari eandem Festiuitatem. Nec enim Sancta Mater Ecclesia vario, & contrario ducitur spiritu (vt in alio Tractatu proposui considerandum) *nihil etiam est in Christiana obseruatione diuersum*, nec contrarias aliquando vel admisit, vel permisit Ecclesia celebritates.

Tract.6. n.16. August.l. 2. contra Crescon. Gramat. c.4.&14. c.11.to.7.

Non obesse huic aperto Festi sensui mutasse PIVM V. Conceptionis Officium.

§. VII.

20 Officium Conceptionis à Sixto institutum, non condemnauit Pius V.

21 Imo illud videtur approbasse ex varijs argumentis.

22 Tantopere ab Ecclesia approbatū, non potuit vt falsum condemnari.

23 Quid authoritatis addiderit Pius huic Festo.

20 INfirmum certe sibi sumpserunt aduersarij fundamentum ad denegandum certum hunc Ecclesiæ sensum, adeo manifestum, & declaratum in Officio Diuino, ex eo quod præcitatum Officium à Nogarolo compositum, à Sixto propositum, ab eodemque & alijs approbatum, Pius V. non inseruerit cæteris Breuiarij Romani à se publicati Officijs, non solum, non approbatum à Pio asserentes; sed & omnino abrogatum, & prohibitum addentes. Quod certe nescio qua veritate, aut cui innixi testimonio asserere audent. Nam aliud est nouum Breuiarium (quod fecit Pius) ad antiquorū normam, vel antiqua ad nouam formam reducere, & ad confusionem in Officijs vitandam, & laudabilem in cultu Ecclesiastico vniformitatem introducendam, varietatem rituum, vel Officiorum è medio tollere, vel prohibere, ne quis alijs vtatur Breuiarijs. Aliud vero Officia antiqua, approbata ab Ecclesia, &

Pius V. Officium antiquum Conceptionis non condemnauit.

ſia, & in illa recepta & publicè frequentata, eorumq; ſenſum, damnare, aut reprobare. Et tantum abeſt quod Pius V. huiuſmodi officia, vel eorum ſenſum reprobare voluerit, vt potius expreſſe ea approbauerit, & decantanda conceſſerit.

Imò illud videtur approbaſſe. 21 Eius etenim mens, & animus ſatis conſtat ex 1. rubrica ab eo reformati Breuiarij, in qua fieri officium duplex, & ſolemne iubetur, tam de illis Sanctis ac Feſtis, quæ in Breuiarij Kalendario ſub eiſdem notulis habentur, & in eodem Breuiario peculiare habent *Ex Rubricis Breuiarij.* officium, *quam de his quæ apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel congregationes conſueuerunt ſolemniter celebrari, cum Officijs proprijs à Sede Apoſtolica approbatis, aut ex eiuſdem Sedis authoritate receptis vel recipiendis; ſeruata tamen forma huius Breuiarij.* Vnde cum hoc Officium ex prima ſui inſtitutione fuerit à Romana Sede approbatum, Indulgentijs etiam ſuperadditis per tot luſtra in vniuerſali Eccleſia celebratum, & ſolemniter recitatum, in multis etiam Eccleſijs & Religionibus additis ſolemnitatis diebus Octauis, nullatenus dici poteſt aliquando à Pio damnatum, aut reprobatũ, ſed ſolum ad commodiorem vniuerſalis Eccleſiæ vſum omiſſum, & ad antiquum Breuiariorum modum recitandi reductum fuiſſe, retento tamen eodem Feſti Conceptionis nomine, & ſenſu pro vniuerſali Eccleſia.

Ex Officijs Minorum. Idem inſuper conſtat ex ſpeciali viuæ vocis oraculo (de quo futiliter quidam ex aduerſarijs voluerunt dubitare) quo idem Pius Fratribus Minoribus conceſsit huius Officij recitandi poteſtatem *Vinc. Iuſtin. citat. parag. 3.* ad annum 1569. die 25. Maij, vt teſtatur Iuſtinianus Dominicanus, & expreſſe habetur in principio Kalendarij Feſtorum eorundem Minorum, vbi habentur hæc verba; *Ex conceſſione D. N. Pij, V. Pontificis Maximi*, & ex prima Rubrica ſeu primo Notabili pro dictis Feſtis rite celebrandis appoſito; cuius hæc eſt admonitio, *Cum etiam Summus Pontifex Pius V. nobis conceſſerit, vt hæc Officia celebremus, ſicuti antea celebrabamus, ſeruata tamen forma Officij noui, &c.* Primum autem inter illa Officia Minorum propria, eſt hoc Conceptionis, de quo loquimur. Idem etiam in Regiſtro rerum Memorabilium apud Procuratorem Generalem Romanæ Curiæ pro familia Ciſmontana eiuſdem Religionis adnotatur, ſub præfato anno, Tomo 2.

Ex conſtitutione ſuper ſpeculam. Et confirmatur, quia paulo poſt editionẽ noui Miſſalis & Breuiarij, idem Pius in ſua Bulla, *Super ſpeculam*, approbauit illa quæ Sixtus IV. ſtatuerat circa immaculatam Virginis Conceptionem, maximè

maximè quæ à Concilio Tridentino fuerant confirmata, vt patet ex dicta Bulla cuius verba sunt hæc; *Nos igitur qui prædecessorum nostrorum saluberrima Decreta pro viribus salua esse cupimus, potissimum illa quæ à Sacrosancta Tridentina Synodo denuo sunt confirmata, &c.* & statim quod statutum fuerat in hac re à Sixto IV. & quod à præfata Synodo innouatum est, Apostolica authoritate confirmauit, & approbauit. Cum ergo Decreta à Sixto IV. comprehendant Missam & Officium immaculatæ Conceptionis (vt supra sub numeris 8. & 9. probatum est) sequitur à Pio V. fuisse confirmata, tantum abest vt possint dici ab illo fuisse reprobata.

Et vt rem omnino concludam, recordor, & addo, quod tumetipse (Pater Sanctissime) qui sanctissimos Antecessores tuos deuotione in immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem longe antecellis, concessisti vt dictum Officium in Minorum Religione potuisset recitari Sabbatis quibuscunque, duplici aut semiduplici Festo non impeditis, extra Aduentum tamen, & Quadragesimam. *Magna approbatio Pauli V.*

22 Non ergo rectè quis argumentari aut probare putabitur hunc non esse apertum Ecclesiæ sensum, ex eo quod vniuersaliter in eadem non recitetur modo hoc Officium in quo tam expressè quid in hoc Festo intenderit, explicauerit. Nam licet in nullâ Congregatione, Religione aut Diocœsi modo recitaretur sufficit aliquando recitatum, & frequentatum fuisse vniuersaliter in tota Ecclesia per centum circiter annos; imo per vnum suffecisset seu annum, seu mensem, siue diem, ex authoritate, propositione, vel institutione ipsius Ecclesiæ, ad hoc vt quod semel adeo manifestè professa est per suum cultum vniuersalem ex supremi Pontificis authoritate, & ordinatione, nunquam postea reuocari possit in dubium. Nec enim nisi qui male de rebus fidei senserit, dicere poterit, hodie Ecclesiam proposuisse omnibus fidelibus aliquid expresse, & illud pro certo venerasse, ac postridie illud voluisse occultare, dubijs inuoluere, aut tanquam incertum indiscrimen reuocare. Sicut nec ex eo quod ex ipso eodem Breuiario aboleuerit, vel abstulerit prædictus Pius Præsentationis Virginis & Beatæ Annæ Officia, sequitur quod Beata Virgo non fuerit in templo præsentata, nec eius Mater sancta; sed voluit solum admittere ea Festa, & Officia, quæ in antiquioribus habebantur Breuiarijs. Non fertur hac leuitate, nec ferri potest Sancta Mater Ecclesia, inconcussum habet suæ *Officium hoc semel ab Ecclesia appr[o]batū non potuit vt falsum reprobari.*

R veritа-

veritatis, & ſtabilitatis fundamentum; aſsiſtente gubernatur Spiritu Sancto, qùi nequaquam in errorem aut mendacium eam ferri permittet, vt modo vnum, modo dicat alterum, & tanquam prolati mendacij pœniteat, retractare, aut mutare velit ſententiam. Officium vero, ritum aut aliquales cæremonias, quando rei neceſsitas, aut temporum ratio expoſtulauerit, poterit mutare, ſemper tamen ſub primo permanens cultus ſenſu, aut fidei veritate.

Quare Officium hoc mutauerit Pius. Supra n. 8.

Mutauit ergo Officium non inconſulte Pius V. tum propter allatas rationes, tum prudentiſsimè (vt mihi perſuadeo) vt renouaret primam Feſti inſtitutionem, nobis magis notam (vt ſuperius dixi) habitam ex reuelationibus illis in Anglia factis, in quibus, & modus eiuſdem celebrandi proponitur, & Officium ſub quo celebrandum erat præſcribitur, ac Feſtum hoc ſub Natiuitatis Officio celebrari, ſicut modo fit, omnino præcipitur. Vt ergo Officium illud quod in Anglicana illa vetuſta huius Feſti inſtitutione ordinatum eſt, frequentaretur, hoc ſolum voluit Pius præſertim cum in plurimis Antiquiſsimis Breuiarijs ſub hoc ipſo Officio reperiatur, & Feſta omnia Beatæ Virginis tribus exceptis, ſcilicet Purificationis, Annunciationis, & Aſſumptionis, ſub Officio Natiuitatis olim recitabantur.

Quid addiderit authoritatis Pius huic Feſto.

23 Kalendario inſuper Romano ſub duplicis Feſti ritu Myſterium hoc celebrandum proponit omnibus, ita vt iam nefas ſit tale Feſtum reſpuere, quod anterioribus illis ſæculis ſine graui reatu potuit fieri, ita vt omnino Romanum, Vniuerſale, ac Pontificium hoc Feſtum pijſsimus ille Pius reddiderit, quod antea, licet falſo, negabant tale fuiſſe aduerſarij. Sanctam etiam pleno ore ab omnibus dici fecit per hoc Officium Virginis Conceptionem: Publice etenim fideles in vltimo Reſponſorio eiuſdem Officij profitentur. *Sanctam* eſſe Virginis Conceptionem, in alijs, *digniſſimam, & ſolemniter recolendam*, non quod in peccato facta ſit, à quo poſtea Sanctificata fuerit, ſed quod omnino munda fuerit, & Sancta. Etenim tam in proprio Officio Sixti IV. quam in hoc communi, ſemper retinuit & expreſsit eundem ſenſum Sancta Mater Eccleſia ita clare, & euidenter, vt repellendi ſint, qui circa illum ita faciliter velint dubitare.

Feſtum

Festum sub hoc sensu intelligi in Ecclesia & à Doctoribus, præcipuè à quibusdam ex Dominicanis.

§. VIII.

24 Plures ex Patribus Dominicanis hunc esse huius Festi sensum fatentur.
25 Alij etiam docti viri id affirmant.
26 Ita ipsa indicat Ecclesia.
27 Omnes ita vnanimiter sentiunt.

24 VT autem rem concludam, & huius manifestæ veritatis testes, licet minime necessarios, Tuæ Beatitudini offeram, quatuor vel quinque ex multis ipsius Dominicani ordinis, & alios omni suspicione maiores, & à passione liberos in medium adducam. Primus veluti generalior & communior, sit author illius libelli Manuale Prædicatorum dicti, non semel à me citati, dum asserit *totam ferè Ecclesiam asserere quod Virgo fuerit præseruata, & Ecclesiæ authoritati potius standum esse, quam cuiuscunque, licet eximij Doctoris*, quam Ecclesiæ authoritatem ex eius cultu desumpsit, & per quem eosdem Prædicatores voluit à sua sententia remouere. 2us sit Ioannes Viguerius, vir sanè eruditus, qui postquam ex authoritatibus quibusdam sacræ Scripturæ hoc probauit Virginis priuilegium, addit; *idem haberi maximè ex authoritate Ecclesiæ, quæ non potest errare:* vbi tanquam certum reputat Virginem à peccato originali fuisse immunē, quia Ecclesia quæ in suo cultu omnino non potest errare, ita celebrabat. 3us Ambrosius Catharinus Compsæ Archiepiscopus, qui data opera largissime & doctissime probat non sanctificationē, vel instantia hæc moralia sanctitatis, sed Conceptionē sanctam, & primum instans animationis Virginis in sanctitate factam, celebrari determinatim, & certò. Quod & in cap. 3. Controuersiæ exortæ inter ciues Senenses, & Prædicatores ad finem vlterius probat, & celebrationem hanc esse de Conceptione immaculata, sicut de verâ, & determinatâ, adnectens, *nihil stultius, imo periculosius esse, quam celebrare non solum de re dubia, sed etiam de re quam quis existimet esse dubiam, & ita non adorari Deum in spiritu, & veritate, sed in dubietate.* 4us Sit Vincent. Iustinian. qui ex professo probat ita intelligi hoc Festum, & ex Ecclesiæ manifesto sensu in hac solemnitate deducit indubitanter Virginem fuisse absq; originali macula conceptam. 5us Sit Barthol. à Medina, olim apud Salmanticen. Primarius Theol. Professor, qui dum negatiuam sententiā iudicauit satis probabilem,

Adstipulatur huic sensui Patres Dominicani.

Manuale Prædic. cap. vlt. Chron.

Viguer. de pecc. orig. c. 18 parag. 5. vers. 2.

Cathar. tract. de Concep. ad Conc. Trid. p. 2. c. vlt.

Iustinia. in addit. ad vit. Beltrami §. 3.

babilem, voluit etiam respondere ad argumenta pro affirmatiuâ à se adducta, ad quorum 3^m desumptum ab authoritate & multitudine Doctorum ait, *ad 3^m Respons: quod omnes Doctores Sancti & Catholici plus adhærerent determinationi Ecclesiæ & approbationi eius, quam proprio sensui, cum ergo Ecclesia nunc approbet, consequens est, quod si nunc Sancti vixissent mutassent sententiam.* In quibus verbis innuit determinationem, & approbationem Ecclesiæ (non alibi expressius quam in cultu & officio diuino) negatiuam sententiam, & præseruationem Virginis ab originali expresse attestari. Alij sunt non pauci Prædicatorij ordinis, qui & libris editis, & è suggestis & Cathedris his Doctoribus subscribant, & sermones habent integros in suis operibus in quibus hoc clare docuerunt.

Medina in 3. p. q. 27. art. 2. ad fin. ex posit. articuli.

25 Ex schola verò communi alios totidē nominabo viros, quos nec æmulationis ardor, nec victoriæ desiderium, sed veritatis non parua vis in vnam potius, quam in alteram partē flexit, & qui inter Doctores sanctitate conspicuos, & litteris præclaros, infimum non habent locum. Primus sit Ioan. Eckius, qui inter primos in Martinū Lutherum, & Bucerum, arma sumpsit, & ei publicè restitit, cuius sanctimoniæ non tenue, aut obscurum viget inter Germanos & Belgas testimonium, qui ita in Homilia 2. huius Festi ait ad populum; *Dilectissimi in Christo fratres, hoc tam solemni Festiuitate per vniuersam Ecclesiam Catholicam cum omni gaudio summaque alacritate exordium recolimus nostræ salutis, quando nobilissima anima Mariæ creata, & sanctissimo corpusculo est infusa citra omnem originalis peccati contagionem, quod nulli alias hominum contigit nisi Mariæ & Christo Domino.* 2° Ludouicus Blosius cuius virtutis, & vitæ Religiosè transactæ non leue præbent indicium eius opera, tanta pietate referta. hic inter cætera quæ de hoc Festo, & opinione scribit, habet hæc; *Plerique ex antiquioribus* Patribus dubitasse *videbantur circa præseruationem V. Mariæ ab originali peccato, quum nondum Festum eiusdem Conceptionis in Ecclesia Romana celebraretur. modo verò in orbe Christiano Catholici sequuti ipsam Romanam Ecclesiam, (quæ omnium Ecclesiarum caput, & Magistra est) Festum illud iam olim receptum, alacri lætaque deuotione celebrant, recolentes exordium nostræ felicitatis, quando scilicet nobilissima anima Mariæ à Deo creata, & ipsius sanctissimo corpusculo citra originalis culpæ contagionem infusa fuit.* Quæ verba videtur ab Eckio citato sumpsisse. 3° Ioan. Tritemius Epistola 33. scripta anno 1494. *Mihi visum* (inquit) *est à S. Romana Ecclesia nullatenus abhorrere, purissimæ Conceptionis fidem, quam illa credit, & veneratur.* Et alibi;

Alij etiam viri docti.

Ioan. Eckius Hom. 2. de Concep. tom. 3. serm.

Ludou. Blos. in dictis Sāctorum.

Ego

Ego piam hanc de Mariæ puriſſima Conceptione aſſertionem, & poſſum ſecurius admittere quo me ſcio cum S. Eccleſia Rom. ſentientẽ, non poſſe vllatenus errare. Infra, *Mariam ob originali ſorde præſeruatam S. Rom. ſentit Eccleſia.* Quibus verbis clare oſtendit quid de Rom. Eccleſiæ cultu ſenſerit. 4^tus ſit Laurẽt. Surius, qui ſedulo, & chriſtiano zelo hominibus perſuadere conatur orthodoxis ne pertinaces ſint in impugnandis rebus, quas certum eſt nihil officere pietati, *qualis eſt* (inquit) *opinio de immaculata ſanctiſſimæ Virginis Conceptione, quam videmus ab Eccleſia receptam.* Non aliunde vero magis receptam iudicat ab eadem, quam ex ſolemnitate, qua eandem colit Conceptionẽ. Ita etiam omnes in vniuerſum ferè Doctores (vt moleſtior non appaream) intelligunt, & colunt; & potiſsimum pro opinione Conceptionis immaculatæ ex eo deducunt argumentum, vt nullus ferè ſit ex eis, qui eandem tueantur opinionem (quos fere omnes eſſe conſtat præter Patres Dominicanos) qui vel leuiter de hoc dubitauerit.

Trithem. in mirac. B. Mariæ de Vrticeto. c. 2.

Surius in addit. ad Chron. Haud an. 109.

26 Imo ita clarè voluit pia Mater Eccleſia hoc à ſuis filijs intelligi, vt omnem propellere voluerit dubij anſam, nihil prętereundo in quo poſsit ſuam mentem declarare, quin ſolicite eam omnibus expanderit, tam in multis Officijs & varijs quæ huius extabant Feſti in diuerſis Eccleſijs & Religionibus, in quibus expreſſus eſt hic ſenſus; quam in Inſtitutione grauiſsimi ordinis Monialiũ, & erectione multarum Confraternitatum præcipue egregiæ illius Regiæ & Imperatriciæ Toletanæ ſpeciali authoritate Adriani VI. Pontif. Max. ſub immaculatæ Conceptionis titulo, in cuius cõſtitutionibus non ſemel, ſed pluries hic ſenſus apertiſsimè declaratur, quam in quotidianis ſermonibus huius feſtiuitatis, in quibus declaratur, & publicè prædicatur quid colat Eccleſia. Quam demum in ipſo nomine, vel titulo Feſti, ſub *Conceptionis* vocabulo, ita vt nomen ſemper abhorruerit ac euitauerit *Sanctificationis*, non quod egregium, & honorificum non iudicetur, & ſit, quippe ipſe Dominus & Saluator noſter non ſemel dicitur in ſacra pagina ſanctificatus; & quaſi ſub eo non poſſit hoc celebrari Myſterium, ſed quia latet anguis in herba, & ſub ſano, & pio vocabulo (vt cordate aduertit Iuſtinianus citatus) aliqui introducere voluerint alienum ab Eccleſiaſtico, ſenſum, & ſub æquiuoca voce, vniuocum ſenſum, & indubitatum, dubium facere, ne ex certo Feſto, certum eſſet, fuiſſe ſine crimine Mariam: repulit ergo ſemper à ſuis Breuiarijs ſanctificationis nomen, & Conceptionis appoſuit, vt ſub eo de Feſti ſenſu non dubitaretur.

Ita ipſa Eccleſia voluit intelligi.

Semper reſpuit Sanctificationis nomen in hoc Feſto.

In euidenti hoc sensu conueniunt omnes.

August. 1 de pecc. merit. cap. 35. Tom. 7.

27 Plura potuissem huius rei argumenta proferre, sed vetat, imò, & adducta superflua esse docet, & taceri voluit ipsius rei euidentia, nam (vt cum Augustino dicam) *nusquam sic non inuenio quid dicam quam vbi res, de qua dicitur manifestior est, quam omne quod dicitur. Valeat aliquid apud hos ad se ipsam persuadendam*, *ipsa euidentia* quæ tanta est, vt omnes ferè in hoc vno fecerit conuenire. Cõmunis est orbis Christiani Conceptus præseruationem Mariæ à peccato celebrari; Ad hanc celebrandã læti confluunt cuncti, id dicit è suggesto Prædicator, hoc docet è cathedra Magister, hac intentione celebrat in altari Sacerdos, hoc fine accedit populus ad Ecclesias. Ita demum hoc Festum celebrari commune est omnium placitum; quod sibi in rebus maximè dubijs omninò sufficere, vt eos pro certis haberet, magnus dixerat Augustinus; *Neque enim* (inquit ille) *vt videamus quam aliquid sit verum, scripturarum authoritas necessaria est, ac non sensus ipse communis, ita verum esse perspicua ratione proclamat vt quisquis contradixerit, dementissimus habeatur.*

August. epist. 7. ad Marcelli. in fine Tom. 2.

Peroratio ad Sanctmum Dominum.

CVm ergo (Beatissime Pater) hic sit communis consensus, celebrari Conceptionem in primo instanti sanctam, & soli, quorum interest, Dominicani, (nobiscum sentientibus aliquibus & multis ex ipsis) contradicant, pro quibus ferenda est sententia, quibus in hac re credendum erit? an illis paucis, an toti multitudini fidelium aliter sentientium? Horum ego credo certiorem & veriorem esse sententiam, nisi nobis illi velint obijcere, quod Grammaticus ille Cresconius Augustino; *In paucis frequenter est veritas, errare multorum est*, quos certe eodem Augustini contra eundem Grammaticastrum argumento, refellere licebit, dum satis paucos pro nostra sententia dicant esse Doctores sacros, aut Patres, & plurimos, seu satis multos pro suâ. *Si ergo verum est quod asserunt, & in paucis frequenter sit veritas, & multorum sit errare, permittant vt nostri Doctores quanto suis Doctoribus sunt impares paucitate, tanto eos superent veritate. Non facient certè. Nolunt ergo in comparatione multitudinis gentium Catholicorum de sua paucitate gloriari, sicut nec volunt vt Doctores nostri* (quos paucos putant) *in comparatione multitudinis suæ, de sua paucitate glorientur.* Nec velint vlterius contra patulum, & manifestum Ecclesiæ sensum vel leuiter obijcere, aut respondere, non primum instans tantę gratiæ

August. contra Crescon. Grammat. l. 4. cap. 53. Tom. 7.

gratiæ Virgineæ Conceptionis celebrari, sed secundum, aut alterutrum indeterminatè, aut incertè, non Conceptionem, sed Sanctificationem, festiuis laudibus honorari, ipsi euidentiæ, & veritati cedant, quam vt confiteri voluerint, dum negare non possunt, vinci se permittant tanta, & tam magna Ecclesiæ authoritate, tam laudabili, tam antiqua, tam vniuersali eiusdem consuetudine, quæ veris Ecclesiæ filijs omnino, & abundantissime debet sufficere, vt nihil contra eam sentiant, sed manibus, & pedibus (vt aiunt) post eam abeant, & communi eius consuetudini suam nolint opponere singularitatem. Qui filiorum Ecclesiæ nomine gloriamur; *Non possumus* (vt grauiter, & Christiane docuit vetustissimus Tertullianus) Tertul. l. de vel. Virg. c. 2 *respuere consuetudinem quam damnare non possumus, vtpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicamus ius pacis, & nomen fraternitatis. Vna nobis & illis fides, vnus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lauacri sacramenta, semel dixerim, vna Ecclesia sumus. Ita nostrum est quodcunque nostrorum est, cæterum diuidis corpus.* Qua grauissima sententia, sententiam tulit pro authoritate & pondere consuetudinis Ecclesiæ contra eos, qui ei refragari non timent. Nec minus eos reprehendit alius Afer, huic non inferior, Augustinus, qui nullatenus respuendum, aut contradicendũ docet *si quid tota Dei per orbem frequentat Ecclesia, nam hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ* (inquit) *insaniæ est.* Desinant ergo iam tandem docti & religiosi hi Patres vniuersali, & consuetudinario cultui Ecclesiastico de Conceptione immaculata Virginis Mariæ suam singularem, & à se excogitatam Sanctificationis festiuitatem obijcere, & contra communem Ecclesiæ consuetudinem. August. epist. 108 ad. Ianuar. ad med. Tom. 2. *Hic* (Beatissime Pater) *sicut in omnibus variè institutis, & dubijs, & incertis fieri solet, adhibenda est examinatio* (vt optimè docuit Tertulianus) *& quæ magis ex duabus tam diuersis consuetudinibus, disciplinæ Dei conueniret; ea vtique eligenda.* Tertul. citatus. Quod vt quam citius fiat conuenientissimum, & necessarium est, tam ad Ecclesiastici cultus authoritatem, & certitudinem, quam ad vniuersalis Ecclesiæ tranquillitatem, & Virginis Mariæ honorem. Et hoc facto examine, hæc alia præcipere dignetur Tua Beatitudo, vt omnes in hoc sensu ab Ecclesia intento, Festum hoc sub titulo Conceptiones immaculatæ celebrent, & festiuis laudibus colant, ac tandem controuersiam ipsam dirimere, vltimum tuum interponendo iudicium, & ferendo sententiam irrefragabilem pro Virginis sanctitate, & immunitate, cui nullus valeat contradicere; Quod vt fiat, omni, qua

possunt humilitate, & submissione, cum Catholico Rege, fidelissima eius Regna, vniuersitates, Prælati, Ecclesiæ, Proceres & Magnates iterum, atque iterum deprecantur, & obnixiùs efflagitant.

Tractatus Octaui Finis.

Continuatio Historiæ.

PErceptis tot manifestis rationibus nulli dubium esse posse dixit Sanctissimus Dominus, Sanctam & Catholicam Ecclesiam suo Conceptionis cultu profiteri Mariam ab originali labe fuisse preseruatam, nec semet de hoc aliquando dubitare. Non obinde tamen consultum esse affirmauit, vt quidam in hac re tunc innouaretur, quod & Tua Dominatio (inquit Oratori) mecum assereret si quæ mihi suggeruntur à plerisque & ab hominibus exterarum Regionum in immaculatam Conceptionem propensis, à quibusdam etiam ex ipsis Parisiensibus per litteras mihi significatum est, percepisses. Nullatenus se dubitare respondit Orator plures plura suggessisse, & scripsisse non tam ad mentem suam, quam ad aduersariorum instantiam, quod vel ex ipsis illis Parisien. litteris facilè iudicare liceret, quippe nihil tam venerantur Illustrissimæ illius Academiæ Magistri, & omnes Galliarum incolæ, quam immaculatam Virginis Conceptionem; quam tam certam, & absq; dubio esse volunt, vt multis ab hinc annis eam definitã esse censeant; nec aliud sit, quod modo magis desiderent, quam vt indubitanter vniuersi huic Virginis priuilegio subscribant.

Adiecit vlterius Pontifex satius esse in calamitoso, & turbulento illo Imperij Romani, & Germanici statu, & quando Christianorũ rebus summum imminebat discrimen, domesticæ paci incumbere, quã aliquid innouare, quod intestinos tumultus, aut rumores posit generare. Propterea semper contendisse aduersarios suam sententiã esse maximè probabilem, & licet in nuperrimo Decreto publicis sit actibus interdicta, non proinde aiunt, ita à suo statu decidisse, vt facilè, & absque vlteriori disquisitione & largiori disputatione omninò posit explodi, vel eorum celebrandi ritus condemnari, præsertim cum in ipso eodem Decreto relinquatur in statu, & terminis, quibus antea vigebat.

Adhæc Orator; nullius tumultus subesse in hac re periculum, & omnes ad statuta Apostolica acquieturos, & cuicumque Ponti-

ficiæ

ficiæ ordinationi veluti veros Ecclesiæ filios obsequuturos. Nec vt quippiam in hac Controuersia innouetur, maiori opus esse indagine, cum omnia, quæ dicenda erant & adhuc obijci poterant adeo trita, & tersa sint, vt facillimi sit negotij quippiam in hac re statuere. Reliquisse verò Decretum, affirmatiuam sententiam in statu, & terminis, sub quibus antea degebat, non obstare, vt amplius aliquid vel circa ipsam sententiam, vel sanctificationis cultum decerni posit, quippe ante Decretum debilem omninò habuit statum, & sub languidis versabatur terminis, post verò edictum hoc, & indictum silentium ferè penitus emarcuisse, vel sub infimo probabilitatis gradu paulatim interire; alteram verò è regione doctrinam ad summum probabilitatis gradum pertigisse, quod diligenter, & manifestè se ostensurum dixit, & sub mense Augusti per hunc Tractatum voluit probatum.

ORATIO OCTAVA

AD S.MVM D.NVM

PAVLVM PAPAM V.

TRACTATVS IX.

In quo statu & terminis versetur controuersia de Conceptione Mariæ Virginis, & quanta sit vtriusque opinionis inæqualitas.

Ostenditur sententiam vno tempore probabilem, alio reddi posse omnino improbabilem.

§. I.

1 Multa fidei veritates successiuis aperiuntur temporibus.

2 Recensentur quædam, olim dubia, modo certissima

3 Diligenti Doctorum indagatione obscuræ patent veritates.

4 Vnde cæpit probari quibusdam affirmatiua sententia huius controuersiæ.

5 Bernardus perperam à suis coëtaneis intellectus potissimum strauit initium affirmatiuæ.

6 Post annum 1300. discussa vtraque opinione, præualuit negatiua.

7 Quam probabilis & certa euasit negatiua.

BEATIS-

BEATISSIME PATER,

Veritates paulatim aperiuntur

1 CVncta, quæ ſub ſole ſunt, vel ſub cœli clauduntur ambitu, paulatim creſcunt, & gradatim proficiunt, ita, vt ſingula videamus non tam repentè compleri, aut ſubitò conſumari, quam ſuis quæque terminis agi, & ſucceſsiuis gradibus ad perfectum vſque perduci. Res ſuis menſurantur temporibus, ſuas habent ætates; nihil ſine ætate eſt, & omnia tempus expectant. Ipſa itidem veritas ita paulatim obſcuritatis inuolucris exuitur, ita temporis diuturnitate aperitur, vt non abs re *temporis filia* à priſcis diceretur authoribus. Singulis ætatibus ſingulæ reſerantur veritates, neque enim omnes ſimultaneæ ſunt, aut repentè aperiuntur, ſed ſuccedentibus ſibi temporibus, & longa diſcuſsione præmiſſa, nunc hæc, nunc illa detegitur, & quæ antea latebat, apparet; quæ erat incerta, certitudinem ſortitur; quæ improbabilis, probabilitatem, quæ obſcura & ineuidens, omnimodam aſſequitur claritatem, & irrefragabilem adipiſcitur euidentiam. Hinc quotidiè humanus proficit intellectus, hinc naturalis creſcit diſciplina, hinc vel ipſa diuina amplificatur doctrina. *Propterea* (inquit egregiè Tertull.) *Paracletum miſit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina ab illo Vicario Domini, Spiritu Sancto. Adhuc inquit multa habeo loqui vobis, ſed nondum poteſtis ea baiulare,* (ita transfert Tertul.) *cum venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem, & ſuperuenientia renuntiabit vobis. Quæ eſt ergo Paracleti adminiſtratio, niſi hæc, quod diſciplina dirigitur, quod ſcripturæ reuelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur?* Ita nos quotidie hanc Spiritus Sancti adminiſtrationem, ſeu particularem eiuſdem circa Eccleſiã gubernationem experimur, vt noua videamus quotidie è ſacris eloquijs depromi myſteria, & quæ ſub opinionis formidine nutabant, ſub cœleſtis oraculi firmitate infallibilem experiamur ſortiri certitudinem.

Tertull. l. de Velan. Virg. c. 1. 10. 2.

Ioan. 16. 11. 12.

Videndi Gregor. hom. 15. & 16. in Ezech. & Bernard. Epiſt. 77. ad Hug. de Sãcto Victo. poſt med

Multa antiquitus dubia nũc habentur pro certis.

2 Multa hoc ſæculo credimus, & tenemus pro fidei arcanis, quæ in alijs anterioribus ætatibus ſub parua, aut nulla probabilitate fluctuabant, & multa ſunt iam pro fidei articulis definita, quæ apud plures, & grauiores ex antiquis Doctoribus duram ſunt paſſa repulſam, & non leuem apud priſcos Patres ſuſtinuerunt contradictionem. Verum eſſe baptiſmum qui rite ab hæreticis confertur, modo

modo docet Ecclesia, quem tamen nullum esse Cyprianus, & duo Concilia contenderunt Africana.. Ioannes XXII. voluit credi, & nullam non adhibuit diligentiam sola definitione excepta, vt celebriores orbis Academiæ, & illustriores Magistri docerent, solum ad diem Iudicij videndam esse diuinam essentiam, nec ante illum, hominem quenquam, in quantauis gratia ab hoc sæculo discedenté, gloria fruiturum, quod falsum esse temporis tractu clarè innotuit, & definiuit Benedictus XII. Innumeri fuerunt ex prioribus Ecclesiæ Doctoribus, qui vel clarè docerent, vel non obscurè insinuarent Angelos esse corporeos, cum modo constans sit Theologorũ sententia esse omnino spirituales. Ad Augustini vsque sæculum, & ipsa eius ætate quantum fluctuatum sit circa animæ originem, & quam ipse Augustinus semet hæsitabundũ præbuerit, quam nam ex quatuor sententijs quas refert Epist. 7. ad Marcel. in fine sequendam & tenendam iudicaret, videbit, qui aliqua ex eius operibus (in quibus de hac re passim) & pręcipuè quatuor eius libros de hoc ipso dubio legere voluerit; & ferè plures habuit fautores sinistra, & contraria opinio, animas videlicet esse ex traduce; quam vera, quam modo sectamur, sententia, easdem à Deo immediatè, creari. Quot fuerint Patres tam Græci, quam Latini, qui peccati commissi, & proprij venialis Virginem sanctissimã arguerent, sciet, cui placuerit legere eosdem ad illa verba Ioan. 2. *Quid mihi & tibi est mulier?* & ad illa Lucæ 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; & recentiores Doctores ad 3. p. D. Thomæ quæst. 27. art. 6. qui ibidem eos eorumque verba referunt, licet aliqui benignè eos interpretari voluerint. Attamen sacrosancta mater Ecclesia diligenti, & longâ factâ de hac re discussione, & diuturno examine, edocta est à Spiritu Sancto, non standum esse illorum sententijs, sed tenendum esse contrarium, quod & illa docuit in Concil. Trid. sess. 6. can. 13. imò & definiuit expressè in Concil. Claremont. si verum est quod apud Andream Vegam refertur. Multa sunt huiusmodi opinionum genera, quæ modo in vnam, modo in alteram partem declinabant, contrariosque secundùm varias temporum rationes habuerunt fautores, quoadusque diligenti, & longa disquisitione præmissa, vel à Pontificibus, vel à Regionalibus, aut plenarijs Concilijs rei veritas fuerit manifestata.

Andr. Vega in Trid. l. 14 cap 13.

3 Non aliter etenim modo, difficilis, aut obscurus scripturæ sensus aperitur, aut à Pontificibus, vel Concilijs, pro vero statuitur, quam

Multa aperiunt veritatis Doctores.

quam post exactam Doctorum indagationem, & longam eorundem concertationem, qua quæstio hinc inde discutitur, scripturæ loca, & rationes ad inuicem conferuntur, & maior, vel præcipua Ecclesiæ pars in hanc, vel illam propendit sententiam. *Quomodo enim* (inquit Augustinus loquens de longa, & graui illa controuersiâ cum Africanis Episcopis circa baptismum non reiterandum) *potuit ista res tantis altercationum nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem, confirmationemque perduci; nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc, atque hinc disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata constaret?* Doctores, & Patres Ecclesiæ suis alternis disputationibus difficultates aperiunt, & veram longo studio depromunt è sacra Scriptura intelligentiam. In initio dum exoritur difficultas, & in debili principio versatur opinio, dum fuerit tunc, qui se audacter ducem exhibeat, plurimos habebit sequaces, cateruatim eum sequentur plerique, sine lite, sine molestia, sine controuersia eius subscribunt sententiæ, dum non sit qui se illis opponat, qui aliam aperuerit viam, qui contrarias diluat rationes, fortiores eisdem contraponat, & principium dederit strictiori examini, atque exactiori disquisitioni. Attamen dum locus præbetur vlteriori discussioni, dum continuis rationum, & fundamentorum collationibus, opinionis veritas sedulò inuestigatur, tunc apparere incipit, & quænam ex duabus tenenda sit, perfectius dignoscitur. Vnde & quæ ante disquisitionem inualescebat opinio, adhibito Doctorum examine, paulatim robur amittit, & continuatis sapientum hominum disputationibus, infirmata declinat, & veriori cedit sententiæ.

August. l. 2. cont. Donat. c. 4. to. 7.

Vnde cæpit probari affirmatiua scholasticis.

4 Non aliter in hac nostrâ controuersiâ euenisse iudicabit, qui omnem rei progressum aduerterit, qui principium difficultatis cum præsenti statu contulerit, & quam primam habuit sententia affirmatiua probabilitatem, viderit fere penitus amissam. Hinc autem (vt rem totam breuiter ob oculos ponam) illa cæpit probari quibusdam, & primis scholasticis, quod paulo ante eos Bernardus (qui primus ex professo, & datâ operâ eandem visus est probasse) in illâ Epistolâ ad Lugdunenses Canonicos num. 174. (dummodo, quod ego non dubito, eius auctor sit) & negatiuam, quam suo cultu illorum profitebatur Ecclesia, refutare; & affirmatiuam quam nullus, vel ad summum vnus, vel alter ante eum insinuarat, voluerit inculcare. An verò legitimè id præstiterit, vel eius rationes aliquid probent in vero & rigoroso sensu controuersiæ, doctissimi homines dubitant,

dubitant, & in eius doctrinâ, & religione preclari (vt alias aduerti) negant absolutè. Vnde autem ausus, vel inductus sit Bernardus hanc insinuare, vel primus docere sententiam, non facilè erit inuestigare; nisi vel ideo, vt prędictos Canonicos à nouâ Conceptionis immaculatę Festiuitate, tunc primum apud eos, & inconsultâ Romanâ Ecclesiâ, introductâ, licet alijs in locis celebri, (vt alias ostendi) deterreret; vel quia negatiua opinio ab Apostolis edocta (vt spondeo me non inefficaciter alias probaturum) pacificè per omnia Doctorum secula admissa, à nullo impugnata, imo & in aliquibus particularibus Ecclesijs celebrata, communi consensu contenta, calamitosis, & turbulentis illis temporibus (sicut & res alię satis in Ecclesia receptę) paulisper exciderit, nullosque tunc sparserit de se rumores in Gallia, in qua de alijs fidei Mysterijs quotidie magna erat cum hereticis concertatio. Vnde & Bernardum latere potuit, vel forsan non latuit, sed malè intellexit illam Lugdunensem celebritatem de primo conceptu, quam clarè & expresis rationibus in sua impugnauit Epistolâ, vtpote quem nullius sanctitatis capacem, & proinde nec celebritate dignum iudicauerit.

Tract.4. n.6.

Tract.7. n.4 & 5.

5 Siue ergo negatiuæ sententiæ traditionem Apostolicam, multarum Ecclesiarum celebritate firmatam perceperit, siue genuinum, & verum Lugdunensium cultum, ad illos ab Anglis deductum, intellexerit, ille potissimum occasionem obtulit, vt ad affirmatiuam alij accederent, & illum tanquam ducem venerarentur huius opinionis. Hunc etenim veluti Antesignanum sequuti sunt suæ ætatis viri, & hos primi illi Theologorum magistri Alensis, Albertus Magnus, Henricus, D. Bonau. & Doctor Angelicus, licet hi Theologiæ Coryphæi melius, & verius Bernardum intellexerint de primo conceptu, vt in illorum videre licet operibus, & ego alias euidentiùs ostendam. An verò testimonio Bernardi ita firmiter eius crediderint coætanei, & affirmatiuæ sententiæ ita tenaciter Theologiæ adhæserint magistri, vt alteram nec docuerint, nec approbauerint, inferiùs adnotabo. Hos ex Theologis præcipuos, sine vlteriori controuersiâ secuti sunt omnes ferme illius Centuriæ Doctores Scholastici, solo tantorum virorum ducti exemplo, & communibus illecti sacræ scripturę de vniuersali contractione originalis peccati authoritatibus, quas strictissimè, & sine vllius exceptione putarunt intelligendas: Ita cateruatim posteriores, sequuti sunt anteriores

Bernardũ perperam intellectum secuti sunt coætanei.

Hos alij Theologi.

teriores, nec erat tunc, qui ex aduerso se opponeret, aut qui rem hanc diligentius discuteret.

Quando & quomodo inualuit negatiua. 6 Vt verò circa annum trecentesimum supra millesimũ, Scotus sui acrimoniâ & subtilitate ingenij difficultatẽ aperuit, viam strauit disputationi, modumq; adinuenit, & ostendit, quo rationibus satisfieri posset aduersariorum, & illorum diluerentur fundamenta, & sacræ Scripturæ loca debuerant explicari, statim cœpit affirmatiua paulisper declinare, & negatiua vires reassumere. Pensatis etenim vndique rationibus, & librato pondere vtriusque sententiæ, omnes fermè sequuti sunt negatiuam, ita vt paulatim gradatimque, hæc proficeret, illa ex aduerso declinaret. Longâ itaque vtrinque & per tot centurias protractâ disputatione, ita hæc alteri quotidie præualescebat, & alteram superabat; vt non ineptè eis accommodem verba illa sacræ Scripturæ de alia concertatione inter domum Dauid, & Saülis à Spiritu Sancto prolata. *Facta* (inquit) *est longa concertatio* 2. Reg. 3. num. 1. *inter domum Saul, & inter domum Dauid. Dauid proficiscens & semper seipso robustior. Domus autem Saül decrescens quotidie.* Longa concertatione inter D. Thomæ ac Scoti sequaces, opinio de immaculata Conceptione proficiscens, & se ipsa semper robustior, opinio vero de maculato Conceptu quotidie decrescens, vt iam ad vltimum & infimum deuenerit probabilitatis terminum. Rectè certè, & vere de ea Christianus & Religiosus ille Poëta cecinit Baptista Mantuanus

Baptista Mantuanus l. 1. Parthen.

Ista hominum communis erat sententia; verum
Iam senio exangui frigens, sua robora sensim
Perdit, & amissâ iam maiestate recedit
Sponte sua, ceditque nouo Latonia Phœbo.

Expensa etenim, & detectâ exiguâ eius probabilitate, & infirmitate veluti diffluit, & agnitâ in tam longo examine alterius sententiæ veritate, firmior & probabilior semper euadit. Quod in similibus opinionibus, & controuersijs aptissimâ similitudine exposuit priscorum quidam, dicens; *Quo nix & glacies diutius ad solem exponitur,* Thri in Apophthegm. *diligentiusque puerorum manibus tractatur, eò magis funditur & colliquatur, at quæ ex natura solida, magis indurantur: Ita opiniones falsæ quidem dum ad rationem expenduntur, diffluunt, veræ autem magis ac magis firmæ euadunt.*

Magna vtriusque opinionis inæqualitas. 7 Quam verò firma hæc, infirma illa, hac concertatione euaserit, perspiciet, qui vel leuiter considerare voluerit præsentem vtriusque statum, & quanta sit inter vtramq; probabilitatis inæqualitas. Hæc probabilissima est, ne dicam verissima & certissima, ita vt iam falsa esse

esse non possit: illa parum habet probabilitatis, hinc solum mutuatum, quod ex Patribus Dominicanis aliqui collabentē sustineant. Iam etenim cætera probabilitatis argumenta per ictus defecerunt. Iam euanuit apparens illa Sanctorum Patrum congeries, quæ veritatem contrariæ sententiæ obnubilare videbatur, dum ad summū duos vel tres quidquam expressè in hac materia contra Mariam dixisse, & cæteros solum in communi de humani generis obnoxiâ successione, & necessariâ peccati originalis contractione vniuersaliter, nulla B. V. facta mentione loquutos esse, ex sedula ipsorum lectione constet. Iam non vrgent nec metum incutiunt vniuersales illæ sacræ Scripturæ locutiones, quę homines omnes sub originalis reatu comprehendunt, dum nec illas intelligi voluit de sacratiss. Virgine Conc. Trid. Iam desijt illa Scholasticorum conspiratio facilis, & indiscussa propensio in affirmatiuā, dum modo ferme vnus non sit (præter aliquos Prædicatores) ex tot millibus, quos fœlicissima & doctissima hæc nostra habent tempora egregios Doctores, qui non applaudat negatiuæ. Rationes quæ pro ea infirmæ, & inefficaces confectæ vel confictæ sunt, satis solutæ penitus cessarunt, vt ex probabilitate, & fundamentis contrariæ sententię latius ostenditur.

Quinq; præcipua fundamenta quibus summa probabilitas negatiuæ sententiæ, & exigua vel nulla affirmatiuæ ostenditur.

§. II.

8 PRæter cætera, quæ sententiam de immaculata Conceptione tutissimam & verissimam reddunt & omnino certissimam esse ostendunt, sunt sacræ Scripturæ testimonia, sanctæ Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ auctoritas, Pontificij fauoris continua successio, Doctorum vnanimis assertio, pia credulitas firmaq; populorum omnium Christianorum vbique terrarum consensio, vt rationes & cætera argumenta omittamus, quę largiora requirunt opuscula. Vt se contineret Augustinus in Ecclesia Catholica, veramque esse Christianam Religionem contra Manichæos ostenderet, non alia sibi requirenda putauit argumenta, quam eruditorum, & sapientum iudicium, cæteræ turbæ piam credulitatem, & vnanimem consensum, Ecclesiæ authoritatem, & in eadem fide & sententia tot Pontificum continuam successionem. *Ista* (subinfert) *tot ac tanta Christiani nominis clarissima vincula rectè tenent hominem credentem in Ecclesia Catholica: etamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissime ostendat.* August. l. contra Epist. fundam. c. 4. to. 6.

Hæc ipsa (præter cætera) fundamenta, quæ Augustino efficacissima visa sunt ad probandam Catholicæ fidei veritatem, huius de immaculata Conceptione sententiæ omnimodam, & summam probabilitatem quantum est ex se, apertè demonstrāt, licet propter nostræ intelligentiæ tarditatem, aut vitæ demeritum non se nobis Mysteriū hoc hucusq; euidenter patefecerit. Attamen licet de fide non sit, nec nobis hæc fuerit sententia reuelata, vt quanta sit eius probabilitas, & veritas videatur, singulas illas rationes percurram, & primo quantum ex ipsa sacra Scriptura colligatur præmittam.

Primum fundamentum ex sacra Scriptura.

§. III.

9 Primum fundamentum desumptum ex sacra Scriptura.

10 Duo præcipue loca ex Canticis per Doctorum & Ecclesiæ accommodationem, negatiuam stabiliunt.

11 Nullum habet fundamentum affirmatiua in sacra pagina.

9 MVlta pro ea adducunt ex sacra pagina tam veteris quā noui Testamenti loca Doctores nō pauci expositiui & scholastici, quæ non leuiter hanc opinionem inculcant. Quędam sub figurarū obscuritate illam insinuant, alia sub prophetię oraculis prædicunt, alia sub sensu spirituali prętendunt, nonnulla in 2° sensu litterali, aliqua in 1° ex mente & explicatione multorum Doctorum, eam non leuiter docent, aut exprimunt obscure. Ea videre licet, nec enim breui opusculo comprehendi possunt, apud AEgidium Lusit. l.3. de præser. Virg. q.5.a.6. à § 2°. vsq; 6. Ioan. de Cartag. to.3. homil. l°.1. ab homilia 3. vsq; ad 19. Petrum Canis. l.1. de Deipara Virg. c.6. Ambr. Cathar. l.3. de Concept. Virg. in testim:7. & vltimo, Francis. Feuard. in sua Theomachia l.10. c.2. his antiquiores Ant. à Cucaro Episcopum Acernen. in suo Elucidario Virginis p.2ª. ad med. Ludouicum à Turre in sua Apologia, & alios quam plures qui doctissime multa loca vrgent pro immunitate Virginis à peccato originali in suo conceptu, præcipue, illa verba Angelica, *Aue Gratia plena, &c. & inuenisti gratiam apud Dominum*, quæ de omnimoda plenitudine per omnia Virgineæ vitę instātia, & inuentione seu receptione gratiæ in 1° passiuæ suæ Conceptionis momento explicant quā plurimi Doctores grauissimi, quos doctè collegerunt quidam ex citatis. Quorū explicatio magni habenda, & recipienda est ab ingenuis viris, & in Virginē propensis dum nec hinc aliquod oriatur inconueniens, nec sit ex Patribus qui sensum hunc tanquā alienum à textu repellat, aut

Luc. 1. n. 28. & 30.

veluti

veluti verbis ipsis contrariũ condemnet. Si ergo sint, qui hæc verba tanto Virginis priuilegio fauere, & accommodari debere asserant, ex Doctoribus probatis, & Catholici nominis non infimi; quibus prę clariores, imo vel mediocris notę viri, prędter Dominicanos, nō contradicāt, vt quid negemus esse in sacra Scriptura loca, quę litteraliter hanc subindicent sententiam, licet adhuc ex communi Ecclesiæ aut Pontificis declaratione, expressam hanc non habeant intelligentiā?

10 Illa verba Canticorum; *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* Et alia; *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Mihi rem hanc non inefficaciter probant. Præterquam etenim quod grauissimi Doctores dicant totum hunc librum Canticorum de Christo, & Maria explicandum, & de ijs omnia sua cantilena in spiritu, & præuisione præcinisse pacificum Regem Salomonem, posteriora, hæc verba video à multis Doctoribus assumi ad probandā personalem Virginis innocentiam & immunitatem ab omni vel minimo actuali peccato, nullumq; lego aut scio ex Catholicis, cui expositio hæc displiceat, aut accōmodatio improbetur, nec qui dubitare visus sit, an ex hoc loco possit sumi sufficiens fundamentum, vt Virginis actualis innocentia potuerit definiri. Ex communi ergo Doctorũ in hac explicatione consensu non potest negari verba illa de Maria intelligi aut ei posse accommodari. At alij in sua explicatione in sola actuali innocentia non sistunt, sed vlterius procedunt, & immunitatem hanc à peccato in illis verbis, *macula non est in te* denotatam, ad originalem extendunt. Quorum piam, & in Virginem fauorabilem interpretationē licet aduersarij non admittant, firmum tamen robur habet, & non contemnendam auctoritatē ex Ecclesiæ accommodatione & applicationis insinuatione dum hæc verba in ipso introitu Officij Conceptionis inseruit & per annorum centuriā vniuersaliter recitauit, atq; adhuc in pluribus & copiosissimis religionibus ex aliorum Pontificum, tuaq; (Pater Beatissime) indulgentia frequentat, sub hac intentione, vt à peccato originali Virginē præseruatam fuisse profiteatur, vt iam in Tractatu de sensu Festi Conceptionis Tuæ Beatitudini clare ostendi. Horumq; verborum hunc esse sensum omnes, qui per hoc Officium horas persoluunt de illorũ intelligentia, & accommodatione interrogati, respondēt. Imò & expressius ipsam se Ecclesia explicatā & declaratā voluit, adiungendo illud verbũ *originalis,* dicens, *macula originalis non est in te*, vt habetur in Antyphona & Responsorio sæpius repetendo in Officio

Cant. 2. & 4.

Probatur amplius negatiua ex quibusdam verbis Canticorum.

Rupert. l. 7. de glor. Trin. c. 13 to. 1. Andr. Cret. de dormit. Mar. & alij.

Tract. 7. a nu. 11.

illo à Sixto pro tota Ecclesia instituto à Leonardo Nogarolo ordinato, & per integram centuriam in vniuersa Ecclesia decantato. At quis audeat dicere verba illa Scripturæ quæ Ecclesia tantæ Virgini manifestato iam sensu accommodat, & adiectis verbis de Conceptione immaculata pronunciat, non esse de eâdem ita intelligenda, cum & ipsa sacra Scriptura Ecclesiæ auctoritatem impertiat, & eandem vicissim ab eâdem recipiat. Quicquid Ecclesia circa Scripturam ordinauerit, quicquid ab illa tanquam suspiciosum tollendum dixerit, quidquid tanquam necessarium in quacunque occasione adiecerit, quidquid alternat, quidquid alterat, aut mutat, hoc pro vero & rectè ordinato tenendum est, cum & ipsa secum habeat consilium, & spiritum authoris scripturarum, sponsi, & Dei sui, cui dilectus inter vbera commoratur ipsam cordis sui sedem possidens, & conseruans. *Quando igitur* (vt pie & docte in simili aliorum verborum sacri textus applicatione ad aliud Festum docuit Bernardus) *Ecclesia in scripturis diuinis verba alterat vel alternat fortior est illa compositio, quam positio prima verborum: & fortassis tanto fortior quantum distat inter figuram & veritatem, inter lucem & vmbram, inter dominam & ancillam*; si ergo compositionem hanc *macula originalis non est in te*, adhibuit Ecclesia in hoc Festo ad celebrandam Virginis omnimodam & originalem innocentiam, si ita sacræ Scripturæ verba accommodauit, & adiecto illo verbo (*originalis*) veluti illorum verborum sensum exposuit, quis non ex ipsis diuinis litteris maximam huius piæ sententiæ probabilitatem concedet? ita argumentum hoc, & verba isthæc aduersarios torquebant, & adhuc vrgent, vt mille euadendi vias excogitarint, & varias eis adhibuerint explicationes, quas nec ipsorum verborum manifesta significatio, & apertissimus sensus admittunt, nec Doctorum aut candidorum hominum iudicia vllatenus approbarunt.

Compositio Ecclesiæ in verbis Scripturæ quanti facienda.

Bern. ser. 3. de Vig. Nat. Domini ad princ.

11 At si contrariæ sententiæ fundamenta in sacra Scripturâ inuestigemus, nullum inueniemus præter communes illas & vniuersales locutiones, quibus totum humanum genus sub peccati originalis reatu clauditur; neque enim vllum in particulari apparebit, aut ab aduersarijs afferri poterit sacræ paginæ testimonium, in quo specialiter, & nominatim de sacratissima Virgine agatur, aut aliquantulum vel leuiter dicatur peccatum originale contraxisse. Sed cum Concilium Tridentinum locutiones illas vniuersales, & veram eorum intelligentiam examinaret, ac ex eisdem, præcipue illis verbis D. Pauli

Affirmatiua infirmũ habet in Scriptura fundamentum.

D. Pauli ad Rom. 5. *Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt.* Illud constitueret decretum, omnes & singulos homines ex Adam naturaliter descendentes, peccatum originis contrahere; statim aduertit statutam illam à se regulam ex illis vniuersalibus Scripturæ regulis depromptam, non comprehendere Beatissimam Virginem Mariam. Cum cæteros omnes originalis peccati fœditate maculatos definit, illico Mariam vocat immaculatam, & protestatur, non esse suæ intentionis statutum illud de Maria intelligere. Cum ergo Concilij Patres, ac proinde Spiritus Sanctus, & vniuersa demum Ecclesia non voluerint, vt de Mariâ loca illa explicarentur, aut Decretũ intelligeretur, quis modo audebit dicere sibi illam adstipulari Scripturam, vt Mariam dicat originaliter peccasse? si Spiritus Sanctus, qui ipsius Scripturæ author est, & Decreti illius inspirator, dicat apertè per Concilij Patres, se non velle illam de Maria intelligi, nec istud de Maria pronunciari; quis erit modò qui Mariam sub illis vniuersalibus locutionibus Scripturæ contineri, & consequenter sub illo Decreto comprehendi, tenaciter asseueret? Spiritus Sanctus dicit non esse suæ intentionis eam comprehendere, si velint aduersarij hæc loca de illa intelligi, necesse est vt dicant, esse suæ intentionis eam comprehendere. Et ita Spiritus Sancti intentioni contraire, dum quod ille circumspectissime, & prouide se non velle aduertit, illi tenaciter se velle demonstrent.

Liquet ergo quanta sit negatiuæ opinionis probabilitas ex sacra Scriptura dum per speciales auctoritates, & verba quæ tam expresse, & vnanimiter de Mariæ immaculata Conceptione explicant Doctores, & eidem accomodat Ecclesia, satis manifestum sit eam primorum parentum non contraxisse peccatum, & contrariæ sententiæ videtur infirmitas, dum vel illa generalia loca, quæ pro illa primitus eius fautores vrgebant, nec hæc ipsa voluerit Ecclesia de illa explicari.

Secundum fundamentum ex authoritate Ecclesiæ.

§. IIII.

12 Quanti sit æstimanda Ecclesiæ authoritas.

13 Non minus æmulanda est Ecclesiæ authoritas in hac opinione, quam in alijs.

14 Magnus fuit eius æmulator D. Thomas in plerisque opinionibus.

15 Quantopere & quibus signis ostenderit Ecclesia se negatiuam amplecti.

16 Nullatenus vel minimum fauit affirmatiuæ.

17 Negatiua multis argumentis secura, firmiter est amplectenda.

18 Quantum debeat vtraque opinio Ecclesiæ.

Quantum tribuat alicui sententiæ Ecclesiæ auctoritas.

12 QVod verò sententiã de immaculata Concept. tutissimam reddit, & magno probabilitatis excessu contrariã superare facit, est Catholicæ Ecclesiæ auctoritas, quæ tantæ existimationis, & põderis est, eamq; habet ex se eminentiam, & potestaté, vt sententiæ quantumuis infirmæ firmitatem, debili soliditatem, & fluctuanti tribuat securitatem. Nihil est quod auctoritate fulciatur Ecclesiæ, quod metuat ruinam, nihil est cui illa suffragetur quod securum non sit & firmum. Et si aliunde non probetur, licet in Concilijs non diffiniatur, licet apud Doctores non habeatur, nec in Scriptura reperiatur, frequentetur tamen, & recipiatur in Ecclesia, hinc irrefragabilem sortitur auctoritatem.

Aemulanda est in hac opinione sicut in alijs.

Aug. l. de cura pro mortuis agend. c. 1. tom. 4.

13 Ad probandum deberi curam agi mortuorum, licet aliqua veteris Testamenti loca protulerit Augustinus, statim subiunxit; *Sed etsi nunquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas. Vbi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Vbi solum ex precibus Sacerdotis, vel ex eo quod in Ecclesia oratio fiebat pro mortuis, iustam, sanctam, ac debitam probat eorum esse memoriam. Si ergo in eadem Ecclesia in precibus Sacerdotis, & Ecclesiæ orationibus memoratur, & solemniter pronunciatur Conceptio immaculata. Conceptio Sancta Mariæ, si vt hanc publice profiteatur & colat (vt in citato Tractatu probaui) Festum instituit, & illud in Romano Kalendario signari curauit, quis refragabitur probabilissimam esse, & verissimam sententiam, quæ Conceptionem hanc nulla labe fœdatam esse defendit? Si ipsa Euangelij veritas, & infallibilis certitudo credulitatem, & fidem meruit, & obtinuit apud Augustinum solum per Ecclesiæ auctoritatem, vt clare ipse fassus est, verbis illis grauissimis, & satis à Theologis obseruatis. *Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ auctoritas commoueret.* Vt quid apud omnes pijssimam, & maximè rationabilem de immaculato Conceptu Mariæ sententiam, credulitatem, & maximam probabilitatem obtinuisse, vel saltem obtinere debuisse per eandem auctoritatem inficiemur? Si idem Augustinus sat sibi visus est probasse peccatum dari originale in infantibus ex eo, quod in remedium originalis in Ecclesia baptizabantur, & Christum ad inferos descendentem Adamum à vinculis absoluisse, eo quod hoc ita sentire visa sit suo tempore, non absolutè & in vniuersum tota, sed fere tota Ecclesia, quis contradicat hanc Virginis

Augus. l. contra Epist. fundam. c. 5. to. 6.

Idem in libris contra Iulianũ & alibi sæpe.

Idẽ epist. 90. ad Fund. paũ post prin cip. to. 2.

Virginis immaculatam Conceptionem non sat, & omnimode probatum iri, dum & eam vniuersa per orbem colat Ecclesia (sola particulari, sed contradicente, Dominicana excepta) & vndique per orbem diffusa, in hanc vnam consentiat doctrinam?

14 Si vel ipse D. Thom. vt verum, & certum approbat, plures Sacerdotes posse vnam, & eandem hostiam consecrare, hinc solum motus, quod illud admittat consuetudo quarundam inquit Ecclesiarum, videlicet, quando in noua ordinatione Sacerdotum plures simul concelebrant Episcopo ordinanti, quod fundamentum ad hanc opinionem probandam, maximè vrgere, in Commentarijs ad eundem locum adnotat Caiet. licet ipse alio diuertat; si & idem commentator alibi asserit esse rationem cogentem illam, quam affert Petrus de Palude de consuetudine quarundam & paucarum Ecclesiarum particularium, nobis fere ignotarum, consecrantium in spelta *propter auctoritatem* (inquit) *Spiritus Sancti easdem gubernantis* ad hoc vt probabilis reputetur opinio dicentium panem ex spelta confectum posse consecrari, vel idoneam esse materiam Sacramenti Eucharistiæ. Si hæc (inquam) particularium, & quarundam Ecclesiarium auctoritas, prædictas reddat opiniones probabiles, & veras; nonne & totius Catholicæ Ecclesiæ, atque ipsius Romanæ, omnium Ecclesiarum matris ac magistræ, auctoritas sufficiet ad conuincendos Romanos ac Catholicos viros, vt hanc de Sancta Mariæ Conceptione sententiam vt veram admittant. Si (vt alias Tuæ Beatitudini proposui) vel auctoritas negatiua Ecclesiæ coëgit D. Thomam, vt diceret non esse infidelium filios baptizandos inuitis parentibus; quia hoc non habuit vsus Ecclesiæ, quem cuicunque ex Doctoribus vel sanctissimo vel doctissimo iudicat præferendum: cur non & apud eius sequaces, vel positiua consuetudo, & affirmatiua auctoritas, tam in cultu, quam in doctrina præualebit quorundam Prædicatorũ sententijs? *Si maximam* (inquit D. Thom.) *habet auctoritatem, Ecclesiæ consuetudo, & in omnibus semper est æmulanda:* solum in hac re contra Matrem Domini & Ecclesiæ protectricem paruam habebit? si ipse idem sanctus Doctor animam agens, in vltima decubans infirmitate, in proximo, mundo valedicturus, cœlum petiturus, *tanquam fidelis seruus & prudens, non pertinax, non proprio sensui aut prudentiæ innitens, & nulla de se scientiæ suæ opinione superbus sapienter atque humiliter omnem suam verbo vel scripto doctrinam ad Ecclesiæ fidei normam fideli deuotione reduxit*, vt de eo ait Ioan. XXII. in eius canonizatio-

Magni cõfecit semper D. Th. in alijs opinionibus.

D. Tho. 3. p. q. 82. art 2 arg. contra & in cor. Caiet. 3. p. q. 74. art. 5. ad quar.

Tract 6. num. 17 Thom. 2.2. q. 10. art. 12 in cor. & 3. p q. 68. art. 10.

nizationis Bulla; si in morte adstantes vltima, vere Christiana, & humili voluntate rogauit vt magis Ecclesiæ vocem quam suam audirent, vt de eo refert Catharinus. Vt quid modo tam expressam Ecclesiæ vocem non velint audire, tam manifestæ eius voci in publico cultu, solemni prædicatione, & fidelium consensu, potius quam dubiæ D. Thomæ assertioni vel voci non eligant obsequi, & obedire? Si sancta Romana Ecclesia magistra est cæterarum, si Tua Sanctitas fidei est rector & regula, si Ecclesiæ tibi commissæ, & tuæ traditæ fidei, spiritum discernis, mentem assequeris, & sententiam tenes, quam non aliam fateris, quam fuisse Mariam sine originali conceptam, quod & in suo cultu per omnes mundi Regiones, & te coram præsentibus Reuerendissimis & Illustrissimis Cardinalibus profiteri, & prædicari dignoscis, vt quid te præceptorem sequi, illam magistrã imitari morantur? Cur illius cultum respuunt, cur eius sententiam reijciunt, qui vtriusq; & Tuæ Beatitudinis, & sanctæ matris Ecclesiæ se iactitant filios, & discipulos esse catholicè gloriantur? quis illum laudet discipulum, qui magistrum non audiat? quis illum commendet filium, qui vel sugillanti matri, vel clarius aliquid insinuanti non obediat? quis & Christianum non reprehendat, quem vel aliter videat, quam Christiana frequentat Ecclesia peragere; aut quod publice nostra veneratur Religio, respuere, præsertim cum ab hac magistra, à te Præceptore, à Catholica Ecclesia omnem, & solam habent Religio, sententiæ, & cultus noster, auctoritatem? eo autem tribuit maiorem, quo clariores adhibet demonstrationes, aut manifestiores circa rem aliquam aut opinionem subministrauerit comprobationes, per quas & apertius de eius constet sententia, & clarius iudicare liceat de ipsius rei veritate.

Cathar. l. 2. disp. pro immacul. Concep. § Primo quod.

Quantum propenderit in negatiua Ecclesia.

15 Tot autem & tanta in hac re adhibuit suæ propensionis indicia, vt ausim dicere, in nulla alia etiam ex ijs quæ credit de fide, antequam definirentur, viris Catholicis tot signa præbuisse, nec vt suauiter pro filiorum conditione fideles in aliquam inclinaret sententiam, tantam sumsisse (verius dicam) consumsisse diligentiam, quantam in hac vna, solum vt religiosius Religiosi sentirent de Virgine. Maximam Ecclesiasticarũ demonstrationum applicuit, dum Festi cultum de immaculata Conceptione instituit, & largissimas elargita est Indulgentias, ijs, qui immaculatæ Conceptionis Festum celebrarent. Alias superaddidit non leues, dum religionem in honorem

norem immaculatæ Conceptionis approbauit, dum aras erexit, dum templa construxit, quorum præter cætera, quæ in ipsa sunt Vrbe, vnum frequenter videt, & laudat Tua Beatitudo in tuo illo delectabili monte Tusculano quod in ipsa fronte suam habet inscriptionem & professionem, his litteris insculptam; *Virgini Mariæ sine originali peccato conceptæ Sacrum,* quod & tumetipse tua sententia approbasti, & tuæ Curiæ magnates maximopere commendant. Fraternitates insuper plurimas, & magnas stabiliuit, in quibus innumeri & bonæ notæ viri in honorem immaculatæ Conceptionis, religiosis & charitatiuis insistant operibus. In scholis, in cathedris, in pulpitis, vel in ipsis imaginibus, in tabulis, in statuis, quæ in altaribus proponuntur adorandæ, appositis verbis, vel accommodatis picturis, expresse & clare docet Mariam fuisse sine peccato conceptam. Nihil sancta reliquit Ecclesia intactum, nihil intentatum præteriuit, quod ad huius opinionis commendationem spectaret, vel conducere aliquantulum videretur. Hæc tanta Ecclesiæ pro hac sententia manifesta & declarata auctoritas, hæc illa quæ non solum summam ei tribuit probabilitatem, sed & maximam irrogat certitudinem.

16 Quam verò vel minimam aliquando tribuit Ecclesia alteri opinioni auctoritatem? quando suo cultu eam commendauit? approbauitne forsitan Officium illud de contaminatione, & corruptione Virginis, quod quendam ex aduersariis composuisse & concinnasse testatur Bernard. à Bustis? quando Festum instituit maculatæ Conceptionis? siue (vt honorabiliori nomine rem hanc cum ipsis dissimulem) Sanctificationis celebrauit festiuitatem vniuersaliter (vt particularem illam Prædicatorum sine vlla Pontificia auctoritate excogitatam, vt latius Tuæ Beatitudini probaui, subticeam, quam ad æmulationem aduersus Ecclesiam introductam esse, ait suus Catharinus) quando, vel vbi terrarum vidimus Sanctificationis templum fabricatum? Vbi Mariæ in peccato conceptæ vel ab eo emundatæ extructum altare? quas aras? quas vel rudes tabulas? quæ Sacella in aliquo vel occulto angulo vidimus sub titulo emundationis Mariæ à peccato? Imo quod consideratione dignum est, nec ipsi ausi sunt aliquid horum etiam in proprijs domibus extruere, vel si aliquando id attentarunt, credo nequaquam licentiam à Romana sede impetrare potuisse. Quæ præmia spiritualia proposuit Ecclesia? quas obtulit aut taxauit Indulgentias sancti-

Nulla est Ecclesiæ demonstratio pro aduersaria.

Bernard. Bust. ser. 9. de Concept. 1. p.

Cathar. p. 2. tract. ad Conc. Trid. c. 2. §. sunt qui dicit.

ſanctificationis Feſtum colentibus? quas approbauit Religiones? quos ſub aliquo Sodalitio confratres ordinauit, vt profiterentur Mariam ſine gratia conceptam? quando iuſsit illam in Academijs doceri? quando præcepit vt prædicaretur? quando vt publicaretur? quando vt negatiua taceretur? cum è regione, ſtrictiſsimè prohibuerit, ne in publicam affirmatiua prodiret, & ſolam negatiuam voluerit fidelibus tanquam à ſcandalis liberam, & à periculis remotam, è ſuggeſtis & cathedris propinari, & à teneris vnguiculis hoc voluerit lacte pueros educari?

Tenenda pro veriſſima negatiua.

• 17 Quod ſi hæc tot ac tanta ſint auctoritatis Eccleſiæ manifeſta argumenta pro negatiua ſententia, quorum nec vnum habet affirmatiua, ſi maximam & omnimodam probabilitatem cuicunque ſententiæ ſuâ auctoritate præbet Eccleſia, quid inferemus? illamne, an hanc de immaculata Conceptione eſſe probabilem? illamne tanquam probabilem ſectandam, an hanc vt probabiliſsimam & penitus veriſsimam amplectendam? Prorſus hæc vera, prorſus probabilis, prorſus irrefragabilis, quam tanta Eccleſiæ confirmat auctoritas. Nullum in hac parte errandi periculum, nulla erroris formido, dum veritatis regula & magiſtra ſuâ adſtipulatur auctoritate. Hinc ſe indubitanter & firmiter adhærere dicebant negatiuæ ſententiæ Ioan. Eckius, Trithemius, Ludouicus Bloſius & alij homines pij, quod iudicauerint ſe cum Eccleſiâ in hoc ſentientes errare non poſſe. Ad aliam qui acceſſerit ſententiam, non habet quo ſe tueatur, vel vnde tutus aut ſecurus reddatur, ne erret; non eſt, quo ab errandi periculo liberetur, quam nec expreſsè teneat Scriptura, nec Eccleſiæ approbet auctoritas, nec Conciliorum determinet definitio. Hanc igitur omnes & præcipui amplectuntur, & illam reijciunt Chriſtiani, non imprudenter certè, aut abſque fundamento, nam vt egregiè docet Auguſtinus; *Nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt: id autem fiduciâ ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri, & Saluatoris* IESV *Chriſti vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus, maxima Chriſtiani nominis auctoritas dicit Mariam ſine peccato conceptam, pauci paternarum traditionum æmulatores in angulis & ſecretis confabulationibus inſimulant peccato fœdatã, ſolâ permiſsione Eccleſiæ contenti, quam & in rebus parum commendatis, & palam condemnatis, videmus vigere. Hanc poſitiua auctori-

Eckius. Trithem. Bloſius, & alij citati tract. 7.n.28.

Auguſt. l.7.contr. Donat. c.53.to.7.

auctoritas, & vniuersalis Ecclesiæ consensus commendat, illam ne omnino condénetur, & penitus explodatur solũ permissio defendit.

18 Satis superq; debet vtraq; opinio sanctæ Matri Ecclesiæ, negatiua quod eam sua auctoritate stabiliat; affirmatiua, quod ne in eam cuncti animaduertant, & censuris afficiant, sua benignitate prohibeat. Negatiuam approbat, affirmatiuam clarè non damnat; illam cunctis inculcat, hanc sectari rigorosè non vetat; at non propterea sectandam proponit. *Non propterea* (inquit acutè Tertull.) *appetenda sunt quædam, quia non vetantur, & si quodammodo vetantur dum alia illis præferuntur: Prælatio enim superior, dissuasio est infirmiorum.* Et in Apologet. aduersus Gentes c.13. *Prælatio* (inquit) *alterius sine contumelia alterius non potest procedere.* Eo ipso quod Ecclesia suâ auctoritate & quotidianis fauoribus negatiuam proponat, & præferat, facilè & sine iniuria inferre valemus eam pedetentim, & suauiter iam affirmatiuam dissuadere. Probabilissimam ergo & veram reddit piam sententiam, Ecclesiæ auctoritas, solum ne condemnetur tribuit affirmatiuæ eius permissio.

Satis debet vtraque opinio Ecclesiæ.

Tertul. l. ad vxor. c. 3. tom. 2.

Tertium fundamentum ex approbatione tantorum Pontificum.

§ V.

19 *Quantum tribuat alicui doctrinæ approbatio Pontificum.*
20 *Plurimus Pontificum fauor ad negatiuam sectandam inuitat.*
21 *Recensentur suo ordine omnes à Sixto IV. & eorum in negatiuã fauores.*
22 *Nullus tantillũ fauit affirmatiuæ.*
23 *Eam e publicis locis relegauit Paulus V. & quantum ei fuerit per hoc derogatum.*
24 *Ingenuorum est, vel ipsis nutibus, & suggestionibus Pontificum atquiescere.*

19 POntifices etiam summi totius Ecclesiæ Pastores, non parum probabilem suis indultis & fauoribus hanc reddiderunt sententiam, in quam omnes continua successione inclinarunt. Quo certè nihil gloriosius, nihil præclarius, nihil firmius alicui potest accedere doctrinæ, quam vt à vero, & salutari veritatis fonte propinetur. In his etenim, in Romanæ sedis Pastoribus, omnium Pastorum fidem Christus fundauit, in his veritatis arcem construxit, horum oraculis vera firmatur doctrina. Id circo qui ignorantiæ tenebras exuere, qui errorum velit vitare pericula, ad hanc scholam docendus accedit, ad hanc Petri Cathedram instruendus festinat. Hinc catholicè, & sanctè, Hieronymus in vltimis Syriæ finibus degens, quorundam Episcoporum controuersia de tribus admittendis vel negandis in diuinis, hypostasibus, agi-

Quantum tribuat alicui doctrinæ Pontificum approbatio.

tatus, tot inter iacentibus ſpatijs, Damaſum Romæ ſedentem conſulendum duxit, nihil ſibi nouum in fide, nec inauditum fidelibus nomen, admittendum vel negandum cenſens, Romano non annuente Pontifice. *Mihi* (inquit) *Cathedram Petri & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque vero tanti vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole malâ patrimonio, apud vos ſoles incorrupta Patrum ſeruatur hereditas.* Incorruptæ ergo veritatis fontem ſignatum, & purum conſuluit, eius expoſtulans licentiam, non niſi illâ obtentâ nomina illa tunc ſibi peregrina approbaturus. *Obteſtor* (inquit) *Beatitudinem Tuam per Crucifixum, mundi ſalutem, per homouſion Trinitatem, vt mihi Epiſtolis tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.*

Hieron. Epiſt. 57. ad Damas. to. 2

Matth. 24. n. 28.

Lucæ 17.

Ad negatiuam ſectandam Pontifices inuitant.

20 At ſi ſolam & vnius Pontificis licentiam deſiderauit Hieronymus, vt libenter & facile, quod alias abhorruit, admitteret, & cum diſsidentibus Epiſcopis conueniret, quid tantorũ Pontificum non ſolum licentiam, aut conſenſum: ſed etiam auctoritatem, & exhortationem ad commendandam Mariam Virginem, & à communi hominum ſorde excipiendam, præſtare iudicabimus? Pontifices non ſolum conniuentes, aut conſentientes, ſed & inuitantes, & bonis ſpiritualibus allicientes, habemus, vt dicamus Virginem ſine peccato conceptam. Quid? nullo docente Pontifice, creaturarum mundiſsimam peccato maculatam prædicabimus? nullo lucro trahente, originali, & communi hominum labe, Angelorum Reginam fœdatam affirmabimus?

21 Percurram pauliſper aliquos à Sixto IV. cuius tempore maiores vires hæc ſumpſit opinio, vt liquidò conſtet non extitiſſe poſt eum vllum, qui piæ non adhæreret ſententiæ. Alexandrũ prætereo V. & alios huius opinionis egregios propugnatores. Cæteros taceo anteriores, ſub quibus non tam ſolicitè fuit hæc agitata controuerſia, vnde nec de illa egerunt, aut ſi verbum fecerint, nihil, quod illi minus faueat, è ſede, vel in Pontificatu (vt inferius oſtendemus) aliquando pronuntiarunt.

Sixtus IV.

Tract. 7. a num. 11.

Sixti IV. erga hanc ſententiam deuotionem, & propenſionem ſatis menſurant tres illę extrauagantes quas Tuę Beatitudi retuli in Tractatu de ſenſu Feſti Conceptionis, in quarum prima omnes indulgentias, & peccatorum remiſsionem conceſsit ijs qui interſunt Officio

Officio & Missæ Conceptionis à se institutis, quas maximas sui Prædecessores Vrbanus IV. Martinus V. & alij elargiti sunt ijs, qui adsunt Officijs diuinis in Festo corporis Christi. Officium insuper illud particulare huius Festi à Bernardo de Bustis editum, in quo expressè sæpius inculcabatur Virginis à peccato originali præseruatio, approbauit. Et tam se deuotum erga hoc Mysterium exhibuit Festumque Conceptionis tam solemne esse voluit, vt Dominicæ cuicunque Aduentus locum non cederet, & Octauam superaddiderit, infra quam de nulla alia Festiuitate agi liceret. Tot sunt huius erga hanc opinionem fauores, tot suæ in illam propensionis indicia, vt non immeritò magnus, & præcipuus eius promotor censeatur à cunctis.

Huic successit Innocentius VIII. quem & Sixti extrauagantes confirmâsse ferunt, & sub eo Religionem sanctimonialium Conceptionis incrementa suscepisse, quarum constitutiones, sed sub Benedictinorum regulâ confirmauit. Innocen. VIII.

Innocentio superuenit Alexander VI. qui propter suum in hanc opinionem affectum extrauagantem Sixti, *Graue nimis*, secundam pro vniuersali Ecclesia non illam particularem pro Longobardis editam, confirmauit, inseruitque suis litteris *Illius qui se* incipientibus, cuius executioni iudices applicuit. Religioni insuper Conceptionis sub suis Prædecessoribus Sixto & Innocentio inceptæ, summopere fauit, ita vt sub illo non modicè se dilatauerit per Hispaniæ Regiones, in quibus sub eodem etiam Pontifice plurima templa sunt ædificata, & Fraternitates institutæ, præcipuè in Lusitania, & Catalonia in immaculatæ Conceptionis honorem. Alexand. VI.

Huius successor Pius III. dum solum 30. dies sederit in Pontificatu, suam exprimere non potuit, per externa indicia, deuotionem. At Iulius II. post eum electus satis suam monstrauit, regulam Monialibus Conceptionis præscribendo, quam se confirmasse ait in *Genitricis Dei, immaculatæ Conceptionis venerationem*, in qua etiam rationem assignat cærulei scapularij & mantelli, quod eædem portant Moniales cœlestem videlicet, & immaculatam in suo conceptu fuisse Mariam. Proponensque profitendi normam, hæc verba assignauit; *Ego soror N. ob amorem, & seruitium Domini nostri, & immaculatæ Conceptionis eiusdem Genitricis voueo, &c.* Et capite tertio ait animam Beatæ Virginis sanctam fuisse in primo suæ Conceptionis instanti. Rationemque reddens Pius III. Iulius II.

quare eas regimini subiecerit Fratrum Minorum, ait: Se idcirco hoc fecisse, quia *prædicti Fratres indefesso studio, & vigilantiâ perpetui extiterint huius Virginei priuilegij defensores*. Magnas insuper concesſit Indulgentias tam viris, quam fœminis Regni Castellæ, imagines Conceptionis in pectore gerentibus, quasi deuotionem hanc in immaculatam Beatæ Mariæ Conceptionem, non solum voluerit intus in corde latere, sed & exterius in pectus prodire.

Leo X. Post hunc in Pontificem assumptus est Leo X. qui in hac re suos prædecessores vicit pietate, plurima ædificando templa in honorem huius Mysterij, magnas etiam elargiendo Indulgentias, non solum Fratribus Minoribus, & Monialibus Conceptionis, hoc Mysteriũ, & Festum tanto prosequentibus affectu; sed etiam alijs Religionibus, vt constat ex eius Bulla; *Sanè Religionis sinceritas*; in qua Fratribus Benedictinis indulsit facultatem interdictum suspendendi in Festo, & per totam Octauam Conceptionis, quod postea omnibus Hispaniæ Ecclesijs communicauit. Aedemque Sanctæ Mariæ in Campo sancto à Leone I V. constructam reædificauit in Conceptionis honorem, cui & alijs quamplurimis Vrbis Ecclesijs S. Mariæ de Populo, de Monte, de Aracœli, Sanctorum Apostolorum, Sancti Francisci trans Tyberim. S. Laurentij in Damaso, &c. in ipso Conceptionis die iubileum concesſit, Hymnos insuper approbauit Zachariæ Episcopi Gardiensis, quos ad ipsius Pontificis iussum in Encomium composuit Conceptionis, & maximas concesſit Indulgentias vtriusque sexus personis, imaginem Conceptionis deferentibus.

Adrianus VI. Leonem sequutus est Adrianus V I. qui Pontificiâ Bullâ incipiente, *Romanus Pontifex*, datâ Tarraconæ anno Dom. 1522. vltimo die mensis Iulij, & sui Pontificatus anno primo, regiam, & grauissimam approbauit Confraternitatem Toletanam in obsequium, & laudem Conceptionis immaculatæ fundatam. In qua œconomus, & primus confrater erat Carolus V. Imperator, cuius deuotionem in Virginem imitati totius Regni proceres se eiusdem Sodalitij legibus subiecerunt, in quibus multoties profitebantur expresſè, se omnia illa, & magna quæ exhibebant obsequia, Deo obtulisse in honorem immaculatæ Conceptionis suæ Genitricis, & in capite 15. earundem constitutionum, iubetur celebrari Festum S. Annæ. *Vt* (subditur pro ratione) *memoria habeatur purissimæ Conceptionis*

ceptionis eius filiæ, in cuius ventre fuit anima Mariæ creata in maiori gratiâ, quàm Adami vel Euæ; quàm Angeli etiam aut Archangeli, Cherubim aut Seraphim qui cum naturâ gratiam acceperunt. Hæc etenim ad maius præ illis ministerium eligebatur, & creabatur. Et hanc Sodalitatem concesit per omnes Hispaniæ ciuitates fundari, quam per cunctas propagari præcepit prænominatus Imperator.

Adriano extincto, in eius locum suffectus est Clemens VII, qui Officium Conceptionis à Francisco Quinnonio Cardinale ordinatum, satis clarè hanc exprimens sententiam, approbauit, quod ab illo vsque ad Pium V. à plurimis recitabatur, litteris etiam Pontificijs satis fauit Religioni monialium Conceptionis, circa quam cuncta confirmauit, quæ sui concesserant Prædecessores. Clemens VII.

Post Clementem creatus est Paulus III. qui priuilegia etiã omnia illius Religionis confirmauit. Hic indixit Concil. Trident. sub quo facta est illa declaratio Decreti vniuersalis de peccato originali Sess. 5. adeo fauorabilis piæ sententiæ (sicut superius & in opusculo de sensu Festi animaduersum est) vt eam liberauerit à magna molestiâ aduersariorum, quotidie obiectantiũ Virginem comprehendi tam sub vniuersalibus locutionibus sacræ Scripturæ, quã alijs aliorum Conciliorũ generalibus Decretis. Tantumq; tribuit hæc declaratio huic opinioni, vt præcipuos, & grauissimos ex ipsis Dominicanis nutare, & in suâ fluctuare sententiâ coëgerit. Vnde & Pontificem hunc non minùs suis Prędecessoribus, imò cunctis pręstantiùs huic sententiæ fauisse iudicandum est. Paulus III.

Eius successor Iulius III. confirmauit etiam cuncta, quæ circa Religioné Conceptionis sui statuerunt Antecessores, approbauitq; quidquid Patres Conc. Trid. sub Paulo III. ordinauerint, vnde & cum illis negauit esse suæ intentionis, Mariam Virginem sub communi regulâ de peccati originalis contractione comprehendere. Iulius III.

Mediauit inter hunc, & Paulum IV. Marcellus II. per solos 20. dies in Pontificatu sedens; sed Paulus nihil minùs cæteris propensus in hoc Mysterium, varias elargitus est per specialia Diplomata indulgentias, & gratias sanctimonialibus Conceptionis. Et quoad declarationem Concilij Tridentini, idem fecit quod eius Prædecessor Iulius III. Marcellus II. Paulus IV.

Sub Pio IV. Pauli IV. immediato successore conclusum est Concilium Tridentinum, quod & confirmauit plenariè, & consequenter declarationem prædictam, nec sat sibi in hoc fecisse in Vir- Pius IV.

 ginis

ginis obſequium viſus eſt, niſi & plures concederet gratias religionibus Minorum, & Conceptionis pro eâdem celebrandâ, quas ad alias poſtea extendit præcipuè Hieronymianam, in qua tolli interdictum conceſsit in Feſto Conceptionis.

Pius V. Pium IV. ſequutus eſt V. qui præterquam quod more ſuorum prædeceſſorum gratias, & fauores exhibitos prædictis religionibus, & Sixti IV. litteras ſtabilierit, in hoc ſe exhibuit ſpecialem immaculatæ Conceptionis cultorem, quod cum multa in Romano Breuiario reformauerit, & aliquas Feſtorum celebrationes abſtulerit; Feſtum tamen Conceptionis per vniuerſam Eccleſiam celebrari præceperit, Miſſalique, Breuiario, & Kalendario Romanis à ſe publicatis, & obſeruari præceptis inſeruerit, ſolemnitatemque iſtam, & Conceptionem Virginis Mariæ ſanctam, & digniſsimam in eccleſiaſtico officio ab omnibus acclamari voluerit. ita vt virtute pręcepti pijſsimi Pij V. neceſſe habeant vniuerſales fideles Romanum Officium perſoluentes ſub Conceptionis ſanctæ nomine, & profeſsione illud celebrare; ſancto certè Pontifici pia hæc debet opinio: Sed & Fratres Minores non parum ſe ei debere fatentur, quibus proprium & antiquum Conceptionis recitare Officium libenter indulſit, cuius largiorem feci mentionem in alio proximè citato opuſculo. Tract. 7. §. 8.

Gregor. XIII. Vt huic Gregorius XIII. ſuperuenit, & conceſſa ſupradicta indulta reualidauit, & vt plura ædificarētur monaſteria ordinis Conceptionis tam in Hiſpaniæ regionibus, quam in Indiarum remotiſsimis plagis, proprijs Diplomatibus, in quibus non tepidè fideles ad huius Myſterij & opinionis deuotionem incendit, liberaliter conceſsit.

Sixtus V. Hic ſucceſſorem habuit Sixtum V. qui priuilegia prædictarum Religionum, amplioribus, & fauorabilioribus clauſulis intertextis confirmauit, & cōſtitutione *expoſitum nobis*, editâ an. 1586. omnibus, ac ſingulis monialibus prædicti ordinis Conceptionis, & vtriuſque ſexus fidelibus, viſitantibus Eccleſias monaſteriorum prędictarum monialium in Feſto Conceptionis Mariæ Virginis, Indulgentiam plenariam, & omnium ſuorum peccatorum remiſsionem elargitus eſt in perpetuum, multis etiam fauoribus commēdauit Confraternitates in Indijs erectas in obſequium immaculatę Conceptionis, pluraq; alia tam exhibuit exteris ſuæ in hanc opinionem deuotionis indicia, quā reliquit domeſticis in ſuis ſcriptis præclara veſtigia.

Poſt

Post Sixtum V. vixit in Pontificatu Vrbanus VII. dies 13. post hunc Gregorius XIV. menses 10. in quibus tamen supra dicta priuilegia firmauit. Innocentio IX. huius successori post menses duos vita functo successit Clemens VIII. qui sub eisdem clausulis litterarum Sixti V. prædictarum Religionum confirmauit priuilegia; & Bullâ datâ Ferrariæ anno 1598. prohibuit, ne aliud compendium doctrinæ Christianæ præter illud, quod Illustrissimus Cardinalis Bellarminus edidit, & ipse Clemens approbauit per totam Italiam haberetur in vsu, nec alio vterétur religiosi Congregationis doctrinæ Christianæ ad erudiendos, & instruendos in eadem puerulos. In qua tamen ad illa verba salutationis angelicæ, *Gratia plena* (vt iam alias Tuæ Beatitudini proposui) expressè docetur Virginem nullum habuisse peccatum actuale, aut originale, ita hanc amplexus est opinionem deuotus Pontifex, vt eam à primis rudimentis doceri voluerit vniuersos Christi fideles.

Vrbanus VII. Gregor. XIV. Innocét. IX. Clemens VIII. Tract. 3. n. 13.

In sedem post Clementem assumptus est Leo XI. qui 27. diebus in eâ sedit. Huius imò Petri, Tu Pater vndequaque Beatissime (vtinam & faxit Deus, vt in multos, & felicissimos annos) cathedram tenes, in qua licet supra memoratos Pontifices tempore sequeris, eos deuotione & fauore in hanc opinionem longè præcedis. Præclara etenim & magna sunt Tuæ in eam propensionis indicia. quid non egisti? quid aliquando omisisti, vt tuum in hanc Virginis prærogatiuam affectum demonstrares? iam in alio Tractatu proximè citato ea tibi in mentem reuocaui. Statuam erexisti, alia extruxisti in honorem immaculatæ Conceptionis. In Religione Minorum alijsque sibi subiectis voluisti quolibet Sabatho aliâ Festiuitate non præpedito, memoriam fieri tanti Mysterij, proprium Officium recitando, & Missam celebrando, in quibus expressè hæc Virginis docetur excellentia. Fideles omnes inuitasti ad hoc ipsum confitendum concessis Indulgentijs ijs, qui Antiphonam Orationemque eiusdem Officij recitauerit. Confirmasti tuis litteris, grauissimis superadditis pœnis, Sixtinas constitutiones huic parti maximè fauorabiles. Nec his contentus, taceri aliam iussisti, & è scholis, & suggestis tanquam minimè proficuam profligasti.

Leo II. Sanctiss. Domin. Paulus V.

Hæc (Pater Sanctissime) continua Pontificij fauoris successio, hæc Pontificum in hanc partem propensio, hæc illa tua in immaculatam Virginis Conceptionem maxima deuotio.

Nullus aliquando Pontif. ex fauit affirmatiuæ.

22 Quæ verò in affirmatiuam sententiam vllius, vel ex recentioribus, vel ex antiquioribus Pontificibus propésio? quis fauor? quænam deuotio? quem vidimus, qui eam contra moderatas, & iustas aduersariorum impugnationes protelaret? quem audiuimus, qui in sede, vel in Pontificatu constitutus illam doceret, sed vel leuiter insinuaret? quod si aliquis eorum, quam à magistris hausit opinionem, postea scriptis commendarit, neutiquam hoc egit, postquam in Pontificem fuerit assumptus. Quas vel illi ipsi, qui assumpti sunt ex Dominicana familia, & qui in ea hanc tenuerunt sententiam, gratias vel indulgentias aliquando largiti sunt fidelibus, vt illam amplecterentur? quod Officium, quod Festum aut Missam pro eadem celebrandâ ordinarunt? quam Ecclesiam (vt superiùs percontabar) Virgini à peccato mundatæ dedicarunt? quam aram construxerunt? Prouidentiam iudico diuinam, vt quantumuis aliqui ex ijs, qui in Pontifices electi sunt, priùs dum particularem egissent vitam, in minoribus constituti, affirmatiuæ tenaciter adhæserint, nullus eorum in Pontificatu, Petri cathedram possidens vllam erga eam ostenderit propensionem.

Supra n. 16.

Iam relegata est à publicis consessibus.

23 Imò Ecclesiæ Pastores ita paulatim negatiuam fouebant, & affirmatiuam gradatim destituerunt, vt ad illos deuentum sit terminos, quod negatiua pro sana, & probabilissima in Ecclesia publicè admittatur, & ex Ecclesiæ prædicetur suggestis; affirmatiua autem taceri iam iussa sit, & à publicis relegetur consessibus. Nec in scholis potest defendi, nec in cathedris doceri, nec in pulpitis prædicari, nec publicos licet de ea conuentus celebrari. At quantum hoc tribuerit probabilitatis & veritatis oppositæ sententiæ, & quàm exiguam huius esse ostenderit, quis non perpendet? Greg. Theologus de suâ verâ sententiâ actum esse putauit, eique Apollinistarum præferri figmenta, dum illis per Theodosium Imperatorem Nectariumque Constantinopolitanum Archiepiscopum permissum fuerit de suis falsis dogmatibus cœtus habere. Vnde & quæribundus periculi latentis admonet Nectarium; *Si ijs* (inquit) *qui talia sentiunt cætus habere licet, illud velim cogitet, atque expendat Tua in Christo illustris prudentia, quod cum nobis cum eorum dogmatibus non conueniat, cætus habendi potestatem illis factam esse, nil aliud est, quam eorum doctrinam nostrâ veriorem existimari. Nam si illis vt & piè sentientibus, ea quæ sentiunt docere, libereque promulgare permittitur, quis non videt Ecclesiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante?* Ex liber-

Multum derogat sententiæ indictum de ea silentium.

Nazianz. orat. 46. ad fin. tom. 1.

libertate opinionem quampiam prædicandi, & licentiâ Ecclesiæ de eadem conuentus habendi, deducit eius veritatem, & ex eo quod supprimatur, & non liceat aut permittatur in publicum prodire, falsam vel infirmam esse subinfert. Quod si hanc non velit, nec permittat Ecclesia in cœtu doceri, nec in Conuentu prædicari, liberrimamque concesserit alteri facultatem, vt vndequaque, & vbique inculcetur, commendetur, prædicetur, & propagetur, quis illam probabilem, quis hanc infirmam esse contendet?

24 Quis demum ingenuæ conditionis vir, quis sinceræ in re Theologicâ veritatis indagator, non minùs tribuere velit propriæ & peculiari, quam communi fere omnium opinioni, & dum Ecclesiæ culmina in aliquam sententiam inclinare perspexerit, eam non sectetur spontaneus? Quis tot Pontifices nutu, indicijs, gestis, muneribus, voce itidem fideles vocantes audierit, vt Mariæ immaculatæ celebrent Conceptionem, protinus non accedat? quis exhortantibus, vt Mariæ præclara quæque tribuamus, non acquiescat? Cum ergo omnia Pontificum studia huc tendant, vt suauiter, & leniter fideles in hanc inducant sententiam, quis non tutum, non securum iudicet illam amplecti? *Nihil mihi* (inquit Bernardus) *securius iudico, quàm obedire Domini Papæ voluntati.* Non dixit præcepto, vel imperio, sed voluntati. Hæc autem nostrorum Pontificum voluntas est tot signis manifestata, tot indicijs declarata, tot nutibus aperta, vt de ea dubitare non liceat. Vt ergo illi obediamus, & consentiamus, ingenuorũ non est expectare preceptum, cui nec facilè resistere possumus, nec tanto meritorum cumulo obedimus.

Ingenui homines facile tot Pontificibus hortantibus acquiescũt.

Bernard. Epist. 52. ad Haimericum

Quartum fundamentum ex communi nostri sæculi Doctorum attestatione.

§. VI.

25 Recentiores ferme omnes conspirant in piam sententiam.

26 Iustè queri poterunt Doctores & Ecclesiæ Prælati de Aduersarijs.

27 Quare tam firmiter suæ adhærent sententiæ.

28 Affirmatiuæ fautores semper inconstantes & hæsitabundi.

29 Præferenda est in hac sententia vniuersitas Doctorum iuniorum paucis antiquioribus.

25 SVnt etiam ad stabiliendam negatiuæ sententiæ veritatem expressa, & plura Sanctorum Patrum testimonia, antiquorum Doctorum contestationes & recentiorum, præter quosdam Patres Dominicanos, vniuersalis consensus. Quantam & qualem

qualem adhibuerint aliqui ex Aduersarijs solertiam pro conuocandis in suam partem sanctis Patribus speciali de hac re Tractatu Tuæ Beatitudini ostendi, & quam parum eis faueant, multâ eorum lectione pleriq; manifestissime demonstrant. Solos habemus contrarios in verborum cortice. Duos vel ad summum tres, & hos ipsos cum præcipuis illis & primis Theologiæ magistris Alensi, Thoma, Bonauentura, tam varios, tam inconstantes in affirmatiua sententia, vt non semel, sed pluries subscripserint negatiuæ. Aliquos fateor, & non paucos ex Scholasticis horum sententiam fuisse secutos (vt in principio aduerti) dum adhuc res hæc exactius non habuit examen, nec diligentiorem subijt disquitionem. At vt in controuersiam deducta est, & veritas cœpit aperiri, nullus erat, qui grauiter aut durius sentire voluerit de Virgine. Vnam iam omnes aciem construxerunt pro Virgine à maculâ defendendâ, omnes hanc volunt propellere labem, conuenerunt in vnum omnes Ecclesiæ Doctores, concordârunt vniuersi Magistri, consenserunt grauissimæ Academiæ, & se suosque alumnos in perpetuum pro Virgine sensuras emisso voto spoponderunt. Ita etiam suis libris nostri æui firmârunt scriptores; communis est omnium propriâ sententiâ consensus. Vniuersalem autem & communem totius Ecclesiæ consensionem in aliqua doctrina, quæ ad credibilia possit pertinere sufficere docent Theologi, vt eandem irrefragabilem & fidei proximam constituat. Vnde & inferre, vel deducere licet, si qui nunc contradicunt, cum cæteris conuenirent, opinionem hanc pro irrefragabili vel fidei proximâ esse tenendam.

Iustè queruntur de aduersarijs Ecclesiæ Doctores & Praesules.

26 Magnas ergo habebit vel saltem debebit B. V. gratias ijs, per quos stat, vel impeditur ne irrefragabiliter, & indubitanter credatur illam tantum euasisse contagium, suas etiam agent Illustres omnes Episcopi, & doctissimi viri, quibus illi se opponunt, & præponunt, non secretò, sed palam, dum & se illis præferre non timent, nec totam Doctorum vniuersitatem errare, vereantur asserere. Grauiter Iulianum reprehendit Augustinus dum suam, suorumq; paucitatem opponere, & præferre voluerit in negando peccato originali in infantibus, tot tantisque Doctoribus, qui illud à paruulis contrahi dicebant. Vnde & subiunxit; *Iterum te admoneo, iterum te rogo, aspice tot ac tales Ecclesiæ Catholicæ defensores atque rectores, vide quibus tam grauem tamquam nefariam irrogâris iniuriam.* A paruo numero, & paucis religiosi cœtus viris, proprio addictis magistro, non parua irrogatur in-

August. l. 1. cont. Iulia. c. 4. tom. 7.

tur iniuria reliquæ totius Ecclesiæ vniuersitati, dum & præceptoris, vel suam pluris faciendam esse auctoritatem, & se cæteris verius sentire, contendunt. Nihil tam contra hæreticorum dogmata sancti Patres vrgebant, quam vnanimem Doctorum assertionem, quorum vniuersalem assensum, particularium dissensui præponendum semper iudicabant; *Vniuersum* (inquit Augustinus) *partibus semper iure optimo præponitur.*

Idem 2. contra Donat. c. 9 in fine tom. 7.

27 Iniustè ergò & perperam, & vnica, nec tota, pars, Ecclesiæ vniuersæ anteferetur. Pars inquam, siue partis pars, quæ summâ in D. Thomam propensione, vehementi affectu adhæret sententiæ à suis magistris acceptæ. Propter habitus in intellectu acquisitos, & generatos ex consuetudine, & studio, quo adolescentibus à Præceptoribus hæc sententia inculcatur, ita mordicus & naturali inclinatione eam iuniores tuentur, & inflexibiliter apprehendunt; vt nullatenus ab ea ratione vlla quantumcunque fortissimâ dimoueri possint; *His etenim* (vt de alijs dixit August.) *irruerunt in oculos animæ, verisimiles rationes, & intercluserunt iter peruestigandæ veritatis.* A suis etenim magistris quotidie audiunt D. Thomam in omnibus veritatem attigisse, nihil falsum, aut reijciendum scripsisse. Vident à plerisq; sed præcipuè à nouissimo anni 1619. partium vel Summę correctore eam vocari, *Bibliothecam fidei.* Ab alijs publicè prædicari quod quisquis à D. Thomæ sententia discesserit, hæresis suspiciones subibit. Apud alios legunt non sine magnorum Ecclesiæ Doctorum iniuriâ, post Petrum & Paulum, D. Thomam primum esse censendum. Quæ dum tyrones quotidie audiunt inculcari, & dici hanc opinionem indubitanter D. Thomæ esse, & in sacra Scriptura contineri, atque à Patribus edoceri, sine vlteriori indagatione eam verissimam putant, ei assuescunt, & veluti certissimam coactè & necessario amplectuntur. *Acquiritur enim* (vt ait ipse D. Thom.) *habitus ad assentiendum eis quibus assueuimus, determinans intellectum ad modum naturæ.* Cum ergo soli huic sententiæ suos discipulos assuefaciant præceptores, eam quotidie ingerant iuuenibus, nec eis aliud audire, vel tenere permittant; ad modum naturæ, & sine libera electione in eam feruntur, contra vnanimem cæteræ vniuersitatis totius Ecclesiæ Doctorum consensum.

Vnde prouenit aduersarijs tanta tenacitas.

Idem ibidem c. 7.

D. Tho. in 2. metaph. c. 14

28 Quod si aliquando alij etiam multi, ex Theologis in centuria tertiadecima pro affirmatiua steterint; non adeo vnanimiter suæ sententiæ adhæserunt, & aliquos habuit semper negatiua fautores, vt in-

Bonau. in 3. d. 3. art. 1. q. 2. *Affirmatiue fautores inconstantes.*

vt innuit D. Bonauentura, & hic ipse cum D. Thoma, Alberto Magno, Alensi, & alijs non semel eandem tutati sunt. Quamuis enim dum solius regulę & verborum vniuersalium Pauli rationem habuerint; Virginem maculatam dicerent, iterum tantam Virginis dignitatem & excellentiam considerantes, aliaque eius expendentes priuilegia, hoc præclarissimæ Heroinæ negare veriti sunt, ita vt fluctuare viderentur inter rigorosam Pauli sententiam, & summam Virginis dignitatem. Idcirco quamuis cum cæteris solum verba attendentes generalia, sub regula communi, & misera hominum conditione eam aliquando comprehenderent; cum postea tamen eis videretur id repugnare tantæ Dei Genitrici, nec percipere possent, quomodo in eam peccatum posit inesse, retractabant sententias, ita vt sibi ipsis semet contrarios ostenderint. Cum D. Ambrosius aduerteret variare inter se Euangelistas, in modo referendi Petri negationem, diuersoque modo eam explicasse, hoc tribuens egregio, quem de Petro firmarunt conceptui, ait; *Ita nouum fuit Petrum potuisse peccare, vt peccatum eius, nec ab Euangelistis potuerit comprehendi.* Idem his Doctoribus euenisse videtur, licet non eodem modo, consideratâ regulâ communi, Mariam ab illa excludere non audebant, sed ita difficile, & quasi repugnans erat, Virginem peccatum habuisse, vt peccatum in eam à summis his Theologis non potuerit comprehendi; nec illi valuerint in dura illa sententia persistere.

Ambros. l. 10. in Luc. c. 22 tom. 3.

Praeferendi sunt in hac sententia Doctores nouiores paucis antiquioribus. Hesych. Epist. 79 inter epistolas August. ad finem to. 2.

27 Cum ergo hi fuerint inter se inconstantes, & aliqui Doctores illius centuriæ his solum innixi, aliter censerint, quam modo sententia teneat communis, illis sine dubio hi posteriores sunt præferendi. Licet enim, vt ex Hieronymo ait Hesychius ad Augustinũ, periculosum sit de Magistrorum Ecclesiarum iudicare sententijs, & alterum alteri pręferre, attamen cum posteriores, plures sint prioribus, nec in scientia plerisque antiquioribus inferiores, & maiorem adhibuerint in hac re indaganda solicitudinem, atque vniuersalis & communis sit eorum cum Catholica Ecclesia sententia, sine vlla temeritatis formidine licebit hos illis præferre. Priorum enim Doctorum opiniones, imò & Conciliorum statuta (non fidei definitiones) per subsequentium Decreta licere ait Augustinus emendare, cum diligenti disquisitione; *aut aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ*

August. l. 2. contr. Donat. c. 3.

cum

cum Sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana. Non etenim ex eo quod illi nostros præcesserint tempore, vel auctoritate aliquantulum superauerint, omnem sibi veritatem adscribi volunt, aut ita palmam sibi arrogare doctrinæ, vt posteriores, si cum illis comparentur, aut eis in aliquibus vel aliquando præferantur, irrogari sibi putent iniuriam; *Nam nec Petrus* (inquit egregiè Cyprianus) *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum secum Paulus postmodum disceptaret, vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatũ tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed Consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat, facile consentit.* Posterioribus etenim aliquãdo & humilioribus multa clarius & sanius aperiuntur aut reuelantur, quæ prioribus & grauioribus erant incognita vel obscura. Quare non ex eo, quod priores hanc vel illam ita tradiderint sententiam, putandum est illam non aliter se posse habere. Quod priores loquuntur aut ex Scripturis interpretantur, examinari iubet Paulus, & si forte alij posteriori aliter reuelatum, aut apertum fuerit, hunc sequendum, illos ait tacere debere. *Prophetæ* (inquit) *duo aut tres loquantur, & cæteri examinent. Si autem alij reuelatum fuerit sedenti, ille prior taceat, qua in parte* (explicat Cyprianus) *docuit & ostendit multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquenq; non pro eo, quod semel imbiberat, & tenebat, pertinaciter congredi; sed si quid melius & vtilius extiterit, libenter amplecti. non enim vincimur, quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maxime in his quæ ad Ecclesiæ vnitatem pertinent, & fidei & spei nostræ veritatem.* Cum ergo non sine peculiari Dei prouidentia (vt credendum est) Mysterium hoc totius Ecclesiæ Doctoribus aliter apertum fuerit, quam priscis Scholasticis, non illorum sed communi huius sæculi & ætatis standum erit doctrinæ. nec certè quibusdam huius ætatis viris, quod semel imbiberant, aut apprehenderant adeo tenaciter erat retinendum, sed cum cæteris conueniendum, præcipue in hac re quæ tantopere conducit ad Ecclesiæ vnitatem, ad fidelium pacem & Christianorum concordiam; *Peruulgatis sententijs atq; communibus* (inquit Aristoteles) *vtendum est, si vtiles sunt, nam quando communes sunt, quasi omnes ita concedant, rectè se habere videntur.* Cum communi hominum & Ecclesiæ sententia non erit errandi periculum, non formido falsitatis, quod tot tantique per orbem sparsi sapientes magistri concorditer docent, rectè & vere se habere iudicatur.

[Margin: Cyprian. Epist. 71. ad Quintum c. 2. tom. 1.]

[Margin: 1. Cor. 14 n. 29.]

[Margin: Cyprian. cit.]

[Margin: Aristot. l. 2. Rhet. ad Theodor. c. 21. tom. 11.]

V 5. funda-

5. fundamentum ex vnanimi totius populi Christiani consensu.

§. VII.

30 Quantum tribuat alicui sententiæ vnanimis populi Christiani consensus.
31 Rudis etiã populi vnanimis consensus nõ parui in hac controuersia faciẽdus.
32 Omne genus hominum in hanc opinionem consensit.

10 CONsensum etiam populorum hanc vel aliam quamcunq; sententiam non parum verificare vel stabilire, non erit, qui neget, dummodo legere voluerit August. 18. de ciuit. Dei c. 41. & libris contra Donatistas & Pelagiarum sectatores, in quibus pro magno ducit, & ponderat cunctos Christiani orbis populos contra illorum errores sentire; magnamque sacri canonis auctoritatem & certitudinem, Deumque per Canonicos scriptores loquutum inde se probare putat efficaciter; *Quod cum scriberent non pauci in scholis atque gymnasijs, litigiosis disputationibus garrulis sed in agris atque vrbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Quorum* (inquit inferius) *est miranda contensio*; nam vt optimè docet Scotus. *Iam rebus non euidentibus ex terminis, nec ex principijs euidentiam habentibus non consonant firmiter & infallibiter multi diuersimode dispositi, nisi à causa superiori ipsorum intellectus inclinentur ad assensum.* Cum ergo tot tantique, atque vniuersi populi in hanc veritatem seu sententiam, nec ex terminis, nec principijs euidentem, conuenerint, & contra alteram conspirauerint, à Deo licebit putare motos ad sic sentiendum, & hinc opinionem hanc esse, vltra quam dici potest, probabilem.

[Margin: August. 10. de ciuit. Dei c 14. to. 5.]
[Margin: Scotus q. 2. pro lo 5. De 2.]

31 Sed inane sibi effinxerunt effugium, imò & quotidie nobis obiectant Aduersarij contra illos proferri à nobis solum populi murmur, & imperiti vulgi applausum. Quibus liceat respondere, Sanctos etiam Patres imperiti populi magni fecisse in rebus fidei consensum, vt videre est apud August. l. de vtilitate credendi, vbi non contemnendum sumit argumentum pro nostræ fidei veritate, ex eo quod *imperitum vulgus marium fœminarumque in tam multis & diuersis gentibus idem credit, & prædicat.* Et Iuliano hoc idem sibi obijcienti, respondet; *Non tibi sicut calumniaris solum, populi murmur opponimus, quamquam & ipse populus aduersum vos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem populi effugere.* Sicut & Christianus certè populus in hac trita quæstione, & omnibus peruia aduersus immaculatæ Conceptionis Mariæ contradictores, quotidiè murmurat & obloquitur.

[Margin: *Non facile d(e)spiciendus rudis populi consensus.*]
[Margin: August. l. de vtil. cre. l. c. 17 tom. 6.]
[Margin: Idem l. 1 cont. Iul. c. 2. to 7.]

32 Sed

32 Sed dicunt, hos suos obtrectatores, & qui eorum improbant opinionem, ex infima coaluisse hominum fæce, & de vilissima populi colluuie, & sutores esse, sartores, laniones, coquos, aliosq; huius generis homunculos in illorum inuidiam concitatos; quæ conuitia à Bandello mendicata eadem esse videntur quæ Iulianus effutiuit in grauissimos quosque viros, quos contra eum Augustinus producebat. Quos vt retulit Sanctus Doctor, ipsis Iuliani verbis obtrectatorijs eum interrogabat; *Numquid hi de plebeia fæce sellurariorum? numquid milites? numquid in vestram inuidiam concitati? numquid scholastaci auditoriales? numquid nautæ tabernarij, cetarij, coqui, lanij?* Nec nos solum indoctum aut rude opponimus vulgus, sed ex doctissimis antiquis multos, ex neotericis omnes ostendimus in nostram se recepisse aciem, Ecclesiarum Pastores, Religionum Præsules, Prouinciarum Rectores, præcipuas Academias, ipsos deniq; Summos Pontifices; vnde interrogare aliquantulum licebit hos nostros obloquutores, & qui adhuc Bandelli contumelijs nos lacerant. Numquid hi omnes de plebeia fæce sutorum, aut sartorum? numquid in vestram inuidiam concitati? numquid lanij, coqui, nautæ, cetarij, telarij? omnis conditionis viros vobis opponimus, cum indoctis doctos, cum discipulis magistros, cum infantibus viros, cum iuuenibus senes, cum fœminis mares, cum plebeijs nobiles, cum oppidanis ciuiles, cum subditis Principes, cum Principibus Reges, sæcularibus regulares, cum regularibus Prælatos, cum parochis Episcopos, cum cunctis ecclesiasticis Cardinales, & Summos Pontifices, qui omnes contra paucos constantem proferunt de Mariæ innocentia, & originali puritate sententiam. Quomodo tantorum iudicium despicere, & effugere poteritis. Hinc vel maximè ex consensu omnis generis populorũ probauit Bernardus, Episcopis Aquitaniæ. Innocentium II. verum extitisse Pontificẽ, imò & ex eodem capite inferre voluit iudicio vel reuelatione Dei id constitisse; *Iam* (inquit) *Deus iudicauit: iudicauit autem operis euidentiâ, non decreti sententiam, velociter currit sermo eius in conueniendo populos in vnum, & Reges vt Domino Papæ Innocentio seruiant, & obediant: Dei esse iudicium senserunt, & consenserunt multi.* Scilicet Archiepiscopi, & Episcopi quos ibi recenset, & postea transit ad nationes Quæ autem ibi prosequitur pro Innocentio, liceat mihi sub ipsis eius verbis pro immaculata Conceptione vsurpare, & huic nostræ cõtrouersiæ accommodare. *Hi* (inquit) *omnes vnanimes non conducti pecunia, non seducti fallacia,*

Omne genus hominum in hac opinione consensit.

August. l. 2. cont. Iulian. ad fin.

Bernard. epist. 126 post med.

 non

non allecti priuato carnis vel cognationis amore, non timore compulsi potentiæ sæcularis, sed Dei procul dubio, voluntatem, sicut non ignorantes, ita nec dissimulantes, affirmatiuam *refutauerunt, ac securè* negatiuam *susceperunt, non autem debeo prætermittere Sanctos, qui mundo mortui, Deo melius viuunt, quorum vita abscondita est cum Christo in gloria, vbi certè studiosè inquirunt, & non dubiè inueniunt beneplacitum Dei, qui solliciti sunt quomodo placeant ei. Itaq; Camandulenses, VVallambrosani, Chartusienses, Cluniacenses, Cisterienses, & cæteræ Monachorum omnium congregationes;* (quibus ego addo Mendicantium omnium & aliarum, Religionum professores, aliquibus vnius, licet grauissimæ, religionis exceptis) *Vniuersitas denique & vnanimitas fratrum tam Clericorum quam Monachorum Regularis vitæ, probatæque conuersationis sequentes Episcopos tanquam greges Pastores suos*, negatiuæ *firmiter adhærcant, sincerè fauent, humiliter parent. Quid Reges & Principes terræ? Nonne in eodem spiritu, vna cum subiectis sibi plebibus* negatiuam *pariter amplectuntur? Quis postremo in quocunque ordine vitæ illustris & boni nominis homo id ipsum non sapit? Et tamen adhuc* hi *nescio qua contentiosa importunitate, & importuna contentione reclamant, vocant in causam orbem, & cum sua paucitate Vniuersitatem flagitant iudicari.* Hucusque Bernardus pro Innocentio, & nos adaptatim pro Maria. Si Bernardus dicit; Deum suum Iudicium monstrasse pro vera electione Innocentij, propterea quod tot nationes licet non vniuersæ, nec vniuersarum populi ei consenserint; quis eundem Deum voluntatem & mentem suam aperuisse pro Mariæ à peccato immunitate negabit, dum omnes vndique nationes, & omnium nationum incolæ hoc vnum credunt, & amplectuntur? Dum vna & vnica est omnium vox; Mariam nullum habuisse aut contraxisse peccatum, quis illorum improbare vocem, quis consensum despicere audebit? quis non illorum vnanimem sententiam paucorum tenacitati non iudicet præferendam? quis etiam vel hinc solum ab hac vniuersali consensione negatiuam, & piam sententiam non iudicet magno probabilitatis excessu alteram superare, dum magna & firma sit alicuius sententiæ assertio & veritas, vt ait Augustinus; *In qua ipsa tota orbe diffusa non à se discrepat multitudo.*

August. l. 1. contr. Iul. c. 2. tom. 7.

Perora-

Peroratio ad Sanct^mum Dominum.

HAec sunt (Beatissime Pater) piæ sententiæ, magna & valida fundamenta, non omnia, sed præcipua, quæ ad sententiam quamcunque stabiliendam, & indubitanter tenendam fortissima sunt, & efficacissima. Hæc sunt, quæ firmissimam reddiderunt negatiuam, & tanta soliditate firmârunt, vt iam è suo statu deturbari non timeat, & iam amplius moraliter (ne dicam physicè) falsa esse non posit. Hæc planè ostendunt quanta sit inæqualitas vtriusque opinionis, & in quo statu & terminis modò consistat (potius dicam languescat) affirmatiua. Tua Beatitudo in vltimo Decreto eam reliquisse declarauit in statu & terminis sub quibus tunc vigebat; subtracto solum quod in publicum prodiret, illa asignata ratione quod ex publica eius assertione multa & grauia scandala in populo Dei oriebantur; quod ex Prædicatoribus ipsis quidam, & doctissimi, & grauissimi confitebantur. In eo ergo statu, & terminis solũ illud habuit probabilitatis, quod à Summis Pontificibus fuerit tolerata, demus & patrocinio firmata, sed ideo ne grauibus censuris condemnaretur, in eo statu, & terminis, & prædicabatur, & tolerabatur. Nunc quia malum erat eam prædicari, hoc Tua prohibuit Beatitudo, quod exiguam eius probabilitatem non parum attenuauit, & adhuc demum toleratur in secreto, non quia ipsa in se sententia probabilis (quod nec Pontificum vllus dixit expresè) non quia vtilis Ecclesiæ, non quia credulitati necessaria, non quia populo proficua, non vltro & spontaneè; sed tacitis quibusdam de causis. At quod non vltro, permittitur, non approbatur, non laudatur, nec probabilis reputatur; *Imo* (cum Tertull. dicam) *prohibetur, quod non vltro est permissum.* Prohibetur tacitè, reprobatur implicitè, quod Ecclesiasticam turbat quietem, quod contentiones generat, quod lites fouet, quod tot tantasque perturbat nationes. Non ergo sola Pontificum permisio, quam solam habet, qua se tueatur, eam probabilem facit, aut interpretata concesio veram reddit; *Nec enim* (vt benè in alia materia dixit Bernardus) *ideo aut malum esse desijt, aut vel minoratum est, quia Papa concessit aut permisit.* Si ergo ex se improbabilis est, ex sola permisione nihil ei euenit probabilitatis, nec plurimum ei aufertur occasionis quam præbet scandalorum.

Auth. Manual. Præd. sæpius cit. Domin. Soto in cap. 5. ad Rom. Catherinus passim in suis l. pro Concep. Vincent. Iustin. tract. de Concep. §. 14. & alij.

Tertull. l. de cor. mil. c. 2.

Bernard. Epist. 7. ad Adam Monach.

Detecta igitur & agnita vtriusque inæqualitate opinionis, supplex orat, & humiliter rogat potentissimus Hispaniarum Rex Philippus III. Tuæ Beatitudinis, & Catholicæ Ecclesiæ humillimus, & obsequentissimus Filius, deprecantur etiam vniuersa eius Dominia, & amplissimæ Ditiones, sperantque & exoptant omnes in vniuersum Christiani, vt iam tandem iudicium ferat Tua Beatitudo pro negatiua sententia, tot tantisque rationibus probabilissima, tot tantisque fundamentis verissima, & certissima, tot tantisque lucris spiritualibus Christiano populo vtilissima, & maximè commodâ; & contrariam è Regione minimè probabilem, maximè molestam, & non modicum incommodam, pro bono Ecclesiæ, pro pace, & tranqnillitate Christiani orbis explodat. Tantorum etenim motuum, & rumorum causæ præferenda est pacis occasio, opinioni solum ab Ecclesia, licet non vltro, permissæ anteferenda est illa, quam approbat, quam laudat, quam fouet, quam spiritualibus confirmat Indulgentijs, quam cuncti in vniuersum desiderant & amplectuntur Christiani.

Tractatus Noni Finis.

Continuatio Historiæ.

AD hunc Tractatum facilè fassus est Sanctissimus Dominus multam, & magnam negatiuæ sententiæ probabilitatem, magno etiam excessu superare affirmatiuam, & potiores esse statum, & terminos piæ quàm contrariæ doctrinæ. Adhuc tamen Aduersarios contendisse dixit, suam è suo gradu non excidisse, nec omnem omnino probabilitatem exuisse; nec piam adeò indubiam; & irrefragabilem esse, vt propter eam contraria possit explodi. Imò addunt, inquit, quod si ad definitionem, quàm aliqui dicunt impossibilem, procedendum esset, pro sua, propter Scripturæ, Doctorum, & D. Thomæ auctoritatem necessario ferendam esse sententiam, nec posse, vel saltem non debere, ferri pro pia. Quippe per tot annos habuit non inualidos Patronos, & Promotores, nec vnquam, vt definiretur, obtinuerunt ab vllo Pontificum, nec à Sixto IV. nec à Leone X. nec à Concil. Trident. sub quibus de ea acriter actum est; & si intentanda esset vtrius partis definitio, non ex abrupto, & priuatim, sed auditis partibus,

&con-

& conuocato Concilio fieri debere. Ad hæc breuiter respondit Orator, leuiter pro temporis modulo, cuncta perstringens, &, qua potuit dexteritate, dissoluens, plures, & accuratiores rationes promittens in scriptis.

Sub hoc tempore quidam conquesti sunt in Vrbe, quod socius Reuerendissimi Patris Magistri Sacri Palatij, ad quem attinet ex Officio, Librorum Censura, vel Approbatio, quædam Opuscula, vel libros ab eis editos, vel translatos, in quibus quidquam agebatur de pura Conceptione, noluerit approbare, nec permittere vt Typis darentur. Querelas has, & homines ipsos detulerunt illi Hispalenses viri soliciti huius negotij Curatores, ad Oratorem, vt iniurias conquerentium, & ipsius negotij, quod ille peragebat, repelli curaret. Vt eorum vidit supplices libellos, seu memorialia, quæ vocant Sanctissimo Domino tradenda, eo tantas huius immaculatæ Conceptionis assertiones abradi, deleri, & commutari iussas, admiratus est tanta grassari in Vrbe, & in oculis Sanctissimi Domini circa hoc Mysterium licentiam. Querebundus ergo egit cum Sanctissimo Domino, cui vt ostendit obcæcationes, correctiones, & vocum commutationes in pluribus libris factas, non parum admiratus, & commotus iussit, vt liberè libri illi in lucem dari permitterentur.

Ita sanè necesse fuit obuenire tantæ supprimendorum testimoniorum, & testium immaculatæ Conceptionis libidini. Aliter etenim, vt plurimi cordati, & circumspecti viri querebantur, & verebantur; nullum nobis relinqueretur infra paucos annos huius pietatis vestigium. Nam in codicibus nouiter edendis nullam huius puri Conceptus fieri permittebant mentionem, in alijs iam excussis, sed iterum excudendis, quod in vna Editione habebatur, volebant supprimi in altera, ita vt quo magis Sanctissimus Dominus piæ opinioni fauebat, illiusque profectum desiderabat, eo magis studebant aduersæ tutores, vt abiret in obliuionem, & interitum. His detinebatur, & distrahebatur per hebdomadas aliquot Orator, ita vt ante Kalendas Octobris sequentem non potuerit offerre Tractatum.

ORATIO NONA
AD S.MVM D.NVM
PAVLVM PAPAM V.
TRACTATVS X.

Posse dirimi per diffinitiuam Ecclesiæ sententiam controuersiam de Conceptione B. Virginis Mariæ; non verò aliam, quam negatiuam, & piam opinionem posse de fide certam ab Ecclesia proponi, idque quantocius vt fiat, expedire, varijs probatur rationibus.

Sententia & fundamenta asserentium hanc controuersiam non posse ab Ecclesia definiri.

§. I.

1 *Negatiua fortius impugnata fortior euasit.*
2 *Modo hoc solum in Academijs inquiritur, an sola negatiua valeat definiri?*
3 *Quidam aiunt, hanc controuersiam non posse dirimi, alij solam affimatiuam posse definiri.*
4 *Vtriusque asserti fundamenta.*
5 *Quid Canum compulit, vt negaret hanc controuersiam posse definiri?*

BEATISSIME PATER,

Negatiua fortius impugnata fortior euasit.

1 MIrum, & magnum videbitur cuicunque qui rem attentius considerauerit, quomodo inter tam vastas contradictionis procellas, & magnas contentionum tempestates (quas, qui asserunt Virginem Mariam in peccato originali fuisse conceptam, excitârunt in piam de Virginis puritate sententiam) potuerit illa per tot sæcula salua consistere, & inconcussa manere. Mille etenim (quos recensere foret longum) excogitârunt modos, quibus eam oppugnarent, mille adinuenerunt artes, quibus eam, ab hominum memoria & disciplina relegare studuerant. At tam longè abest, vt illa inter hos fluctus, aut tempestates obrueretur, vel leuiter fluctuaret, vt potius quotidie securior euaderet, & cuncta superaret pericula; *Sed hæc est illa* (inquit Tulius) *magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem solertiam contraque fictas hominum insidias, facilè se ipsam defendit.* Contra omnium machinas se veritas defendit, variè impugnata

Cic. pro Marco Cœlio.

maiores

maiores agit radices; *Talis est veritatis status* (ait Chrysostomus) *vt etiam multis impugnantibus suscitetur.* Multi acerrimè, & pro suis quiq; viribus hanc impugnârunt; sed dum expugnare non poterant, suosque frustrari labores perspexerant, aliqui causæ cesserunt; alij prioribus relictis impugnationibus, nouas assumpsérnnt; alij in varias abierunt sententias. Tanta est inter illos in hac re diuersitas opinandi, & varietas in oppugnando, vt ipsis suis discordijs, huius sententiæ veritatem commendent. Quidam sæpius dixerunt hæreticam, iam communiter alij fatentur Catholicam, quam aliqui improbabilem asserebant, admittunt alij probabilem. Aliqui impiam dicebant, alij piam esse non diffitentur.

Chrysost. hom. de laudib. Petri.

2 Sed iam censuras has omnes euasit, superiorem obtinuit gradũ, ita vt iam Aduersarij, nec hanc condemnatam, nec suam definitam audeant asserere. Insuper tanto affirmatiuam superauit excessu, vt qui in Scholis vel Academijs de hac controuersia agunt, summam negatiuæ sententiæ probabilitaté agnoscentes, & affirmatiuæ infirmitaté perspicientes, solum illud modo disputant, an sola negatiua, quæ tantopere apud omnes fermè præualuit, possit vel debeat, aut expediat proponi ab Ecclesia, credenda de fide. Inter Aduersarios etenim inter quos iam conuenit non esse suam definitã, adhuc non constat de istius definibilitate. Quidam namq;, affirmatiuam vsq; adeo veram esse, & certam sibi persuadent, vt si res ad supremũ Ecclesiæ iudicium referatur, & diffinitiua feratur sententia, nec ferri posse pro negatiua, nec affirmatiuam posse ab Ecclesia condemnari contendant. Quod dum cęteri omnes ferè huius nostri æui Doctores, multis ijsque, apertissimis rationibus falsum esse demonstrant, aliam reassumunt alij cantilenã; & iam maximè cum apud Tuam Beatitudinem solicitè instari vident à Catholico Hispaniarũ Rege, omnibusq; sibi subiectis ac alijs Christiani orbis Principibus, varijs amplissimisque Regnis, præclaris, doctissimisque Academijs determinatim peti audiunt; vt pia sententia omnibus de fide credenda proponatur, & altera omnino reprobetur.

Iam solum dubitatur an sola possit definiri.

3 Docent etenim non posse definiri, vel dirimi hanc controuersiam, nec inter eas difficultates esse annumerandam, quæ Apostolicæ Sedis requirat Decisionem. Author huius asserti fuit quondam Melchior Canus, vir alioqui grauissimus, qui solus illud scripto firmauit. Modo verò sunt plurimi, qui, de sua causa fere actum esse, videntes, dictam assertionem, non libris exprimunt, sed susurris

Quidam aiunt non posse hanc controuersiam dirimi.

Can. l. 7. de locis c. 3. concl. 4.

ſurris communicant,& multis in Vrbe viris,& heroibus inſinuant. Quidam verò alij Aduerſariorum cum illis prioribus ſanius ſentiunt, dum controuerſiæ dirimendæ poteſtatē verentur Tuæ Beatitudini denegare: ſolum tamen illud, quod illi aſſerunt, certo & firmiter dicunt, poſſe de fide diffiniri.

Alij ſolam affirmatiuam poſſe d. fini.

Vtriuſque huius aſſertionis falſitatem promiſi, & expedire iudicaui Tuæ Beatitudini monſtrare; euidenterque oſtendere, tam certum eſſe poſſe hanc controuerſiam tuâ ſententiâ dirimi, vt qui aliter contenderit, aut contrarium ſciens & tenax aſſeruerit, nec bene de Eccleſiæ clauibus ſentire, nec ſane de tua poteſtate iudicare ſit cenſendus. Et vlterius probare intendo, tam ſanam, certam, & veram eſſe opinionem, quæ Virginem Sanctiſsimam à peccato defendit, vt pro illa ſola, diffinitiua poſsit dici ſententia. Illud autem æquius & facilius præſtabitur, ſi vtriuſq; aſſerti fundamenta, eò ſolubiliora, quo infirmiora, breuiter, ſed fideliter, præfigantur.

Vtriuſque aſſerti fundamenta ex Can.

4 Si quod poteſt eſſe apud neotericos prioris aſſerti fundamentum, quidquid qualeue illud ſit, reduci facilè poterit ad vnum ex tribus quæ leuiter attigit, & obſcure inſinuauit citatus Canus. Primum, quod neutra pars huius controuerſiæ contineatur in ſacra Scriptura, aut Eccleſiaſtica traditione firmetur. Secundum, quia ſunt parui momenti, & neque ad fidem, nec ad mores neceſſariæ ſunt hæ opinationes, ne dicat, inquit, factiones. Tertium, quod in duobus prioribus fundauit, videlicet, quia nec Sixtus IV. nec Concilium Lateranenſium ſub Leo X. nec Synodus Tridentina ſub Paulo III. inchoata eam quæſtionem definierint, non quia non voluerint, ſed quia non potuerint, inquit, idem, ſed inconſideratè, & liberius quàm par erat. Secundi aſſerti illa vel ſola, vel potiſsima ratio eſt, quod affirmatiua ſententia ſit conformior (vt aiunt) ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum Doctrinæ; contra quas deducunt non poſſe definiri.

5 Sed tenui certè fundamento ductus eſt in illam ſententiam Canus, quam acrius quidam Doctores impugnant, & alij aſperius reprehendunt. Iam ipſe præſentit æquos vel rigidos ſe habiturum viros, (inquit, planè doctos,) huius aſſertiones cenſores, quos placatū iri deſiderat, humili & ingenua ſua confeſsione, dum ait, nullam aliam ſibi patuiſſe viam ad Eraſmi argumentum eludendum, quo Sanctorum auctoritatem tentauit infirmare. Argumentum autem Eraſmi erat, vt affirmat Canus; Sancti omnes, qui in eius rei men-

Quid Canum in illā coegit ſententiam.
Can. 13. cit. c. 1.

rei mentionem inciderunt, vno ore asseruerunt Beatam Virginem in peccato conceptam, & nihilominus piè & probabiliter creditur in Ecclesia eandem Virginem ab originali labe fuisse præseruatam; ergo Patrum, & sanctorum Doctorum communi consensione nihil certi in Theologia conficitur. Cuius argumenti vim vt effugeret Canus, statuit pro conclusione (per quam Erasmo respondet) omnium Sanctorum auctoritatem in eo genere quæstionum, quæ ad fidem non pertinent, probabilem quandam eis tribuere fidem, omnino tamen certam non communicare. E contrario verò in ijs, quæ ad fidem attinent, maximæ certitudinis esse, illorum vnanimem sensum. Cum autem controuersia de Conceptione Virginis Mariæ, nullam habeat connexionem cum rebus fidei: quamuis vnanimiter (inquit) Sancti Patres senserint eam in peccato conceptam, non exinde, illud redditam certum, vt non posit probabiliter & piè doceri contrarium. Hic citati Authoris discursus, hoc illud, quod excogitauit, effugium, quo se ab Erasmi argumenti molestia liberaret, quam dum declinare nesciuit, in peregrinas has, & minimè à Theologis probatas, prorupit assertiones. Quibus certè viam strauerunt, & adhuc sternunt, qui quotidie inaniter iactant, omnes vno ore Patres eorum docuisse sententiam. Vnde necessè profectò habent vel cum Erasmo dicere, nullum firmum posse sumi argumentum ab vnanimi Sanctorum Patrum consensu, nec alicuius esse in Ecclesia momenti, dum in eadem iam probabilius & communius teneatur Virginem nunquam aliquod in aliquo instanti contraxisse peccatum; vel si dignam & æquam Patrum sententijs tribuere velint auctoritatem, huiusmodi vel futiliora effugia cum Cano necesse est, adinueniant. Facilius certè esset veritatem confiteri, admittendo nullum esse Sanctorum, vel ad summum vnum vel alterum (vt in speciali Tractatu de mente orthodoxorum Patrum antea dixi) qui expresè, & in rigore controuersiæ dicat Virginem in peccato conceptam, per quod æque & facile se expedirent ab Erasmi molestia, quàm in sua persistentes sententia, in tot se conijcere angustias, è quibus prædicta erumpunt incommoda. Non parua certè sunt hæc huius Auctoris. Dum argumenti Erasmi pondus velit vitare, nullius esse ponderis ait controuersiam de Conceptione; dum Sanctorum Patrum defendere cupit auctoritatem, Summorum Pontificum in ea decidenda negat potestatem. Profectò incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim, Cano 2. de lo. c. 11. post med.

rybdim, & vt ipse de Caietano dixit, volens leuiorem plagam repellere, grauiorem accepit.

Respondetur illorum fundamentis.

§ II.

6 Respondetur ad primũ Cani fundamentum, & ostenditur controuersiam hanc in sacra Scriptura fundari.
7 Contra secundum fundamentum probatur eam magni esse momenti.
8 Magnam habet cum fidei principijs connexionem.
9 Diffinitio huius controuersiæ non parum conducit ad populi & morum reformationem.
10 Euertitur tertium Cani fundamentum.

Ad primũ Cani fundamentũ.

6 QVam verò falsa sint hæc, quibus Canus suam stabilire voluit conclusionem, & ex quibus deduxit non esse diffinibilem hanc quæstionem, non est qui non videat. Primum etenim illud fundamentum, vt singula percurramus, adeo falsum est, vt nihil communius inculcetur, vel acrius obijciatur in hac controuersia; quam Scripturæ auctoritas, in qua vtriusque partis fautores suam edoceri opinionem contendunt. Vnde qui affirmatiuam tuentur, suam sententiam potissimè defendere, vnde firmius tueri conantur, quam è sacra Scriptura, in qua tam expressam esse olim iactabant, vt hæresis incusarent eum, qui contrariæ subscriberet? vnde commoti sunt antiqui Doctores Scholastici, vt affirmatiuam amplecterentur, nisi ex vniuersalibus illis Pauli locis, quæ quotidie pro se citant Aduersarij, sub quibus illi iudicabant comprehendi Mariam? vnde secundi asserti Auctores putant suam sententiam irrefragabilem, & condemnari non posse contendunt, nisi hinc, quod ita in sacra Scriptura illam doceri suspicientur, vt nequaquã ab Ecclesia pro hæresi reprobandam obiectent?

Quidam dicunt affirmatiuã in Scriptura fundari.

Alij negatiuam.

Alterius è contra opinionis sectatores, ita suam exprimi in varijs locis sacræ Scripturæ iudicãt, vt non pauca pro eadem vrgeant, vt in Tractatu vltimo de vtriusque opinionis inæqualitate monstraui. Nihil tam curant hi, quam negatiuam sententiam è pœnu sacræ paginæ depromere, & variè tam propheticè & mysticè, quàm signaliter & litteraliter illam è sacris litteris eruere. Multa & illustria sunt magnorum Doctorum huius rei testimonia, dum fundatissimè & grauissimè de Virginis immunitate præclaras explicent sacræ scripturæ auctoritates. Nullus fere est, ex omnibus qui de hac controuersia scripserint, & qui alterutram ex duabus defenderint

rint opinionibus, qui ſuam ſufficientem non putet, & dicat contineri in ſacra Scriptura. Temerè ergo ſolus Canus negauit vllam ex duabus inueniri in ſacris libris, dum & affirmatiuæ fautores ſuam, contrarij verò alteram in ſacris libris inueniri contendant. Qualiter verò, & quanto cum fundamento id aſſerant negatiuæ ſententiæ authores, præterquam quod in citato Tractatu id oſtenderim, aliquanto largius in reſponſione ad vnicum illud fundamentum ſecundi aſſerti monſtrabo; vbi & inſuper oſtendam deducta ab Apoſtolis traditione conſeruatam ſemper in Eccleſia fuiſſe piam opinionem.

7 Non ſat ſe dixiſſe putauit in primo fundamento, niſi & in ſecundo adijceret, non ſolum non ſpectare ad fidem, nec ad morum correctionem aut reformationem diſputationem hanc, ſed nec vllius eſſe momenti. Vnde cum Pontifices ſolum ex ſcripturis vel ex Eccleſiæ recepta traditione, aut ſatis nota reuelatione res definiendas eruere debeant, nec res merè Phyloſophicas, Mathematicas, vel pueriles aut exigui momenti definiant, hinc planè colligit, non poſſe hanc definiri quæ nec ex Scripturis depromi, nec traditione aut reuelatione indubitata conſtare poteſt, vt in primo fundamento dixit, ſed nec magni alicuius ſit in Eccleſia Catholica emolumenti. *Ad ſecundum Cani fundamētum de pondere huius controuerſia.*

Mirum certè, hominem in ſcholis verſatum, in diſputationibus exercitatum, & florentiſsimæ totius orbis Academiæ filium & magiſtrum, ita contemptibiliter iudicaſſe de controuerſia, quàm quotidie ſe coram acriter agitari videbat, in qua decidenda per tot ſæcula grauiſsimi orbis magiſtri deſudarunt, de qua in plenarijs, & generalibus orbis Concilijs non leuiter aut futiliter diſputatum vel actum eſt, pro cuius altera parte ad mortem vſque doctiſsimi homines decertandum approbant, circa quam tot ac tanta ſtatuere, & ordinare dignata eſt mater Eccleſia, cuius non ignobilis fit mentio in tot Apoſtolicis magnorum Pontificum litteris, imò & quam ipſe Canus *grauiſſimam* vocat. Quomodo non magni erit momenti, quæ licet momentaneum, tamen graue, & mortale, vel conſtituit, vel negat peccatum in B. Virgine? Paruæ molis erit, crimen inferre gloriæ noſtræ, vel culpæ fœditatem ab ea procul relegare? Ita leue ducit tantam tamque inſignem prædam tradi Sathanæ, vel creaturarum nobiliſsimam ab eius vendicare ſeruitute? *Oſtenditur magni eſſe momenti.* Can. cit. c. 4. concl. 4.

X Tantæ

Tantæ molis erat, eandem ſacratiſsimam Virginem à peccato veniali, vel leuiſsimo defendere, vt non ſolum viriliter magni nominis Doctores, ſed & Concilia contra hæreticos docuerint firmiſsime eam nullum quantumuis exiguum commiſiſſe, & nullius ponderis erit ſi dicatur originale mortiferum contraxiſſe? Quot ſubierunt labores, quas ſuſtinuerunt contradictiones, quid non impenderunt ſtudij, & quas non exercuerunt vigilias ſanctæ Eccleſiæ Patres in defendenda perpetua Virginei corporis pudicitia, & illibata Virginitate Mariæ, pro graui ducentes incommodo, ſi aliquid quod Virginis non eſſet, aliquando Virgo pateretur; aut fœmineæ conditionis dedecus vel infirmitas, quæ ſine crimine potuit ineſſe, ſacratiſsimæ inureretur heroinæ. Et ſi ſingula ſingulis comparemus, pro leuiori iudicandum erit ignominiâ, ſi non illæſam quis dicat in mente, quam ſi corruptam affirmet in clauſtro? At vero Virginale ſignaculum ſemper retinuiſſe inſolutum de fide definitum eſt. Vt quid, ergo negabitur non tanti fieri animæ pudicitiam, & puritatis integritatem, vt nec fidei nec definitionis cenſeatur materia? Quando Virginem indubitatam canonizat Pontifex, definit aureolam Virginis habituram in gloria, quæ parui res eſt momenti, reſpectu præmij eſſentialis; & quod maximum eſt priuilegium Virginis, nulli alij homini conceſſum, à contrahendo liberari ſeu præſeruari peccato, quod in eminentiſsimum tantæ Virginis redundat honorem, tanquam futile & inane quid, non poterit definiri? Quot ſunt minoris momenti res in ſacra Scriptura à Spiritu Sancto reuelatæ, & à cunctis pro definitis credendæ? Cum toties in ſacra pagina peculiaria hominum facta definita ſint, ſanctorumque hominum innocentia, in culpis impoſitis ab Eccleſia declarata, quis ſanæ mentis homo hanc controuerſiam de Virginis omnimoda innocentia, vel nullius momenti eſſe dicat, vel tenaciter materiam non eſſe definitionis affirmet? Planè viros omnes doctos, vniuerſaſque Europæ Academias leuitatis & pueritiæ condemnabit: quippe qui de lana caprina contendant, dum adeò acriter & continuis diſputationibus, multiſque editis codicibus huic controuerſiæ aperiendæ incumbunt, omiſsis tot tantiſque alijs difficultatibus, quibus decidendis potuiſſent intendere. Eccleſiam etiam incuſabit, quod tam ſerio ſe occupauerit toties

circa

circa hanc materiam, quod publicas in Vrbe, & in magnis Academijs haberi iusserit de ea disputationes, quod pro negatiuâ promouendâ diuinum instituerit cultum, & speciale ordinauerit Officium, quod Indulgentias amplissimas pro eadem colenda, seu sectanda per externa diuini cultus indicia dispensauerit, quod tot Diplomata rem hanc concernentia, ediderit, quod tot dissensiones, rixas, discordias, & scandala, ex hac controuersia exortas, compescuerit. Multos & pœne omnes Ecclesiarum Rectores, & Magistros de superstitione, necesse est vt accuset, dum rem, nec fidem nec mores concernentem, nulliusque vtilitatis aut momenti in suis Ecclesijs & Diocœsibus tantopere curant celebrari.

Vellent Aduersarij se modo retrahere.

Nouum non est, nec insolitum; sed familiare nimis ijs, qui sententias aliquas adinueniunt, vel suscipiunt defendendas, eas totis viribus, & verbis, si opus est, propugnare, & contrarias impugnare; & si male in disputationibus succedit, vel ab Aduersarijs superantur, de suisque timent opinionibus, cum honore se velle retrahere, nouosque modos excogitare, quibus suis placitis possint cauere, ne pænitus explodantur, aut condemnentur. Dum contrarios possunt, aut licet cum aliqua spe victoriæ impetere, nihil non dicunt, in cœlum vsque suam sententiam tollunt, & aduersam varijs afficiunt censuris. Quoties nostri Aduersarij dixerunt, & scriptis firmarunt tam grauem esse, hanc controuersiam, vt præcipua nostræ fidei Mysteria vel comprehenderet, vel concerneret, & nostram sententiam multis capitibus esse hæreticam, tum quia contra sacram Scripturam, & communem Patrum sensum, tum quia Christum vniuersalem negabat esse Redemptorem, tum quia Virginem Christo æquabat, vel ab eodem negabat redemptam; tum demum ex alijs multis titulis, quos videre est apud Bandelum in vtroque Tractatu, apud Spinam in editione libri Turrecremat., qui sexaginta ex eadem deducebat hæreses, vel manifestos errores, imo & apud D. Thomam varijs in locis suæ doctrinæ ex quibus deducebat Ferrarien. secundum eius mentem hanc sententiam vel pænitus esse hæreticam, vel planè erroneam: quamuis ipse deductionem hanc propter litteras Apostolicas, eam condemnantes, non approbauerit. Nunc cum de sua actum opinione vident, & periculum instare, vt condemnetur, vel totaliter reprobetur, tanquam canentes receptui,

Ferrar. 4. contra Gent. cap. 50.

 dicunt

dicunt non esse de ea amplius agendum, indignamque esse, propter quam inquietetur populus Christianus, vel recurratur ad Sanctissimum Dominum pro definitione, quippe quæ leuissimi sit ponderis, & nullius momenti: Admiror tantorum virorum in hac re Consilium.

Ad fidem etiam pertinet hæc controuersia.

8 Quomodo etiam fidem non concernet controuersia, quæ non alijs fundamentis, quàm fidei principijs agitatur? Quomodo affirmantes suam vrgent sententiam? Vnde eam deducunt? Nonne ex illo fidei principio omnes naturales filios Adam proprium traducere peccatum? An non ex illo fidei articulo Christum vniuersalem esse omnium redemptorem? Nonne ex illo fidei dogmate omnes peccato mortuos, pro quibus vitæ restituendis Christus mortuus est? Nonne similiter negatiuæ assertores suam stabiliunt sententiam multis priuilegijs, quæ de fide constat Beatæ Virgini fuisse, concessa? Ex ipsa fide norunt multas vniuersales fidei regulas quasdam passas exceptiones. Dei domum docet fides decere sanctitudinem, Dei sacrarium omnimodam sanctitatem, patris filiam magnam excellentiam, filij matrem innocentiam, Spiritus Sancti sponsam puritatem. Quæ an ad originalem, seu primum originis instans extendi debeant, controuertunt & inquirunt Dei potentiam (quam infinitam esse fides docet, & ad hunc se effectum extendere posse) eiusque summam bonitatem (quibus & Angelos, & primos homines in gratiam creauit) non inaniter suæ opinionis fundamentum constituunt, easque non exerceri nec demonstrari potius debuisse in Angelis, Adamo, & eius consortio, quàm in ipsâ Dei Matre Creaturarum omnium excellentissimâ, argumentantur. Christum etiam sed excellentiori modo Redemptorem eius affirmant, pro ea mortuam concedunt. An autem hic modus redimendi admitti debeat, vel an illæ vniuersales regulæ Scripturæ de originali contrahendo, sine vlla exceptione admittendæ sint, ita vt nullum, nec Virginem sacratissimam à contractione originalis eximere liceat, sicut iam exempta est ab alijs vniuersalibus & peccati & pœnarum; Vt hoc sciatur, vt hoc decidatur, tam leue, tam futile debet censeri? Tam alienum & peregrinum à fide? De fide licet neutra pars formaliter sit, ad fidem certe controuersia ipsa pertinere censetur, quæ tantam habet cum fidei principijs connexionem, & supernaturalia hæc habet fundamenta.

Num-

9 Numquid & ad morum reformationem, & magnum populorum in fide & deuotione profectum huius controuersiæ decisionẽ conducere æquè & sanè quis negabit, dum ex alterna concertantium contentione non leuibus afficiantur vndique Christiani perturbationibus, magnis & grauibus feriantur scandalis, & ex dissidentium Doctorum & sibi inuicem obtrectantium Prędicatorum æmulationibus, verbis immodestè prolatis, & illatis iniurijs, nimiã sibi sumpserint licentiam de eorum vita, & doctrina iudicandi, eosque in fabulis & prouerbijs habendi. Si tollantur huiusmodi scandalorum causæ, si præscindantur perturbationum occasiones, si extinguantur dissidia, si supprimantur molesti rumores, si & detractiones, & murmurationes inter factiosos, & propriæ opinionis amicos, per definitionem compescantur; si per huius controuersiæ vltimam decisionem, tot tantaque mala & incommoda è Republica Christiana dimoueantur, tam exigui erit emolumenti, tam leuiter conducet, ad populos intra Christianæ virtutis & charitatis regulas continendos, tam inefficaciter conferre videbitur, ad eosdem à detractione, inueteratis dissidijs, abintestinis bellis, malis exemplis, & Ecclesiarum perturbationibus cohibendos? Parum an nihil proficiet populus, si definiatur Beatissimam Virginem à peccato præseruatam, per quod à superioribus retrahatur excessibus, & ad Maiorem Dei Genitricis accendatur deuotionem, in qua nulla displiceat macula, nulla deterreat iniquitas, nulla non delectet pulcritudo, & nullum vitæ eius consideretur tempus, aut instans, in quo pura non fuerit & sancta? Nonne ad fidem populi firmandam valebit, dum viderit, quod Ecclesia celebrat, ab eadem constanter doceri? Nonne ad maiorem reuerentiam Ecclesiastici cultus excitabitur, si tunc ei certum esse constiterit, quod celebrat; quodque incertum esse, & improbabile à quibusdam audit inculcari? Fidem certe concernit res ista; ad mores attinet, quos, si definiatur, reformabit, & mutabit in melius, vnde magni plane controuersia hæc censenda est momenti & emolumenti.

Ad p pulo & morum reformationem, eius conducet definitio.

10 Quod his subiunxit Canus, & quo prædicta confirmat, est, nec Sixtum IV. nec Concil. Lateran. aut Trident. controuersiam hanc diremisse quantumcunque sub illis, vel illorum tempore, agitaretur. Verum refert, admittimus; sed adijciet aliquis id prætermisisse Pontifices, & Concilia, vel quia tunc non expedierit, vel

Ad tertiũ Cani fundamentũ.

quia non placuerit finem huic dare quæstioni. At non inquit Canus: *Sed quia neutram ex illis opinationibus poterant tanquam dogma Catholicum approbare.* Temerè certe dictum, & inconsulto, ne grauiorem notam adijciam. Quis enim Catholici nominis vir, Catholicæ Ecclesiæ Magistro, & summo Rectori datam sibi potestatem dignoscendi inter lepram & lepram, vera à falsâ doctrinâ discernendi & sacræ Scripturæ sensum aperiendi, negare audebit. Rem certè grauem attigit Cano, magnum mouit lapidem & nimis liberè negauit, vel in dubium illud reuocauit, quod necesse est, vt in confesso sit apud omnes. Quod paulo fusius ex multis capitibus euidenter ostendam, vt Tua Beatitudo indubitanter agnoscat, & hanc quæstionem esse definibilem, & ad eius decisionem à Deo potestatem tibi desuper esse concessam, ac postea causam assignabo cur hucusque ab hac sententiâ definienda Summi se abstinuerint Pontifices.

Variè probatur huius controuersiæ diffinibilitas.

§. III.

11 Omnes Scriptores etiam Aduersarij, admittunt hanc controuersiam esse definibilem.

12 Idem docetur manifestè à pluribus Summis Pontificibus.

13 Probatur hoc idem ex eo quod ad Pontificem spectat dubia loca Scripturæ explicare.

14 Quia etiam ei conuenit dubia Conciliorum Decreta declarare.

15 Maiores etiam Ecclesiæ causas decidere.

16 Quia Romana Ecclesia magistra est cæterarum, & Pontifex Doctor populorum.

17 Quia Romanus Pontifex legitimus est Iudex in rebus dubijs, & controuersis.

11 POstquam Canus de diffinibilitate huius quæstionis dubitauit, nullus fermè est, qui non firmè & expressè docuerit contrarium. Nec enim ex ipsis Aduersarijs (vt supra aduerti) vllus calamo Cani sententiam firmauit, licet aliqui sint qui vocetenus, vt definitionem remorentur, aut Pontificem ab ea edenda detineant, illam non cessant quibusdam sedulò inculcare. Concors est Scriptorum omnium in contrariū subscriptio. Imò & prçclarissimos & præcipuos ex Aduersarijs iam proposui Tuæ Beatitudini in Tractatu de exacta consideratione huius rei, instantissime petijsse à Sede Apostolica vt definiretur. A Concilio œcumenico Basilien. & tunc legitimo sub Eugenio IV. definitionem petiuit Turrecremata, à Lateranen. sub Leone X. Caietanus, à Tridentino sub

Omnes Scriptores etiam aduersarij admittunt controuersiam hanc esse definibilem.

Tract. 3. n. 19.

sub Paulo tertio Catharinus, Bartholomeus de Spina, & Albertus de Duimia, omnes Prædicatorij ordinis, eandem obnixe efflagitarunt. Quod ergo Scriptorum nullus nec ex ipsis affirmatiuæ assertoribus aut quisquam noti nominis vir scripto aliquando negauit, sed vel expresse asseruit, aut procerto euidentius supposuit, temere solus negauerat Canus, vel qui modò eius hanc disseminant doctrinam.

Idem ex ipsis Summorū Pontificū verbis ostenditur.

12 2. Controuersiam hanc esse definibilem ex tuamet ipsa (Pater Beatissime) sententia, tuorumque prædecessorum verbis efficacius ostendo. Sixtus etenim IV. cum prohibuisset in extrauag. *Graue nimis*, anno 1483. Pridie nonas Octobris editâ, ne sententia affirmatiua damnaretur, aut grauioribus censuris inureretur, rationem subdidit, dicens; *Cum nondum sit à Romana Ecclesia vel Apostolica Sede decisum*, prædictam videlicet sententiam tenentes, hæresis, vel mortale crimen incurrere. Quam extrauagantem Alexand. VI. in extrauaganti, *illius qui se*, eisdem recitatis verbis ann. Dom. 1502. 10. Kalend. Martij, Concil. Trident. Sess. 5. de peccato originali anno Dom. 1546. die 17. Iunij, Pius V. & Tua Beatitudo litteris & annis statim citandis, confirmauerunt. Præcitatus etiam Pius V. in constitutione. *super speculam*; quâ ann Dom. 1570. Pridie Kalend. Decembr. prædictam Sixti stabiliuit, postquam plura circa hanc controuersiam ordinauit, præcipue, ne coram promiscuo vulgo, aut populo, vulgari sermone quæstio, aut mentio de ea fieret, licentiam fecit viris doctis in Academijs, & coram ijs, qui rem capere possent, de ea agere, & disputare; *Quandiu* (inquit) *per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata.* Vbi non qualicunque, sed rigorosa fidei definitione, qua vna pars approbaretur pro vera, & sana doctrina, altera pro falsa, & execranda reijceretur expresse; supponit tanquam indubitatum controuersiam hanc posse decidi. Hanc etiam constitutionem Tua Beatitudo relatis formaliter ijsdem verbis reualidauit. Ac tandem Tua Sanctitas in Diplomate, *Regis pacifici*, anno Dom. 1616. die 6. Iulij supra nominatorum tuorum prędecessorum fælicis memorię Sixti IV. & Pij litteras multis adiectis censuris, & pœnis statuit inuiolabiliter obseruari. *Donec* (inquis) *à Romana Apostolica Sede huiusmodi controuersia fuerit definita.* Qua temporis restrictione, tempus offerri posse euidenter ostendis, in quo & hæc definiatur quæstio, & liceat fidelibus non stare supradictorum Pontificum ordinationibus,

cum & erronea, & temeraria, vel hæretica damnata sententia possit censeri & proclamari. Quarto & vltimo in Decreto postremo de hac re coram te, & per te, seu tua authoritate edito anno 1617. 31. Augusti cautum est, ne in vllis publicis actibus aliqua mentio fieret sententiæ affirmatiuæ in posterum *donec articulus huiusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit definitus*. Credendum ne est his verbis, vel in alijs aliorum Pontificum citatis eos voluisse fidelibus imponere, vel illudere, ac tam expressis suppositionibus decipere, vt putarent fieri posse ab Ecclesia, quod minimè est factibile, & crederent Apostolicam Sedem definituram aliquando, quod nequaquam definiri potest? Numquid nundinare voluerunt Pontifices suam potestatem, aut desiderarunt ab hominibus credi sibi inesse authoritatem ad ea, quæ illorum superant vires, quasi suo cauentes honori, ne aliquod detrimentum inter homines pateretur, dum quidquam viderint in Ecclesia acriter controuerti, quod Ecclesiæ Pastor non possit definire? Indigna certè Christiano viro consideratio, & iniuriosa tam claræ formulæ loquendi, explicatio. Nullus est, Pater Beatissime, qui hæc verba vel legerit, vel audiuerit, & tantummodo intellexerit, qui vel leuiter dubitare audeat, an à Tua Sanctitate possit hæc controuersia definiri. Non est qui melius de tuis verbis queat iudicare, quam tumetipse, Pater vere Sancte, qui eas protuleris; quid in illis intellexeris, tecum ipse considera.

Idem probatur ex authoritate Pontif. ad definienda loca Scripturæ.

133. Vt ex ipso Cano rem vlterioribus rationibus probemus, animaduertenduũ in Concilijs œcumenicis tribus, Basil. Lateranen. etiam (si Cano & Caietano credamus) & Trident. actum esse de hac controuersia, & de vero & germano sensu quorundam locorũ vniuersalium sacræ Scripturæ de peccato originali. an scilicet salua fidei veritate possit aliquis ab eisdem excipi? Quod euidenter patet in illo Decreto, sed debili & nullo Basilien. in quo dicitur, quod *inspectis authoritatibus &c. quæ pro vtraque parte tot annis afferebantur &c. pars negatiua erat conformis sacræ Scripturæ*. De Lateranen. idem habetur ex Cano citato, & opusculo Caiet. ad Leonem X. de Tridentino ex eius Decreto, & Decreti declaratione, ex Doctoribus multis, qui testes interfuerunt oculati illi Concilio, & disputationibus eiusdem Synodi, quæ in tuta custodia Turris Sancti Angeli asseruantur; sed Canus docet, quod & Catholicus nullus negauit; *Si inter Patres Concilij est controuersia de intellectu sacrarum Scripturarum, solum Romanum Episcopum posse de ea iudicare & litem componere,*

Cano l. 6. c. 7. § Præterea si inter.

verum

verum & rigorosum sacri textus sensum definiendo. Potuisset ergo Eugenius IV. in Concilio Basiliensi, si vellet; & sub eius maneret obedientia Concilium. Leo X. in Lateranen. & Paulus III. alijve succedentes Pontifices in Trident. definire an Virgo comprehendatur sub generalis sacræ Scripturæ regulis, an vero à communi hominum maculâ & sorde venerit excipienda, per quod clarius nobis constaret de vero intellectu locorum, quæ ex sacra pagina vtrinque afferunt Doctores. Idemq; omnes alij Pontifices extra Concilia declarare & docere potuerant, dum ex Concilijs illorum nequaquam pendet authoritas.

14 4. Similiter dubitatur de vera intelligentia quorundam Decretorum de necessaria & vniuersali contractione peccati originalis, in omnibus hominibus, factorum in varijs Concilijs, vt in Mileuit. authoritate Bonifacij primi coacto, in quo strenuum se gessit August. fidei athletam, cuius Decretum refertur in cap. Placuit de consecrat. dist. 4. & in Concilio Florentino sub Eugenio IV. pro Iacobitis aliud simile (qui quibusdam credamus) conditum est Decretum, vt vltimum illud Tridentini omittamus. At, inquam, dubitatur an sub eis Decretis contineantur omnes, nemine excepto, vel liceat ab eis eximere B. Virginem Mariam: sed in dubijs, quæ in huiusmodi rebus fidei oriuntur, Romanum Pontificem verum & legitimum esse iudicem ait Canus citatus, ad quem omnium Conciliorum conuocandorum, & continuandorũ iura, & dubia referenda esse docet, multis collectis cap. 4. Summorum Pontificum sententijs. Cum igitur in hac controuersia graue sit dubium, circa supracitatorum, & aliorum Conciliorum verba & Decreta, consulendus erit Romanus Pontifex, qui iudicet an Maria sub illis comprehendatur, an vt immunem & liberam à graui iugo filiorum Adæ, vere & secundum fidem tenendum sit eam ab illis esse excipiendam.

Quia etiã possunt declarare Decreta Conciliorum.

15 5. Maiores Ecclesiæ causas esse referendas ad Roman. Pontificem, vt ab eo decidantur, docet idem Canus cap. 4. multis constipatis, tam Conciliorum, quam Summorum Pontificum & Patrum sententijs, quibus id egregie comprobat, Anacleti Epistol. 1. De oppreßione Episcoporum, Euarasti ad Episcopum African. Alexandri primi ad omnes Orthodoxos. Zepher. ad Episcopos Sicilianos. Leonis primi Epistola Synodica ad Petrum Antiochenum Patriarcham, & definitur in Concil. Viennen. in alijsq; fidei Decre-

Quia maiores Ecclesiæ causæ ad eos sunt referendæ.

Decretis idem paſsim inſtituitur; ſed modo in Eccleſia nulla maior hac cauſa adeo acriter agitatur, tot tantaſque moleſtias vniuerſali præbet Eccleſiæ, aut particulares tantopere perturbat. Referenda ergo erit ad hanc ſacratiſsimam Sedem, à qua tantæ diſcuſsionis fœlicem habeat exitum.

Quia Romana Magiſtra eſt omnium Eccleſiarũ.

Et Romanus Pontifex omniũ Doctor populorum.

16 6. Romana data eſt tanquam Mater, & Magiſtra cæteris Eccleſijs à qua foueantur, & doceantur, vt habetur cap. omnes D. 22. in Concil. Lateranen. ſub Innocentio III. in Lugdunen. ſub Gregor. & altero Lugdunen. ſub Innocentio IV. ac omninò tradit Trident. Seſſ. 7. Et Romanus Pontifex, Pater & Doctor eſt omniũ Chriſtianorum, vt expreſsè docuere Patres Concilij Florentini, & Synodus Romana ſub Symacho, & refertur 96. D. c. Benè, & tenet author quæſtion. vet. & nou. Teſt. apud Auguſt. quæſt. 89. quod & multis vrget idem Canus proximè citatus. At particulares Eccleſiæ fluctuant, vel ſaltem laborant varia tantorum diſſenſione, circa veritatem huius quæſtionis, & Chriſtiani ferè omnes quotidianis concutiuntur litigijs, difficultatibus, & ſcandalis ex eadem emergentibus. Ad Matrem ergo, & Magiſtram; ad Patrem, & Doctorem, Romanam Eccleſiam eiuſque Pontificem recurrendum, pro vera, & certa ſolutione, vt claue ſcientiæ tantum dubium aperiat. *Data eſt enim* (inquit ipſe Canus cit. cap. 3. propoſitione 3.) *tam Petro quàm ſucceſſoribus eius, clauis non minus ad tollendam ignorantiam, quàm ad tollenda peccata.*

Quia Rom. Pontif. Iudex eſt in rebus dubijs.

17 Vltimo tandem in rebus dubijs grauioribus ſolus Romanus Pontifex, Iudex conſtitutus eſt in Eccleſia, quem ſemper Patres omnes, ac aliarum Prælati Eccleſiarum conſuluerant. Ita Leonem conſuluit Theodoretus. Damaſum Hieronymus. Concilij Carthaginenſis Epiſcopi; Zozimum, Chalcedonenſe, Leonem, quod & reliqui obſeruarunt Patres, & cætera fecerunt Concilia, docuitq; diſerte, & catholice faciendum Cyrillus in lib. Theſaurorũ, vt refert Turrecrem. libr. 2. ſuæ Summæ de Eccleſ. c. 7. *A Romano* (inquit) *Pontifice noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere teneamur, ipſum rogantes, ipſum venerantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſoluere & ligare, loco illius qui ipſum ædificauit, & elegit.* Sed & D. Gregor. omnium ſententia humillimus, qui nihil ſibi credendus eſt arrogare voluiſſe, præter æquum & rectum, ad Epiſcopos Galliæ ſcribens, ait; *Si quam contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium emerſerit,*

Turrecr. l. 2. ſum. de Eccl. c. 7. Cyrill. Alexand. l. Theſau.

Gregor. Epiſt. 52. ad Epiſc. Galliæ.

cuius

cuius vehemens fortasse sit dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinatâ diligentiùs veritate, relatione sua studeat, ad nostram perducere rationem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententiam terminari. Nec inauditum certè, aut nouum sibi hoc priuilegium vsurpauit sanctus Pastor, eiusve prædecessores, cum & à tempore Petri ita vsitatum fuerit in Ecclesia, imo & in ipsa Synagoga ad Summum Sacerdotem deferri solitum erat causas omnes grauiores, vt doctissimè docet Innocent. 3. cap. per Venerabilem, qui fil. sint legit. ex illo Deuteronomij 17. *Si difficile atque ambiguum iudicium esse perspexeris inter causam & causam &c. surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes &c.* Et Bernardus lib. 2. ad Eugenium c. 6. ex alio simili loco Exodi. 18. optime auctoritatem hanc Romani Pontificis deducit. Cum etenim suos Iudices quorum sententiâ omnis dirimeretur controuersia, habuerit Synagoga, suis certè non carebit Ecclesia; *Quæ* (vt probe argumentatur Canus, & latius prosequitur Albertus Pighius lib. 2. de Eccles. hierarc. cap. 2.) *cum ex tam varijs nationibus linguis, ingenijs, institutis, emerserit, necesse est, vt plures grauioresque habeat de Fide & Religione controuersias quas nisi huius Reipublicæ Princeps valeat componere, Ecclesiæ profectò forma & species turpissima est, & fors multo quàm Synagogæ deterior.* Hæc igitur controuersia, quæ tantopere ad fidem, & credibilia accedit, cum ijsque habet connexionem; & ad Religionem & Diuinum cultum expresse, & proprie attinet; ad Summum Sacerdotem, & supremum Iudicem, adducenda erat, vt illius valeat sententiâ terminari. Vnde parum consequenter ad vera & Catholica hæc sua principia, & à se posita fundamenta, Canus negauit posse à Summo Pontifice controuersiam hanc definiri.

Deut. 17. 8. & 9.

Can. l. 6. c. 3 propos. 3.

• Quare alij Pontifices sub quibus de hac actum est controuersia, eam non definierint.

§. IV.

18 Cur Sixtus IV. quæstionem hanc non dissoluit.

19 Nec Leo decimus.

20 Nec Concilium Tridentinum.

18 CVr vero nec Sixtus IV. nec Leo X. in Concilio Lateranen. aut Patres orthodoxi in Concilio Tridentino controuersiam hanc non definierint, quantumuis sub eis de ea actum sit, aliæ sunt causæ vrgentiores, & veriores illâ, quam assignauit Canus. nec enim ex defectu potestatis illud prætermiserunt, vt osten-

Cur Sixtus IV. controuersiam hanc non dissoluit.

ostendimus, sed quia pro tunc non expedierit, vel quia satis prouisum putauerint scandalis, per suas constitutiones, ex eisque satis colligi potuisse ab ingenuis viris, totius controuersiæ sufficientem decisionem. Sufficiens remedium se adhibuisse putauit Sixtus IV. dum pro opinione pia sectanda, & propugnanda contra Aduersarios, Festum immaculatæ Conceptionis, tot indulgentijs, & proprio assignato Officio, in quo clarè mens videretur Ecclesiæ, commendauerit fidelium Vniuersitati. Nec consultum tunc putauit vltima sententia rem definire, aut pro pia opinione definitionis ferre iudicium quando adhuc multos, & egregios habuit affirmatiua fautores. Noluit immodicè, vel amplius Aduersarios exulcerare, qui tam indignè ferebant Pontificis propensionem in piam, vt multa audacter nimis in ipsum institutumque ab eo Festum dixerint, quæ Sancto Pontifici tam absona, & temeraria visa sunt, vt propter illa compescenda, & condemnanda grauem illam ediderit extrauag. *Graue nimis* incipientem. Tunc etiam non adeo detecta erant huius sententiæ firma ac sana fundamenta, sicut modo; nec tantum tunc superauit contrariæ probabilitatem, vt æquum videretur affirmatiuam, quæ tunc sua aliquali probabilitate vigebat, pænitus pro hæretica condemnare. Tempus putationis tunc non aduenerat, in aliud maturius differenda erat diffinitio. Sat se fecisse putauit Sixtus, dum (vt ait Ioan. Maior) iudicauerit præclaros Ecclesiæ filios, sua sententia cessuros, quam ille contrario Ecclesiæ cultu, & Pontificis iudicio latenter explosit, & occultè infirmauit.

Maior in c.1. Lucæ

Nec Leo Decim. Caietan. opusc. de Conc. c.1 & c.5. in fine.

19 Leonem autem circa hanc controuersiam aliquid intentasse, vel de ea agere voluisse, nobis non constat; solum habemus testem Caietanum, propositum fuisse Sancto Pontifici, vt eam dirimeret in Concilio Lateranensi. At nullum in eo factum est verbum de hac re. Nec placuisse opinor Pontifici, vt de ea ageretur, aut vt circa illam, vel alias quæstiones, quæ fidem concernerent, quidquam definiretur. Solum videmus dubium illud de animæ immortalitate, & in quouis homine vnitate, determinatum in illo Concilio Sess. 8. sub Leone, propter tunc instantes & repullulantes de hac re errores. Synodus namque illa ob id maximè coacta est à Iulio II. ad extinguendum schisma conciliabuli Pisani, ad stabiliendam Ecclesiæ pacem, ad Romanæ Curiæ, Ecclesiæque ministrorum reformationem, & publicum regimen in melius reducendum, vt in actis illius Concilij, in litteris etiam Indictionis

ipsius

ipsius Iulij, & in notis Seuerini Binij ad verbum *Concilium* habetur, imò & ipse Caietanus fatetur, & planè insinuat in Oratione à se habita Sess. 2. in qua præcipuè vel solum ad pacem Ecclesiæ superinducendam, & condemnandam congregationem illam Pisanam Patres hortatur. In eo ergo Concilio de his rebus solũ vel maximè tractatum fuit, non de explicandis Mysterijs fidei, aut statuendis Doctrinæ reuelatæ articulis. Noluit proinde Leo, qui sub Sess. 5. illius Concilij creatus est Pontifex, immorari, in terminandis hac, vel alijs quæstionibus, ne protractis in longum disputationibus, in immensum abiret Conciliũ, & longius quam expediebat, differretur reformatio morum, & redintegratio pacis, hisq; obinde penitus supersedendum iudicauit. Si ergo sub illo actum non sit de ea, non est cur obijciatur aut iactetur eum illam non definijsse quia non potuit: sed quia non voluit; nec de ea vllatenus fuerat necessarium fieri tunc quæstionem.

20 In Concilio verò Tridentino licet non fuerit definita, satis tamen fautum est piæ opinioni, dum & cautum, ne putaretur Virginē in decreto facto, de credendo in omnibus hominibus peccato originali, fuisse comprehensam, & iussum est obseruari Sixti Constitutiones, quas vehemēter fauere sententiæ de præseruatione Virginis ab originali, largius ostendi Tuæ Beatitudini in Tractatu de sensu Festi, & fatetur ipse Caietanus, prætēr quam quod & ipsæ hoc manifestè declarant. Cur autem tunc omnino non fuerit lis ista soluta, rationem reddit Ambr. Catharinus, sub his verbis ad Pontificis legatũ, & Præsidentes eiusdem Concilij. *Cum ab hinc ferè sexennium istic Tridenti ageret sancta Synodus, ad id potissimum congregata, vt hæreses, & zizania, quæ in agrum Domini irrepserant, tollerentur, & eò iam peruentum esset, vt de originali peccato tractaretur, plæriq; ex Patribus admonebant optimũ esse, atq; opportunum speciali decreto eam sententiã de immacul. B. Virginis Conceptione, quæ dudum à cunctis prorsus Ecclesijs solenni ritu celebratur, & colitur, ita probari, ac statui, vt iam vlterius non liceret cuiquam ea de re secus vel asserere, vel opinari. Sed quibusdam, licet admodum paucis, tunc non placuit (nec vt verũ fatear) mihi quidem ipsi, non quod rem ipsam vehementer non optarem: vt potè sanctam, & Christianæ fraternitati congruentē, quæ in primis eundem in dogmatibus sensum, eandemq; in cultu Dei obseruantiam poscit: sed quod consultius pro conditione temporum videbatur, prius aduersus hæreses manifestas intendere tum illa aggredi, quæ inter Catholicos controuersia digna viderentur decisione.* Refert Concilium congregatum fuisse potissimum vt hereses detegeren-

Hoc Concil Trident.

Caietan. opusc. de conc. c. 3. § & quoniam.

Cathar. epist. dedicat. ad Præsid. Concil. Trident.

gerentur, & condemnarentur, & cum de ijs quæ circa peccati originalis materiam, ſtatuenda erant, tractaretur ibi tunc voluiſſe orthodoxos illos Patres, opinionem, quæ negat Virginem peccatum contraxiſſe originale, probare, ac ſtatuere pro certa, & indubitanter ſeu de fide tenenda. Non dixit eos admonuiſſe de ea tractare controuerſia, vel de re dubia diſputare, ſed negatiuam ita tanquam indubiam, credendam proponere, vt aliter vel in contrariũ, non liceret ſentire. Ideoq; abſtinuiſſe Patres dixit ab hac definitione, ſuggeſtu, & ſuaſu paucorum (qui qualeſve fuerint facile licet diuinare) non quod ſanum, aut rectum non fuerit conſilium, vel æque aut debite non potuerit fieri, ſed quia pro tunc non expedierit. vtpote quod *conſultius, inquit, reputauerint, per conditionem temporum prius, aduerſus manifeſtas hæreſes intendere.* Ex quo tanquam ex occulto teſte & vno ex huius cauſæ arbitris, liquet ita Patres illius Concilij opinionem negatiuam ſenſiſſe, & voluiſſe definiendam, vt ſi ad rem ventum eſſet, nec tot tantæq; hæreſes, moleſtè & quotidie exorientes, alio raperent Synodi examen, & iudicium, certe eam de fide credendam approbarent, & contrariam omnino hominum opinationibus interdicerent. Rem ergo alias tractandam diſtulerunt, & in hæreticorũ inſanias, qua potuit maturitate, & ſolentia intendentes, cautionem illam appoſuerunt, non eſſe, vel leuiter imaginandum, ſe voluiſſe, ſub illo Decreto, contra hæreticos edito, de peccato originali Virginem immaculatam ſubincludere. Hæ ſunt potiores rationes quare à præcitatis Pontificibus non fuerit hæc determinata controuerſia, non quia ad hoc eorum non ſe extenderit authoritas, vt perperam Canus voluerat.

An quia alij Pontifices hanc non abſoluerint controuerſiam, modo non liceat Sanctiſſimo Domino eam expedire?

§ V.

21 Dubia multa & grauiora poſt multa ſæcula definita recenſentur.
22 Secundum temporum & rerum circumſtantias varia varijs temporibus definiuntur.
23 Poteſt tolerari quæpiam controuerſia dum graue non faceſcit negotium Eccleſiæ.
24 Temporũ calamitas petit vt iam hæc controuerſia dirimatur.

Dubia multa poſt multa ſecula ſunt definita.

21 AN verò quia ob aſsignatas rationes, aliaſve quas conſulto, reticeo, ſiue ob plures nobis occultas, id non præſtiterint prædicti Pontifices, modo debeat retardari Sanctitas Veſtra, ab ea definienda, licet Aduerſarij id perſuaſum velint, ego alijs ſimilibus

libus euentibus, & in longum protractis definitionibus dissuadere conabor. Primum propono exemplũ grauissimum de sacris Scripturæ libris. Satis ab initio ex Orientis Ecclesiæ dubitatũ est, quinam essent tanquã Canonici recipiendi, vel qui tanquam apocryphi reijciendi, nec quantumcunq; in multis Concilijs, & Synodis, de eis actum sit, multotiesque à Pontificibus, & Sanctis Patribus enumerati, vel recensiti fuerint etiam per Clementem Apostolorũ & coætaneum, & discipulum in canonibus illis Apostolorũ, qui illi tribuũtur, & quos Trullana Synodus approbauit, & postea in Laodicen. & alijs Concilijs fuerit de eis controuersum, nunquã ad certum hunc numerum indubitatum, quem modo veneramur, peruenerunt. ita quod in fide non peccaret, qui quosdam ex eis dubios negaret: donec vltimò Tridentin. Concilium docuit, quinam pro veris & canonicis erant suscipiendi. Plurimi erant grauissimi Doctores, qui plurimos ex eis negarent, vel in dubium reuocarent, & in multis Concilijs quamuis de eis ageretur, in nullo tamen exactè definitum est, an illi omnes, de quibus erat controuersia, pro canonicis forent recipiendi. An vero proinde non potuit vel non debuit Tridentina Synodus, quod tot prętermisere Pontifices & Concilia, infallibile de eis proferre iudicium, quos integros, & certos habemus pro canonicis enumerando & recipiendo? *De libris Canonicis.*

Versionem seu editionem vulgatam cæteris prætulit translationibus idem Tridentinum; cum tamen apud quamplurimos Pontifices & Concilia ex alijs editionibus quædã non humilem habuerint commendationé, & ægrius duxerint magni viri præcipue Augustinus, Hieronymi (licet maximi apud eum honoris, & nominis) versionem comparari 70. Interpretum editioni, quam ante Concil. Tridentinum censeri posset iniuriosum hanc vulgatæ præferri. qui videre voluerit summam, quam August. censuit tribuendam 70. Interpretibus, authoritatem, legat eum Epist. 8. 10. & 19. ad Hieron. l. 1. quæst. super Exod. q. 169. & alibi passim, & præcipuè l. 2. de doct. Christ. c. 15. & l. 18. de Ciuit. Dei c. 43. vbi contendit nullum vnum Interpretem his tot ac tantis esse præferendum. Paulatim tamen huiusmodi res graues aperiuntur, nec omnes simul libri Canonici, ab Ecclesia sunt cõmuni vsu recepti, nec statim vt prodijt vulgata editio, fuit cæteris prælata. Quod enim quibusdam Patribus & Concilijs fuit obscurum, postea est temporis decursu patefactum. *De editione vulgata Bibliorum.*

Circa processionem Spiritus Sancti magna fuit controuersia, in-

De processione Spiritus Sancti. ter Latinos & Grecos Doctores, & in Ephesino satis inter Theodoretum, & D. Cyrill. Alexandrinum de ea disputatum est, vt videre est in impugnatione Theodoreti ad 9. anathematismum Concil. Alexandr. apud Cyrillum, in lib. ad Euoptium, & in 3. parte eiusdẽ Concilij, vbi obiter de hoc controuersum est inter vtrumq; dum vnus astrueret, alter negaret personalem Christi diuinitatem. In alijsq; Concilijs de hoc ipso præcipuè tractatum est, & post quædã secula Ecclesia per additionem illius verbi, *Filioque*, (quæ quando facta sit, & an ante Concil. Tolet. 3. ignoratur) modum processionis explicauit. Quod recte à Pontificibus, factum esse postea in Concilio Florentino fuit declaratum. *Vide Vasq. in 1. p. disp. 140.c.4.*

De animæ origine. Per multa secula dubitatum est, de origine animæ, quibusdam contendentibus ex traduce diriuari; alijs immediate à Deo creari; alijs vero aliter opinantibus. Quæ controuersia inter maximos Eccles. Patres viguit, etiã ad tempus August. & post sub Greg. Magno, quæ satis dubios & suspensos tenuit precipuos Eccles. Doctores, & præcipue August. (vt alias & in præcedenti Tractatu de inæqualitate vtriusq; opinionis ostendi) ac S. Gregorium, vt ipse fassus est, in Decretali ad Fecundin. (quæ habetur to. 3. Concilior. sub Sixto V. editorum) dicens; *Sciat dulcissima mihi tua charitas, quia de origine animæ inter S. Patres requisitio non parua versata est: sed vtrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertũ remansit, eamq; in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Grauis enim est quæstio nec valet ab homine comprehendi.* *Gregor. 1. Epist. ad Secundinum.* Vnde liquet versatam, & agitatam satis à Patribus, & perpensam à Pontificibus fuisse, ab ijsq; iudicatam omnino insolubilẽ, nec satis eis tunc constitisse, pro qua parte debuerit definiri, & tamẽ à Leone IX. in explicat. fidei Rom. ad Petrum Episcop. Antiochen. (quæ habetur to. 4. eorundem Concilior.) declaratum est, & decisum ex nihilo creari; quare & recte D. Tho. 1. p. q. 118. ar. 2. in c. ait hæreticum esse dicere quod anima intellectiua, traducatur cum semine. Quomodo ergo potuit tanta ac talis quæstio, quam ausi non sunt precipui Ecclesiæ Patres, & Pontifices renuerunt dissoluere a posteriori Pontifice enodari; si ex eo quod hæc nostra ab alijs, sub quibus tractata est, non fuerit de fide decisa (licet semper in negatiuam partem inclinauerint, eamque non parum commendauerint) iudicetur modo indefinibilis, & indissolubilis?

Animas etiam iustorum non visuras ante diem Indicij diuinam essentiã sub multis Pontificibus, & per multos Patres (quos

interius

inferius referam) grauiſsimè diſcuſſum eſt, & non leuiter inculcatum, ita quod non ſolùm abſtinuerint à vera definienda, verum & Ioan. XXII. plus æquo in falſam inclinauerit partem, vt refert cum alijs multis Sanderus libro 7. de viſib. Monar. poſtea tamen Benedictus XII. quam modo ſequimur & credimus definiuit ſententiam.

De viſione beatifica ante diem Iudicij.

Dubitatum eſt olim an in Baptiſmo ſimul cum gratia infundebantur virtutes, vt colligere eſt ex cap. Maiores, & ex Concilio Viennen. & habetur in Clement. de Summa Trinit. licet in affirmatiuam magis inclinauerint Concilij Patres (abſtrahendo à nominibus qualitatis vel habitus) vt videre eſt in illis verbis; *Nos opinionem ſecundam, quæ dicit tam paruulis, quàm adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes tanquam probabiliorem &c. duximus eligendam.* Et tamen quod Concilium Viennen. non definiuit de fide, docuerunt Concil. Florent. ſub Eugen. IV. & Trident. Seſſ. 7. can. 6. & 8. Cur ergo & Tua Beatitudo cuius & æqua eſt cum Concilio poteſtas, imò à quo habent Concilia authoritatem, quam Tridentinum prætermiſit in hac noſtra controuerſia definitionem, non poſsit adijcere, & quam probabiliſsimam oſtendit ſententiam, omnino veram & tenendam iudicare?

De infuſione virtutum in Baptiſmo.

Vide Suar. to. 3. in 3. part. diſp. 26. Sect. 2.

22 Innumera ſunt mihi, eaque grauiſsima huiuſmodi controuerſiarum per multa tempora in Concilijs & ſub Pontificibus, & maximis Doctoribus diſcuſſarum, & definitionum, quæ in poſteriora ſæcula differebantur, exempla; quibus ne nimium Tuæ Beatitudini tædium pariam, ſuperſedeo, ad memoriam reducens, quod alias adnotaui, multa in poſteriores ætates aperienda à Deo ſeruari, nec ſimul omnem, quam modo habet doctrinæ lucem ſub eadem certitudine Eccleſiæ effulſiſſe. Nam *ſicut lumen* (vt eleganter notauit Tertullianus) *non ſtatim ſplendore ſolis impleuit, & cælum non ſtatim ſtellis ſyderibuſque ſignauit*, ſic etiam religio ſenſim, & gradatim ad perfectionem in multis procedit: Gregorius Eccleſiam auroræ comparauit, quæ paulatim clarius effulget, & ſucceſſiuis incrementis ad meridiei claritatem aſcendit. Sic etenim Eccleſia non ſtatim vel repente ab initio omnia documenta percepit. *Multa habuit ei dicere Chriſtus, quæ tunc non potuit portare.* In ipſa aurora exorientis infantiæ, quæ nouæ plantationis teneritudini conueniebant, & quæ neceſſaria erant fidei, ſuauiter & paulatim ei reuelauit Myſteria. Quæ licet omnia fuerint vel in

Varijs temporibus variade finiuntur.

Tertull. contra Hermog c. 29. to. 3

Greg. ho. 16. in Ezech. & l. 9. Moral. c. 6.

Ioan. 16. 12.

ſacris litteris, aut Apoſtolis vel eorum diſcipulis tradita, non tamen eadem claritate, vt de quibuſdam non dubitetur, & de alijs non controuertatur. Quare Spiritus Sancti quotidiana dignatione, & ſupernaturali illuſtratione ſuccedentibus ſæculis, pro temporum exigentia, prouectorum captu, & cœleſti diſpenſatione, vel quæ ſub obſcuritatis velo latebant, diuino lumine ſunt patefacta, vel nouis illuminationibus, & continuis incrementis, circa res fidei multa Deo inſpirante, ſunt vtiliter ab Eccleſia ſtabilita. Perpetuum habet motum quotidie proficiſcens Eccleſia, donec ad perfectam venerit meridiei claritatem, in qua obſcuritatis velo obducto cuncta patebunt. Nihil ergo mirum ſi poſteriores Pontifices percipiant, & de fide definiant, quod priores vel latuit, vel illi deffinire noluerint, dum creſcente vel clareſcente, quotidie cœleſti diſciplina, & diuino deſuper clarius irradiante fulgore, exactius perſpicitur quod antea ſub obſcurius apparuit. Rerum etiam circumſtantiæ variæ, ſe offerunt, diuerſæ ingruunt temporum calamitates, nouæ & moleſtiores ſunt quandoque Eccleſiæ neceſsitates, quibus variè & diuersè eſt occurrendum, & temporum conſiderata varietate varia ſunt applicanda remedia. Quod ſi noua quędam tempeſtas ſub aliquo Pontifice vltimum non expoſtulet remedium, ſed faciliori modo placari potuerit, faciliter & ſuauiter eius fluctus compeſcit, & ſerenitatem inducit, ſi vero ſub alio maiores offerat moleſtias, grauiuſque immineat periculum, vlterius, & vltimum ſi oportet adhibet remedium.

Rerum & temporum circumſtātie quādā d finiri expoſcunt.

23 Si aliqua in Eccleſia controuerſia non magnum, ſed leve faceſcit negotium, prudenter toleratur, aut vlterius diſcuti facillime permittitur, donec veritas magis innoteſcat. Quod ſi poſt longam concertationem, periculum imminet, aut ſcandalum vrget, & diſſenſiones inter controuertentes, vel cæteros fideles ex concertationibus oriuntur, non eſt vlterius differendum remedium, nec vel tantillum diſsimulandum, ſed diffinitiuâ ſententiâ controuerſia debet diſſolui, & exorientes diſcordias decet ſopiri. Dum moleſta nimis vel ſcandaloſa non fuerat vel lites aut diſcordias non generauerat illa, quam ſupra tetigimus controuerſia, de iuſtorum beatitudine ante diem iudicij eam non diremit Eccléſia, ſed in multa protrahi ſæcula de hac re diſputationem permiſit. Et licet dum quæſtio hæc diſcutiebatur, ſeptem vel octo celebrata ſint generalia Concilia, aliaque innumera prouincialia, & nationalia in nullo

Dum moleſta non eſt diſſimulari poteſt controuerſia.

in nullo tamen definita eſt, licuitque cuicunque quam mallet, ſectari opinionem. Quoſdam habuit affirmatiua fautores, ſed non paucos aut contemnendos (ſi authoribus infra citandis credamus) quæ falſa erat, negatiua. Per mille, & tercentum fermè annos de ea actum eſt in Eccleſia, incepit enim ferè ab Apoſtolorum tempore, & peruenit ad annum 1335. in quo definita eſt tanquam vera, & de fide credenda, ſententia aſſerens animas iuſtorum nihil habentes expiabile in purgatorio, ſtatim clara, & facili frui Dei viſione. Quamuis enim grauiſsimos, Patres, habuerit contraria opinio patronos (vt teſtatur Caſtro verbo Beatitudo hæreſi 6. & Sanderus lib. 7. de viſib. Monar. ſub anno 1316. Bellarm. de Sanctis lib. 1. cap. 9. Gabr. Vaſquez tom. 1. in 1. 2. diſput. 19. cap. 1.) quos refert Sixtus Senenſis infra citandus & alij, videlicet Iacobum Apoſtolum in Liturgia (ſi eius tota dicenda ſit) Iræneum in fine lib. 5. aduerſus hæreſes. Iuſtinum in libr. quæſtionum à gentibus poſitarum q. 60. & 76. Tertull. lib. 4. aduerſus Marcion. & lib. de anima c. antepenult. & vltimo. Clementem Roman. l. 2. Hypotipol. vt ex Cornelio Agrippa refert Sixtus Senen. Origin. hom. 7. in Leuit. l. 2. in fine, & lib. 4. Periarchon prope finem. Lactant. lib. 7. Diuin. inſtit. c. 21. Victorinum Martyr. commentarijs in Apocal. ad illa verba; *Vidi ſub altare Dei &c. animas occiſorum.* Prudentium in poëmatibus & in hymno decem & octo Martyrum Cæſarauguſtanorum. Ambroſ. lib. 2. de Cain & Abel cap. 2. & lib. de Bono mortis cap. 10. Ioan. Chryſoſt. hom. 39. in prior. ad Corinth. alijsque multis in locis. Authorem operis imperf. homil. 34. in Matth. in illud; *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Auguſt. in Pſalm. 36. lib. 12. de Geneſi ad litter. cap. 9. & alibi Theodoretum in cap. 11. ad Hebræos. Aretham. in comment. ad Apocal. ſub illis verbis; *Vſquequo Domine non vindicas ſanguinem noſtrum.* Oecumenium in cap. 11. ad Hebræos. Theophilac. in cap. 23. Lucæ ad illa verba; *Hodie mecum eris in Paradiſo.* & in cap. 11. ad Hebræos. Euthym. in cap. etiam 23. Lucæ. & Bernard. ſerm. 3. & 4. de omnibus Sanctis, quorum verba & ſententias diſerte refert Sixtus Senen. lib. 6. Bibliothecæ ſanctæ annos 345. vt tamen rumores, eoſque magnos in Eccleſia excitauit, grauium etiam viris doctis & plebeijs diſceptatio hæc fuit occaſio ſcandalorum, ſtatim Benedictus XII. ſeu ſub alia ſupputatione XI. immediatus Ioannis XXII. ſucceſſor, ſub quo Cardinalitia fulſit dignitate, & bene perſpectum habuit quàm

Qui ſenſerint Sanctos non videre Deum ante diem Iudicij.

acriter Ioannes ſuus prædeceſſor contrariam tuebatur partem, affirmatiuam tamen videlicet, ante diem Iudicij videri diuinam eſſentiam à Sanctis, pro Catholica & ſana diffiniuit. Quod & factum eſt poſtea in Concil. Florent. Seſſ. vltim. in litteris vnionis, miſsis ab Eugenio & Concilo ad Epiſcopos, ibi congregatos; in Concil. etiam Francoford. in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpan. & habetur in cap. ad Apoſtolicam de Preſbyt. non baptizat. Nec aliam prębet rationem Benedictus, vt quod tot Pontifices efficere noluêre, & contra tot Sanctorum Patrum ſententias ferret iudicium, quàm vt magna ſcandala & perturbationes, quæ ex illa controuerſia oriebantur, ſedaret. Verba eius ſunt in extrauag. *Benedictus Deus. Defuncto prædeceſſore præfato* (Ioan. videlicet XXII.) *nos diuina dignatione ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, diligentius attendentes quanta ex præmiſſis eorum concertationibus non ſolutis, animarũ imminent pericula, quanta exinde poſſunt ſcandala ſuboriri, vt ipſorũ varietas pereat, & veritatis ſoliditas innoteſcat, habita prius ſuper prædictis ſollicita examinatione &c. definimus.*

Temporum calamitas petit vt hæc controuerſia definiatur.

24 Si ergo propter ſcandala ſedanda fecit Benedictus quod vt alij non fecerunt Pontifices ſub quibus eiuſmodi, vel tam ampli non vigebant tumultus nec diſſenſiones, cur non & Tuæ Beatitudini liceat propter ingentem modo tot regnorum calamitatem, & tantorum quotidie ſuborientium ſcandalorum periculum, definire, quod alij Pontifices omiſerunt, ſub quibus tanta non erat definitionis neceſsitas? Si tantorum non habuit Benedictus Patrum rationem, ſi eorum tanta & tam magna non obſtitit authoritas, vt pro Eccleſiaſtica quiete illam non dirimeret controuerſiã, non eſt cur Tua Beatitudo remoretur ab hac noſtra decidenda propter apparentem & falſam congeriem Doctorum quos Aduerſarij ſibi adſtipulari voluerunt. Quorum & ſi daremus aliquos cum illis ſenſiſſe, facilius eorum exponi poſſent benignè ſententiæ, quàm illorum verba, qui perperam ſenſerunt in hac alia controuerſia, quos tamen & ſi difficilius, ſanè & catholicè interpretantur ſacræ paginæ & Scholaſtici Doctores. Multa ſunt ergo quæ quibuſdam temporibus licet indefinita præterire, quibus, in alijs, ſedula admouenda eſt manus, & maturo iudicio ſolertiſsima cura impendenda. Pro temporum ratione & circumſtantiarum aut neceſsitatum varietate diſsimulare licet, vel diffinire oportet. Tanta eſt modo rerum calamitas, vt vlterius non liceat diſsimulare, nam vltimum iam expoſcit remedium.

An

An possit condemnari affirmatiua opinio, & an conformior sit sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum doctrinæ.

§. VI.

25 Affirmatiua non est conformior sacræ Scripturæ, vt sola dicatur definibilis.

26 A regulis vniuersalibus originalis peccati sicut ab alijs Scripturæ potest excipi Virgo.

27 Facillimæ illis regulis vniuersalibus adhiberi possunt explicationes.

28 Non modice ostendit qui adhuc tenacius asseruerit affirmatiuam in Scriptura contineri.

29 Contra heterodoxos multi Doctores probant non esse Scripturæ conformiorem.

30 Non est conformior Sanctorum Patrum doctrinæ.

31 Et si aliqui ex Patribus affirmatiuam docuissent, adhuc negatiua potest definiri.

32 Contra vnanimem modo Doctorum sententiam Ecclesia nullatenus definiet affirmatiuam.

25 HVcusque largius, quam volebam, sed secundum quod rei grauitas exigebat, sermonem protraxi de primi asserti eiusque fundamentorum falsitate: secundum breuius examinabitur. Dicunt Aduersarij non posse aliam, quam suam sententiam de fide doceri à Pontifice, quia & Scripturæ & Sanctorum Patrum doctrinæ existimant conformiorem. Sed decipiuntur sane; nullum namque pro se proferre possunt ex sacra Scriptura locum præter illa generalia, quæ in præcedenti Tractatu de inæqualitate vtriusque opinionis ostendi, parum aut nihil eis conducere ad suam opinionem stabiliendam, dum & liberrimam concessit Ecclesia licentiam Virginem ab eis eximendi, & cum illa rigorose, & secundum fidei tenorem, & necessitatem credendi, explicaret, noluerit eam sub eisdem comprehendere. Quam conformitatem habet cum regulis peccati, quæ prorsus à peccato immunis ab omnibus proclamatur; *Quæ libera* seu (si mauis) *liberata ab omni contagione & corporis & animæ*, in plenario Concilio prædicatur quæ in alia vniuersali Synodo, dum de hac ipsa re agitur immaculata vocatur, quàm aliud Oecumenicum, licet non legitimæ authoritatis Concilium, ab hac originalis labis infamia liberare conformius ipsi iudicauit Scripturæ, quam omnes in vniuersum populi Christiani nunquam peccato aliquo in vllo instanti fœdatam firmissimè, & & deuotissimè credunt? Nunquid, quod Scripturis est conformius, non amplecteretur Ecclesia? Nunquid, quod ab eis longius recedit suos fideles doceret, aut venerandum proponerent, vt fecisse

Affirmatiua non est conformior Scripturæ.

In Epist. Sophron lecta in 6 Sinod. act. 11.
Trident. Sess. 5.
Basilien. Sess. 36.

ciſſe in ſuperioribus Tractatibus oſtendi. An demum tot ac tanti Catholici Doctores, & Orthodoxi Paſtores ſpontaneo & irreuocabili voto ſe conſtringerent. Vt Virginem ſine originali conceptam in perpetuum crederent & docerent, ſi contrarium magis ad ſacram Scripturam accederet, & veroſimilius in illa contineretur?

Ab alijs regulis vniuer, ablata excipitur Virgo.

26 Si aliud eſt expreſsius ad eos Scripturæ teſtimonium præter illa generalia, quæ omnes homines comprehendunt, illud proferant in medium; vel ſi non eſt, ceſſent nobis illa obiectare, quæ nullum faceſcunt negotium. Nec enim firmiora ſunt hæc aut ſtrictius abſque vlla exceptione ſunt accipienda, quam alia plæraque eiuſdem ſacræ Paginæ à quibus licuit, decuit, ac debuit Virginem eximi. Definitum eſt (vt quibuſdam verius placet) eam peccato nullo veniali coinquinatam determinatum etiam perpetuam fuiſſe Virginem, non peperiſſe cum dolore, aut ſordibus; creditur firmiſsimè in Eccleſia, corpus etiam nequaquam in cineres redactũ, aut alia ex parte corruptum, ſanctam natam, & per totam vitam inculpabilem. Si vniuerſales ſacræ Scripturæ locutiones in his attendamus, eiſque rigorosè adhæreamus, & nullam pati exceptionem pertinaciter aſſeramus, Eccleſiam dicemus erraſſe in ſua fide & definitionibus. Quod ſi hoc horreamus, vel proferre, aut aliquantulum cum hæreticis affirmare; admittamus, neceſſe eſt, has, hiſque ſimiles ſacræ Paginæ regulas huiuſmodi pati exceptiones, quod optimè docuerunt Hieronymus, Fulgentius, Photius Conſtantinopolitanus & alij, qui nullam ferme eſſe aiunt huiuſmodi vniuerſalium ſententiarum, quæ aliquam non admittat reſtrictionem aut exceptionem. Quod ſi ab illis alijſque admittunt Aduerſarij Virginem ſanctiſsimam reſeruare licere, & debere, vt quid ſolum ab hac maledictione communi eam nolint excludi? Si non ſit conforme ſacræ Scripturæ toties inculcanti; *Neminem eſſe qui non peccet* (Parolip. 6.) *Nec cuius vnius diei ſit vita ſuper terram,* Iob 14. *Omnes declinaſſe*, Pſalm. 13. *Ipſum ſe ſeducere qui ſine peccato ſe aſſerit eſſe*, 1. Ioan. 1. Nec ſecundum illam liceat dicere Virginem aliquid vel veniale feciſſe peccatum, quare dicetur conforme ſacræ Scripturæ habuiſſe quod grauius eſt, originale? Nec grauius nec firmius eſt fundamentum pro vno quàm pro alio, nec firmior Patrum conſenſus, vt ſtatim dicetur.

Hieron. paſſim in Pſalmos. Fulgent. l. de incarn. & gratia Chriſti. cap. 31. Photius in reſpōſ. ad Amphiloch. Vidẽduſq; Martin. Martinez l. 6. hypotipol. c. 3. pag. 460.

Genuina poſſunt ad biberi loca

27 Sed quia ſemel & faciliter, re prius non diligentius perpenſa in principio controuerſiæ in hanc ſententiam abeuntes, eam rigoroſa harum

harum vniuersalium locutione firmarunt, sub eaque comprehendi Mariam asseruerunt, ne causæ cedant, aut aliter sententiæ labenti magis præiudicent, semper eam in Scriptura contendunt haberi, & Scripturæ sententiam esse affirmant. At certè cum, vt alias dicam, loca illa varias habere possint salua fide intelligentias, secundum diuersam Virginis ab alijs conditionem, & supereminentem cæteris hominibus excellentiam, de cæterisque posint intelligi secundum actualem contractionem, de Maria secundum debiti obligationem, (per quam distinctionem & fidei veritas, & Virginis priuilegium posint saluari, & credi cum Ecclesia omnes homines originali labe fœdatos in sua Conceptione, & immaculatum mundissimumque fuisse Conceptum Virginis, saluaque fidei integritate cum cæteris Catholicis in hac sententia posit conueniri) æquius & consultius certè esset in sua illa rigorosa & nimis stricta interpretatione iam amplius non ita velle persistere. Magni certè faciendum & libenter amplexandum illud Augustini consilium; *In rebus* (inquit) *obscuris, atque à nostris oculis remotissimis, si qua inde Scripta, etiam Diuina, legerimus, quæ possint salua fide, qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nulla earum nos præcipiti affirmatione ita preijciamus, vt si fortè diligentius discussa veritas, eam rectè labefactauerit, corruamus: non pro sententia diuinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus sacrarum Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potius eam quæ sacrarum Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Aduersarij ita pro sua dimicant sententia, vt omni conatu audeant inculcare eam in sacra Scriptura contineri, eam volentes Scripturæ esse, quæ sua est; cum potius quæ sacræ Scripturæ est, suam esse velle debuissent. Non vero suam, sed contrariam esse eam, quæ sacræ Scripturæ est in præcedenti Tractatu largius ostendi, ex alijs sacræ Scripturæ locis probaui, & ex Ecclesiæ intelligentia confirmaui. licet etenim in sacra Scriptura non dicatur expresis verbis Mariam ab originali fuisse præseruatam, inde tamen colligitur firmè, hoc vel latenter in eis contineri, quod illud iam vniuersæ ferè placuerit Ecclesiæ, dum Doctores pænè omnes in scriptis, & vniuersa Ecclesia in suo cultu, ita firmiter profiteantur & doceāt; *Nam quamuis* (vt grauissimè docuit idem Augustinus in alia materia) *huius rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas, vt quoniam sancta*

Scriptura

Scripturæ in hac quæstione explicationes. Tract. de reuel. §. 14. nu. 36

August. I. de Gen. ad litter. cap. 18. in fine to. 3.

Aug. l. 1. contra Crescon. Gramat. c. vl. to. 7.

Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat. Vniuersæ iam placuit Ecclesiæ Mariam sine peccato conceptam fuisse, celebrare & docere, vnde cum non dicatur expressè in Scripturis Canonicis eam peccatum contraxisse, illaque vniuersalia loca noluerit Ecclesia de Maria promiscuè cum cæteris explicare, aliaque specialia de Mariæ Conceptionis sanctitate ei placuerit interpretari, vt sæpius adnotaui, satis clarè credendum ostendit, negatiuam sacræ Scripturæ esse conformiorem. quicquid etenim Ecclesia colit, id tenet Scriptura sine vlla ambiguitate; quod Christianos populos docent Summi Pontifices, idem habent libri Canonici. Cum etenim ab eodem spiritu & illi dictentur, & ista regatur, in contrarios sensus non possunt protrahi, nec diuersos conatus possunt habere.

Grauiter displicet qui adhuc affirmatiuam conformiorem ait Scripturæ.

28 Grauiter ergo errat, & iustè Doctorum animos in se concitat, qui affirmatiuam sententiam Scripturę conformiorem pertinacius asseruerit, & nullam se scire vel posse his regulis explicationem adhibere dixerit, cum Ecclesia & Pontifices Summi manifestas insinuent, & in contrariam abierint opinionem. Rectè profectò aduersus Ruffinum Hieronymus. *Miraris immeritò* (inquit) *si aduersus te fratrum scandala concitentur, cum id nescire te iures, quod Christi Ecclesia se scire confitetur.* Planus est Ecclesiæ sensus, eam videtur offendere, qui contrarium illius, quod illa colit, dicit in Scriptura contineri, vel magis illi conformari. *Neque enim* (vt grauissimus vir Didacus à Payua, qui cum laude non modica floruit in Concil. Tridentino, de hac ipsa re loquens, & eandem obiectionem refellens ait) *nisi grauissima impietatis nota Romanæ Sedi inusta, ea quis putabit cum sacris litteris, maiorumque placitis pugnare, quæ singulari illa honore prosequitur, & ab omni quàm longissimè impietatis suspicione abesse confirmat. Nam cum eorum voces falsas esse erroneas, & à veritate alienas Sixtus pronunciauit, qui impietatis condemnant existimantes Virginem Mariam sine peccato fuisse conceptam, quæstionisque iudicium integrum atque liberum reliquit, an non satis prodit Dei Genitricem non esse in aliorum mortalium ordinem necessario redigendam? & Pauli Sanctorumque Patrum sententias, quo sunt apertiores eo minus huic sententiæ offerre?* Graue certè testimonium Tridentini Concilij præclarissimi Theologi, qui dum in eo viderit Sixti Constitutiones, confirmari de sensuque locorum Scripturæ circa peccatum originale stricto examine agi, sub ijsque omnes Patres iudicauerint

Hier. l. 2. aduersus Ruff. parum à princ.

Didacus Payua l. 5. de fens. Trid. fidei p. 3. § sed quoniam.

Sixt. IV. in extrauag. Graue nimis.

cauerint non esse comprehendendam B. Virginem Mariam, facilè sibi persuasit sententiam affirmatiuam non esse sacræ Scripturæ conformiorem; Aliter etenim visum est ei, non dubitaturos Sanctos illos Patres sub eadem conditione cum cæteris mortalibus, Mariam recensere.

29 Prætereo modo largiorem mentionem illius iudicij Theologorum Basilien. (inter quos magni erant, & sancti nominis Viri) negatiuam sacræ Scripturæ conformiorem esse dicentium; Taceo insuper præclarissima testimonia præcipuorũ huius nostræ, & anterioris ætatis Doctorum, qui idem doctissimè probant, & solertissimè desudant in liberanda pia sententia ab impia calumnia hæreticorum, quâ dicunt Ecclesiam & Patres sequi & amplecti sententiam Patribus & Scripturæ contrariam. Cum hæreticis etenim circa hanc obiectionem fuit ijsdem acris concertatio. Pomeranum & Heshusium ridiculos in hac re censores, suæ impudentiæ, & mendacij, & falsi pro verbo Dei scripto zeli, conuincit Canisius, Kemnitium, & Lutherum similiter in hac re calumniatos & deceptos ostendunt alij. Vnde in hac assertione refellenda, affirmatiuam scilicet in Scriptura contineri, vel negatiuam certò Scripturæ contraire, & consequenter contra Scripturam doceri, & profiteri in Ecclesia, contra heterodoxos homines arma sumunt Doctores orthodoxi. Nec enim cum probis, & catholicis Viris sibi in hac re conflictandum iudicarunt, quos indubiè putarunt, nequicquam tale dicturos. Vnde cum contra Martinum Kemnitium, (hoc idem in hac re obiectantem, & Trident. Patres impietatis condemnantem, quod à Sixto IV. editis constitutionibus (in quibus Kemnitius planè fatetur Virginem ab originali liberari) inhærendũ esse censuerint, propterea quod sacris litteris, & maiorum placitis nefariè putat eas repugnare) supradictus Payua disputationem præpararet, ait; *Si cum pijs tantummodo, & Catholicis viris mihi res esset qui Romanæ Sedis prærogatiuas pro dignitate suscipiunt, satis profectò Sixti Pontificis Tridentiniq; Concilij esset authoritas, vt Virginem Deiparam generalibus illis Pauli sanctorumq; Patrum sententijs, nequaquam contineri sibi persuaderent.* Nullum ergo credo ex pijs, & Catholicis Viris esse, cui liberè iudicare liceat, qui ita sibi pænitus persuadeat, vel qui tenaciter dicat eos qui Mariam sub communi scelere, hausto ab Adamo, enumerant, propius aut verius ad sacram Scripturam accedere; proindeque illorum potius quàm nostram sententiam esse definibilem.

Doctores, refellunt hæreticos contendentes affirmatiuam in Scripturis contineri.

Canis. l. 1. de Deipar. c. 5.

Z De

Affirmatiua non est conformior sanctorum doctrinæ.

30 De Patrum verò sententijs in hac re præterquam quod particularem Tractatum Tuæ Beatitudini obtulerim, in quo, quod & in hoc iam tangere incæpi, adnotaui, nullum, aut ferè nullum contra Virgineæ Conceptionis innocentiã expresse aliquid dixisse, modò breuiter ostendam, falsam esse illam secundam rationem, propter quam dicunt Aduersarij solam affirmatiuã definiri posse, videlicet, quia conformior est SS. Patrum doctrinæ. Vellent omnes, qui quidquam in hoc negotio tractant, & cuncti ferè Viri docti, & præclaræ Academiæ, vt in hoc vno cardine tota controuersiæ moles versaretur, & Tua Beatitudo dignaretur iubere, vt sibi afferrentur vtrinq; omnes S. Patres, qui quidquam in hac re pro vna vel contraria sententia expresse pronunciarunt. Qua vel vna hac diligentia adhibita, experiretur Vestra Sanctitas, tam falsum esse, quod dicunt Aduersarij, quam verum esse quod in citato Tractatu ego animaduerti, ex apparenti & violenter congesta illa congerie Patrum apud Bandellum, Bandelloque similes reprobatos, aliosve Authores, paucissimos esse vel nullos, qui expresse ferant sententiam contra Virginem, cæterosque vel fermè omnes corruptos, & mutilatos esse in verbis, quæ ex eisdem proferuntur. Quod & candidus certè ille Auctor, nulli parti plus æquo fauens Payua, aduertit, dicens; *Minime verum est communi veteris Ecclesiæ sententiæ illam* (nempe piam) *repugnare cum præsertim à multis videam Sanctorum Patrum testimonijs à quibusdam oppugnari, quæ partim sunt deprauata, partim nihil ad rem faciunt.* Hoc idem deprehenderunt, qui seduliori cura, & diligentiori lectione Sanctorum Patrum libros euoluerunt; & duos vel ad summum tres affirmatiuæ adhæsisse sententiæ concedunt, hosque ipsos benignam, & suauem pati explicationem adnotarunt.

Payua cit. §. ne me vero putes.

Citra paucos Patres posset Ecclesia negatiuam definire.

Cano l. 7. c. 3. conclus. 5.

31 Et licet demus, sed non concedamus, quosdam fuisse qui affirmatiuam expresse docerent, non ita securam in quindecim Doctorum (quos solos pro se citauit Caietanus, sed fallo, nec mirum, cum vel ipso Cano attestante; *Vetustæ traditionis parum tenax fuerit, & in sanctorum lectione parum versatus*) gremio requiescere putandum est, vt nullatenus posit ab Ecclesia explodi, sed necessariò illam si lis dirimeretur esse diffiniendam; cum, vt non semel adnotauerim, totidem & plures Doctores non ita potestatem Ecclesiæ coarctent, & ligent, vt si consultum, & rectum duxerit non posit contra eos cum alijs definire. Plures sunt & grauiores ij, quos

quos ſupra retuli, contra quos cum alijs definitum eſt circa animarum ante diem Iudicij beatitudinem. Plures & grauiores, contra quos docet Eccleſia Angelos eſſe ſpirituales. Plures & grauiores, contra quos, vel quibus dubitantibus de varijs libris & ſcripturis Canonicis eorumque editionibus, plura ſunt ſtatuta ab Eccleſia. Multi & graues ſunt, quos quidam citant & volunt ſenſiſſe ipſiſſimam hanc Virginem actualiter peccaſſe, contra quos tamen actualem eius innocentiam certò credit Eccleſia. Aliaque multa ſunt huiuſmodi, quæ refragantibus aut circa ea nutantibus multis Doctoribus, deciſa ſunt à Pontificibus. nec enim paruum Doctorum aggerem, ſed Dei ſapientiam, & ſpiritum pro regula, & rectore veritatis habet ſancta hæc noſtra, quæ falli non poteſt, Mater Eccleſia. Quos tamen iuſto honore veneratur, & contra quorum omnium vnanimem conſenſum nunquam aliquid ſtatuit, vel leuiter ſenſerat aliquando.

Contra vnanimem huius ſeculi conſenſum affirmatiuam non definiet Eccleſia.

32 Cum igitur nulli ſint Patres pro illorum opinione, vel ad ſummum velimus eos dare non concedere, quos Caietanus recenſet, numquid ob illorum truncata verba, ambiguas locutiones, & facilè ſolubiles authoritates, eam definiendam ſibi poſſunt perſuadere Aduerſarij, contra vnanimem recentiorum, & multiplicem, maximamq; vetuſtorum ſententiam? Antiquiores vt modo prætercam, an ne contra omnes modernos, & communem huius noſtri ſæculi ſenſum ſententiam dicet Eccleſia? Contra eos, quos modo fidelium habet magiſtros, contra eos, quibus Academias credidit, & animarum commendauit curam, proferet iudicium? Si interrogandi veniant orbis magiſtri, ſi animarum paſtores, quid in hac re ſentiant, nullus aut rarus erit, qui dicat Virginem peccato fœdatam. Si ergo ad vltimum iudicium pertingat controuerſia, credunt aut putant Aduerſarij paucis eorundem votis, & non potius cæteræ Eccleſiæ firmo conſenſui eſſe adhærendum, & contra ſemetipſam ſuorumque fidelium deuotam & ſanam credulitatem, Eccleſiam illorum definituram eſſe opinionem? Longe debet abeſſe à præclaris & religioſis Viris tanta præſumptio, vt plus ſibi deferendum putent, quam cæteris totius orbis magiſtris.

Solam negatiuam esse definibilem.

§. VII.

33 Vt definiatur negatiua, non est necesse, vt expressè contineatur in sacra Scriptura.

34 Quædam assignantur loca à Theologis, ex quibus negatiua potest deduci & definiri.

35 Non obstant his alia loca vniuersalia.

36 Firmiorem non adstipulari alijs exceptionibus, quàm huic Ecclesiasticam traditionem.

37 Peculiariter id ostenditur in præseruatione Virginis ab actuali.

38 Ab Apostolis deducta est huius priuilegij traditio.

39 Immemorabilis est mentio, & celebritas huius Mysterij in Ecclesia Hierosolymitana.

40 In Ecclesijs Syriæ & Alexandriæ.

41 In Græcis.

42 In Occidentalibus.

43 Ex consensu aliarum Ecclesiarum confirmatur in Patriarchalibus Ecclesijs traditio.

44 Ad Patriarchales Ecclesias recurrendum pro traditione Apostolica inuestiganda.

45 Communis recentiorum consensus negatiuam solam diffinibilem esse confirmat.

46 Idem suadent aliæ rationes quæ breuiter perstringuntur.

Ad definiendum negatiuam non requiritur expressus Scripturæ locus.

33 EX his iam probatum habetur, negatiuam partem solam esse definibilem. Si enim ad dirimendam hanc litem se applicuerit Ecclesia, vt eam posse, eique licere & expedire supra probatum est, affirmatiuam non possit fidelibus credendam proponere vt proximè est inculcatum, restat vt solam negatiuam definiat. At statim molestè instabunt Aduersarij, vnde possit definiri? Vbinam habetur in sacra Scriptura? Quisnam est sacræ Paginæ locus, in quo doceatur? Quos tamen puto non adeò se rigorosos exactores exhibituros, vt expressa petant loca in quibus dicatur; *Maria non fuit in peccato originali concepta*, ne suæ etiam velint causæ præiudicare. Si enim vt definiatur negatiua, requirant, vt expressè habeatur in sacra Scriptura eadem facilitate expostulabunt, & cæteri, vt illorum etiam sententia statuatur de fide, expressum debere assignari locum, vbi clarè & speciatim dicatur; *Maria in peccato concepta*. Nam vt acutè argumentatus est Tertullianus contra quosdam dicentes: militibus Christianis in exercitibus gentilium licere coronatos incedere, quia Scriptura non prohibebat, Tertulliano ipso alijsque magis piè sentientibus non debere eos illa florum serta, gentilitiæ vanitatis professionem portare, quia Scriptura non iubebat, dicens; *Facilè est statim exigere vbi scriptum sit, ne coronemur;*

At

At enim vbi scriptum est vt coronemur? expostulantes enim Scripturæ patrocinium in parte diuersa, præiudicant suæ quoque parti, Scripturæ patrocinium adesse debere. Nam si ideo dicetur coronari licere, quia non prohibeat sacra Scriptura; æque retorquebitur. Ideo coronari non licere, quia Scriptura non iubeat. Ita nobis licebit eorum expostulationem retundere, si enim dicant ideo Mariam debere comprehendi sub lege vniuersali peccati, quia Scriptura expresse non prohibet, æque retorquebitur; ab alijs humanæ & ignominiæ peccati regulis exemptam sub hoc seuerissimo & graui peccati iugo comprehendere non licere, quia Scriptura expresse non iubet. Si contendant non posse definiri, in peccato non fuisse conceptam, quia Scriptura id expresse non dixit, eadem ratione dicemus in regula communi fœminam tot priuilegijs & gratijs singularem non comprehendi, quia id Scriptura non speciatim explicuit. Non tam seueros credo in hac re expostulatores vt hæc definiatur; præsertim cum si talis nobis Scripturæ adesset authoritas, iam de controuersia actum esset, nec erat cur definitionem vlteriorem expectaremus.

Tertul. de coron. milit. c. 2. tom. 2.

34 Satis sibi factum admittent si aliqua offeramus, in quibus idem insinuetur, vel ex quibus, licet obscure, colligatur. Plæraque, & satis multa sunt, quæ vrgent, & recentiores & antiquiores Theologi pro hac parte, vt in præcedenti Tractatu obseruaui, & quædam afferunt ex quibus non obscure eam deducant aut inferant. Non est obscurum illud, vt alia omittam, testimonium Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum*, dum per caput peccatum originale, per contritionem Victoriam illud euadendo, & per pronomen ipsa Virginem Mariam plurimi intelligant Doctores, & Scholastici. Non est leue illud fundamentum plenariæ seu *totalis pulcritudinis* quæ sponsæ Dei inesse dicitur. Cantic. 4. *Plenitudinis gratiæ,* quam Mariam habuisse ex Dei legatione dixit Angelus. Luc. 1. Benedictionis *illius quam super omnes mulieres* adeptam fuisse, Spiritu Sancto dictante, asseruit eius cognata, ibidem. Quæ de pulcritudine, plenitudine, & benedictione gratiæ primam illam Conceptionis includente, intelligere quid prohibet? Clariora an expressiora afferentur ex sacra Scriptura pro alijs Mysterijs fidei, quæ de eadem B. Virgine docuit Romana Ecclesia? Vbi expressius docetur perpetua eius Virginitas? Vbi eius partus sine dolore? Vbi sancta eius Natiuitas? Vbi vitæ inculpabilitas? Et tamen quædam ex his de fide, alia certo credimus, quæ nullatenus haben-

Ex quibus Scripturæ locis potest negatiua deduci & definiri.

tur in Scriptura, aut certè obſcurius, quàm hæc doctrina, quam diffiniri poſtulamus.

Non obſtāt his locis alia vniuerſalia.

35 Sed facilè noui dicturos, ſuperiora loca verè & æquè benè poſſe de Virginis ſanctæ conceptione explicari, niſi obſtaret vniuerſalis eiuſdem Scripturæ ſententia, omnes ſub peccato comprehendens. Sed nonne & præſeruationi ab actuali peccato, & vitæ tranſactæ abſque minimo etiam veniali contradicunt illa loca Iob 14. *Nemo mundus à ſorde*. 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c.* & alia quæ ſupra retulimus, præter innumera quæ ſunt in ſacra Pagina huius rei teſtimonia? Quibus tamen non obſtantibus à veniali liberatur à Doctoribus, & immunis prædicatur ab Eccleſia. Nonne ab vniuerſalibus legibus puerperij, corruptionis, poſt mortem, aliorumque incommodorum per vniuerſos homines graſſantium excipitur, cur non & ab hac vna, cæteris grauiori, reſeruabitur?

Firmiorem non eſſe traditionem Apoſtolicā pro alijs priuilegiis, quàm pro iſto.

36 Ab illis, inquiunt, eximitur propter vniuerſalem & continuam Eccleſiæ traditionem, per quam ſine legis iniuria, vel lex ipſa poteſt explicari, vel eius vniuerſalitas reſtringi. At ego vellem ſcire, quænam ante Hieronymum vel Auguſtinum horumve ſæculum, fuit de eius corpore non incinerando, & ſtatim glorificando traditio; quis eam prius docuit corporis aſſumptionem? Per quos deducta eſt ab Apoſtolis? De eius partu ſine dolore ante Nazianzenum nemo quicquam docuit, imò plures dixerunt contrarium, vt patet apud Hieronymum contra Eluidium. Vbi ergo hæc perpetua traditio, per quam ab illis vniuerſalibus regulis liberetur virgo, tam de corpore in puluerem non reſoluendo, quam ab incommodis puerperij non ſubeundis? Antequàm feſtum Natiuitatis Virgineæ Eccleſia inſtituerit, non conſtitit certo cum ſanctitate fuiſſe natam. inde enim primus validè ſanctam fuiſſe in Natiuitate probauit Ildefonſus (quod & ex eo deſumpſit cum alijs D. Thom. 3. parte, quæſt. 27. art. 1.) quia Natiuitatem ipſam celebrabat Eccleſia, quod tamen Feſtum poſt Auguſtini ætatem introductum eſt, cum ipſe expreſſe fateatur ſolam Chriſti & Ioannis ſuo tempore in Eccleſia Natiuitatem fuiſſe ſolemniter obſeruatam, vel celebratam. Quis ergo expreſsè, & conſtanter docuit ante Auguſtinum Virginem ante Natiuitatem gratiam accepiſſe, contra commune & rigoroſum illud edictum ſæpius in Scriptura repetitum, omnes naſci in peccato? Quinam ſunt ex prioribus illis Eccleſiæ

August. ſerm. 1. de Io. Ba: qui eſt 76 in appéd. to. 10. & ſerm. 2. de eodé qui eſt 20 de Sanctis

Ecclesiæ Patribus, qui clarè docuerint à peccato actuali præseruatam? Quando cœpit hoc Virginis priuilegium clarius innotescere? Nunquid liquidò per omnes ætates Ecclesiæ Pastoribus de his constitit prærogatiuis, vt potius illas tribuendas esse dicatur Beatissimæ Virgini cum exceptione legum, quàm hæc quæ dignitati eius, & excellentiæ plus cæteris conducit? Aequa est huius ac illarum ratio exceptionum, perpetua & constans, est huius etiam priuilegij apud Patres traditio.

37 Profecto illa traditio de præseruatione ab actuali (vt modo de cæteris priuilegijs longius non protraham sermonem) non liquido deprehenditur obseruata in omni ætate, & nunquam non interrupta per aliquorum Patrum dissensum, quos sæpius adnotaui contra Virginem sententiam in hac causa dixisse, & affirmasse eandem actuale peccatum, alij grauius, alij leuius commisisse. At nullus fuit ante Anselmi vel Bernardi sæculum, qui expresse dixisset Virginem originale in animatione vel secunda Conceptione (de qua nec ipsi Anselmus aut Bernardus veniunt intelligendi) contraxisse. Nec post illos fuit sancti & magni nominis vir, qui constanter idem assereret, ita quod aliter alibi non edocuerit, vno solum excepto, vt in opusculo de Sanctorum mente proposui, nec modo vllus fermè est, qui quidquam tale sentire vel audire velit de Virgine, si solos aliquos ex Patribus Dominicanis excipiamus. Cum ergo doctrina hæc de præseruatione Virginis ab originali, perpetua censeatur, & nunquam interrupta, quippe cum semper in omni sæculo fuerint aliqui qui eam vel docerent vel insinuarent, nunquamque traditionem hanc turbauerunt tot ex antiquis & & magnis Patribus, quanti qualesve hanc aliam interruperunt, non inaniter dicetur, quod si non firmior aut constantior, saltem æque valida ac perpetua censenda erit hæc atque illa de immunitate ab actuali Sanctorum traditio.

Nõ firmius traditum est ab actuali quàm ab originali fuisse Virginem præseruatam.

38 Atque vt fideliter compleam, quod superius promisi breuiter ostendam, traditionem hanc ab ipsis Apostolis descendisse, ab eisque hanc doctrinam exortam. Prætereo exactiorem discussionem illorum verborum B. Andreæ, quæ refert peruetustus Abdias ex presbyteris Achaiæ l. 4. & lypom. in eius vita; & quæ tanquam pro hac sententia vel expressa vel maximè fauorabilia recitata sunt in Ecclesia per plures annos, & adhuc decantantur in Officio Conceptionis, in Lectione 6. die octauæ. Nec examinare volo verita-

Ab Apostolis deducta est hæc traditio.

tem eorum, quæ ex alijs Apoſtolis, Apoſtolorumque diſcipulis, non ſine omni vel graui fundamento, referuntur expreſſa teſtimonia pro hac opinione. Solum obſeruatum volo in Patriarchalibus ferè omnibus Apoſtolorum Eccleſijs, vel per quas illi docuerunt, aut quas illi ſua prædicatione fundarunt, Conceptionis Feſtum inſtitutum & celebratum ab ipſorum vel ſaltem immemorabilibus temporibus.

Immemorabilis eſt memoria Feſti Conceptionis in Hieroſol. Eccleſia.

39 In Eccleſia Hieroſolymitana illud docuiſſe Iacobum Minorem illius ciuitatis Antiſtitem, conijci poteſt ex illius ſacra Lyturgia Syriaca; & antiquiſsimo cultu monachorum montis Carmeli, ab Apoſtolis baptizatorum, & in fide inſtructorum; vt refert Ioan. Patriarcha 44. Hieroſolymitanus, lib. de Inſtit. Monach. cap. 32. quos ibidem ait celebraſſe Feſtum Conceptionis inſinuatque titulus ille præfixus officijs Carmelitanorum impreſsis anno Domini 1574. inter quæ habetur Feſtum Conceptionis, in quo dicunt ea ſe ordinaſſe *iuxta vetuſtam, & approbatam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ conſuetudinem.* Idemque Feſtum ibidem celebratum ſuo tempore ſcripſit Stephanus Raguſinus Epiſcopus Stagnen. libr. 1. de perenn. cultu terræ Sanctæ.

In Eccleſijs Syriæ & Alexandriæ.

40 Per Eccleſias Syriæ & Alexandriæ eandem doctrinam ſeminaſſe idque ipſum Feſtum inſtituiſſe B. Marcum Euangeliſtam, docent alij, vel deducunt ex illa precum diſpoſitione, Euangeliorumque diſtributione, quæ in ijſdem Eccleſijs, præfixis illis titulis, qui in Syriaco textu à Guidone Fabritio Roderiano, doctè excuſo, habentur, decantari ſolebant ſtatutis feſtiuitatibus, inter quas Conceptionis Feſtum non omnino inefficacibus rationibus (vt nouiſsimè quidam, etſi non inimico ſtudio, contendit) annumerandum eſſe, probatum volunt. Idemque confirmatur ex Kalendario Alexandrino, in quo ad 8. Decembris habetur Feſtum Conceptionis, & ex confeſsione ſeu relatione cuiuſdam Armeni Epiſcopi, qui in Angliam appulit ad annum 1128. conſtitit, illud idem Feſtum coli ſolitum per omnes Armeniæ Eccleſias, vt referunt Matth. VVeſtmonaſterien. in ſuis Chronicis ad prædictum annum, & Iodocus Coccius in Theſauro Cathol. lib. 3. art. 6.

In Eccleſijs Græciæ.

41 Per Eccleſias Græciæ, quibus multi ex Apoſtolis prædicauerunt, & quas præcipuè fundauerunt Petrus, Paulus, & Ioannes, ex antiquo ſatis tempore eadem colitur feſtiuitas, vt conſtat ex Lyturgia 10. Euchologijs Græcorum, Kalendario Damaſceni & alijs,

eandemque ibi viguisse sub annum 1143. patet ex constitutione Emanuel. Imperat, quam recitat. Theodor. in monoc. Photij tit. 7. c. 1. vt habet Baron. ad 8. Decembris.

42 In aliquibus Ecclesijs etiam occidentalibus circa Apostolorum tempora incepisse facilè inferre licet, dum non certo constet ex eius origine, referatur verò inter cætera Romanæ Ecclesiæ Festa, tam in antiquissimo Martyrologio Romano, quàm in Hieronymiano, quod idem cum Romano fuisse contendit Baron. ad princip. sui Martyrol. vel ex quo, vt alij volunt, Romanum antiquum confectum est. Idem ex Martyrologijs insuper Bedæ; Vsuardi, Adonis, alijsque antiquissimis monumentis colligitur, in quibus hæc festiuitas inter cæteras refertur. Vnde cum hæc Martyrologia tam in Romana Ecclesia quàm in cæteris Europæ habebantur in vsu, non inusitatum credendum erit apud eos hoc Festum fuisse. Patres Congregationis Basilien. ad annum 1439. Sess. 36. dixerunt antiqua & laudabili consuetudine celebratum fuisse in Ecclesia Romana. Idemque confirmatur ibidem in margine tam in editione Conciliorum sub Sixto V. quàm in nouiori & postrema Colonien. Et multis ante hos annis diuturnam hanc fuisse consuetudinem Romæ obseruatam, testatus est Ioan. Baccon. 4. sentent. d. 2. q. 9. art. 3. In Ecclesia grauissima Toletana antiquissimum fuisse colligitur ex Missali Mocarabico B. Isodori in Cæsaraugustana verò del Pilar, quam B. Iacobus Maior fundauit, & extruxit in honorem Virginis Mariæ, ab eius tempore ibidem, & per omnem Hispaniam cælebrari cæpisse scripserunt in omnimoda sua hystoria Flauius Dexter, & Paulus Orosius qui floruit ad annum 400. in Epistola ad Eustochium, quam citat Mauricius Villaprobata Dominican. in corona Mariæ serm. 16. expresseque testatur Marcus Maximus vir grauissimus de quo illustre exhibet testimonium D. Isidorus Hispalen. libro de Viris illustribus capite 46. in Hymno, qui obseruatur in eadem Ecclesia, quam specialiter in Conceptionis Mariæ honorem Apostolum dedicasse testatur, Hispanisque prædicasse hoc Mysterium, alijsque fidelibus cæteros Apostolos.

In Occidentalium.

43 Hæc vetusta & constans Apostolorum traditio, hæc illa suarum Ecclesiarum instructio, antiquum hoc in illis tantæ festiuitatis principium. de quo non obstantibus tot, tantisque illustribus huius veritatis assertoribus, si quis ambigere velit, an in illis Ecclesijs ita

Ex consensu aliarum ecclesiarum cōfirmatur traditio.

ſijs ita fuerit, aut inſtructum, aut inſtitutum (vt cuidam, licet non inualido Marianæ puritatis defenſori, ſed infirmis de cauſis, vt aliquando monſtrabo, placuit dubitare) videat modo & cultum & conſenſum omnium Eccleſiarum, ab illis propagatarum. *Ab illis* (ait egregiè certè Tertullian.) *traducem fidei, & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, vt Eccleſiæ fiant, ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. omne genus ad originem ſuam cenſeatur, neceſſe eſt.* Cum igitur per vniuerſas Eccleſias modo perſpicere liceat hanc doctrinam, & feſtiuitatem, per particulares Europæ, per ſpeciales Aſiæ, per inferiores Græciæ, & Armeniæ, vnde eam aliter illis prouenisse credemus, quàm à ſuperioribus, à matricibus, ab Apoſtolicis, & per Apoſtolos fundatis? Per harum fidem, & cultum, quid in illis docuerint Apoſtoli, indubitanter colligimus, quanquam aliunde non ſuppetat teſtimonium. Ita docuit Auguſtinus, dicens; *Illa quæ vniuerſa tenet Eccleſia, ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.* Quod & alijs pluribus in locis conſtantiſsime docet l. 10. de Geneſ. cap. 23. lib. de fide & operibus cap. 9. lib. 1. de nuptijs & concupiſc. cap. 20. & lib. 6. contra Iulian. cap. 2. epiſt. 108. 174. & præcipuè in 118. ad Ianuar. *Illa* (inquit) *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio atque aſcenſio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus Sancti anniuerſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quod aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa, quacunque ſe diffundit Eccleſia.* Et Tertull. *Quod apud multas vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Cum ergo per vniuerſam quocunque ſe diffundit & extendit Eccleſia, hic ſit eius cultus, hæc profeſsio Virginem Mariam ab originali euaſiſſe immunem, hæc certè ab Apoſtolis deſcendit feſtiuitas, ab eis hæc eſt adminiſtrata doctrina.

Tertull. l. de præſcript. c. 20. to. 3.

Auguſt. l. 5. contra Donat. c. 23. to. 7.

Idem epiſtola 118. ad Ianuarium c. 1. tom. 2.

Tertull. cit. c. 28.

44 Cum moderniores, & primæ illæ Apoſtolicæ, vel ab Apoſtolis fundatæ Eccleſiæ, in hac vna conſpirant diſciplina, quid vltra de eius veritate dubitandum? Quid ambigendum an ab Apoſtolis tradita? Quid controuertendum, an poſsit definiri? Vt quid, verum ſit in doctrina, perſpiciatur, vt quid, Apoſtoli docuerint, inueſtigetur, recurrendum ad Eccleſias, quas fundauerunt, & quod illas colere videbitur, id ſine dubio Apoſtolos docuiſſe tenendum.

In Patriarchalibus Eccleſijs diuulgatur traditio.

Nec

Nec potior eſt apud Neotericos, nec certior apud antiquos Apoſtolicæ traditionis indagandæ ratio. Hanc oſtendit viam veritatis, & doctrinæ Apoſtolicæ inueſtigandæ Lugdunen. ille grauiſsimus Præſul Irenæus; *Quid enim* (inquit) *etſi quibus de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum, & re liquidum eſt.* Eandem etiam ſemitam monſtrauit Tertullianus ad inquirendum quid Apoſtolis in doctrina aliqua controuerſa, viſum fuerit. *Quid Apoſtoli* (ait) *prædicauerint, & quid illis Chriſtus prædicauerit hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando tam viua (quod aiunt) voce, quam per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſijs Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei, conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit: reliquam verò omnem doctrinam, de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.* Si ergo hæc pia, & ſancta doctrina quæ Virginem Mariam à communi ſcelere defendit, colitur & prædicatur in Orientalibus & Occidentalibus Eccleſijs, in matricibus & originalibus fidei; in Romana, quæ omnium magiſtra eſt, *& ad quam propter potentiorem principalitatem* (inquit peruetuſtus Irenæus) *neceſſe eſt omnium conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Si in Romana (inquam) quocunque per orbem ſe diffundat, hæc prædicatur, & colitur doctrina: ſi antiquæ & nouiores Apoſtolicæ ab illis deſcendentes in hac vna concordant; quis dubitabit hanc doctrinam Eccleſijs ab Apoſtolis, Apoſtolis à Chriſto emanaſſe, eamque ſolam veram in qua, nulla ex Apoſtolicis illis Eccleſijs, & primis matricibus aliqua varietate diſſentiat, nec diſſonantia diſcordet? *Communicamus* (ait Tertull.) *cum Eccleſijs Apoſtolicis in quibus quod nulla doctrina diuerſa, hoc eſt teſtimonium veritatis. Ecquid* (ait idem cap. 28.) *veriſimile eſt, vt tot ac tantæ Eccleſiæ in vnam fidem errauerint?*

Iren. l. 3. aduerſ. hæreſ. c. 4

Tertull. vbi ſuprà c. 21.

Iren. citat. c. 3.

Tertull. proximè citatus.

45 Iam ergo pro noſtra definienda ſententia habemus & Scripturam applaudentem, & traditionem non ambiguam. Quid vltra deſiderari poterit, vt hæc & ſola hæc definiatur doctrina? Aliud addam fundamentum, quod ſæpius inculcaui Doctorum omniũ moderniorum communem conſenſum, & vniuerſalem omnium Chriſtia-

Communis conſenſus Doctorum negatiuam ſolam definibilem eſſe confirmat.

Christianorum assensum. Quam, vt aliquid pro vero, & certo censeatur, sufficere, ait August. cum de grauissima illa quæstione de animæ origine altercaret, variasque in ea referret sententias, quarum quampiam, vt pro vera, & certa eam sibi persuaderent contrarij, vnum è duobus sibi efficacissimum expostulauit fundamentum, vel Scripturarum authoritatem, vel placitum commune; *Neq; enim* (inquit ille) *vt videamus quàm hoc sit verum, Scripturarum authoritas necessaria est, ac non sensus ipse communis, ita verum esse perspicua ratione proclamat, vt quisquis contradixerit, dementissimus habeatur.* Vbi ad veritatem & certitudinem cuiusque rei, non iudicauit necesse sacram sibi adstipulari Scripturam, quod & post eum docuit cum multis alijs Melchior Canus lib. 3. de locis c. 3. fundam. 3. & lib. 12. cap. 7. præcep. 6. vbi multa ait definita esse, & posse decerni de fide, quamuis nec apertè nec obscurè in sacra Scriptura contineantur, quod in primo loco plurimis, ijsque manifestis probat exemplis, alijsque grauissimis docuit Franciscus Feuardent. annot. 1. in cap. 3. lib. 3. Diui Irenæi aduersus hæreses, & alij. Sensum solum communem sibi sufficere fatetur August. eoque se conuictum iri, cui contradicere dementissimum iudicauit. Plurimum certè ei tribuunt, multi graues authores. Doctorum etiam iuniorum Scholasticorũ communi sententiæ refragari insanum & temerarium iudicauit Canus lib. 8. cap. 4. conclus. 2. & conclus. 3. ait illud Christi Domini; *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Non modo ad Apostolos, & Doctores vel Theologos Christo proximè succedentes, verum & ad iuniores dictum fuisse, & ex Chrysostomo, siue authore operis imperfecti homil. 42. probat eum, qui recentiores Theologos despuit, Christum ipsum despicere, illorumque communem opinionem non inualide probat sufficere, vt aliquid de fide definiatur. Satis hoc conatur ostendere ex Concil. Viennen. vt habetur ex Clementina vna. de summa Trinitate, & fide Catholica illiusque verbis à se ita citatis; *Opinionem illam quæ dicit tam paruulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes tanquam probabiliorem, & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem statuimus fore à Catholicis eligendam.* Si opinatio ipsa (subnectit Cano) Theologorum recentiorum communis fidem facit Concilio, illudque inclinat vt definiat huiusmodi opinationem esse tenendam, quid si non ex opinione, sed ex certo & minimè circumductili animo, quicquam Theologi omnes præfinierint? Ita verò

August. Epist. 7. ad Marc. in fine tom. 2.

Lucæ 10. 16.

verò firmiter huic nostræ sententiæ Theologi adhærent, vt non probabilem solum, sed omninò certam & veram diiudicent. & plerique pro eius veritate libenter se vitam, & caput exposituros publicè, & in concionibus & scriptis promittunt. Communem etiam omnium esse sententiam testantur, qui de ea scribunt; nec enim vt non dicatur, aut desinat esse communis, sufficit aliquos, eosque paucos, dissentire, qui nec in Cathedra, nec in suggestu aut è loco aliquo eminentiori, aut publico consessu possunt, aut valent suam promere sententiam. Communis est illa, quæ omnium est Regnorum, omnium matricium Ecclesiarum, omnium Academiarum, quæ sola ex vniuersis [illegible] docetur, ex omnibus prædicatur suggestis, nec eius generalitati potest efficere, aut aliquantulum obstare, quæ paucis placet, & ad secretos deducta recessus in publicum prodire non potest.

46 Taceo modo alia, maximam videlicet eamque manifestam Pontificum omnium in hanc sententiam propensionem, Ecclesiasticum vultum, populi deuotionem, de quibus latius in alio egi opusculo, aliaque huius generis, quæ ita certam & sanam hanc reddunt doctrinam, vt nequaquam dubitari possit eam solam esse definiendam. Quando etenim Pontifices contra communem suorum Prædecessorum propensioné, vel contra sententiam in quam omnes abibant, dixere sententiam? Quando contra id, quod Ecclesia per multa sæcula coluit, protulit ipsa iudiciũ? Quando contra cultus indicatam totius orbis Christiani deuotionem statuit aliquid credendum? Quando vel quomodo contra omnes, quod cum omnibus sentit, diffinitiué damnauit? Restat certè, vt quod ipsa probabile, verum & pium iudicauit, item tot fundamentis, suaq; soliditate securum, de fide statuat omnibus credendũ, non secus ac alias fecit, de definiendo de Fide (vt superius inter cætera exempla adnotaui) in Concil. Florentin. & Tridentin. infundi virtutes cum gratia in baptismo, quod solum probabile iudicauit antea in Viennensi.

Idem suadent aliæ rationes.

An obiter demum D. Thomam aliquando contrarium sensisse.

§ VIII.

47 [illegible] contra D. Thom. [illegible] probauit.

48 Sanctum Doctorem pro hominum conditione potuisse errare.

49 Multi etiam ex eius discipulis à

ſancto Doctore ac ſubſidium diſcre- pent. [illegible]

50 Non procedit a [illegible]

51 Duplicem [illegible] *Pontifi- ces approbaſſe D. Thomæ doctrinam.*

52 Quæ [illegible] *D. Thomæ* [illegible] *dargunt, & quid* [illegible] *impugnare.*

53 [illegible] *Doctore* [illegible]

54 [illegible]

47. SEd ſermo excedit, & pœnitet [illegible] obiectionem, [illegible] oſtendum, contrarium ſcilicet [illegible] & pluribus [illegible] cuiſſe, D. Thomam, cuius doctrinam ita certam iudicant, vt nunquam quidquam quod ſcripſerit, poſſit aliquando ab Eccleſia reprobari. Hoc ſibi aliisque perſuadere conantur [illegible] Innocentii V. (vt aiunt quidem) dicentis, quod quicunque doctrinam Diui Thomæ tenuerat, nunquam inuentus eſt a veritatis tramite deuiaſſe, & qui eam impugnauit, ſemper de veritate erat ſuſpectus. Atque Vrbani V. qui quadam Epiſtola ad Epiſcopum Toloſanum dixit Diui Thomæ eſſe veridicam; [illegible] V. dicentis doctrinam eiuſdem Doctoris eſſe [illegible] Chriſtianæ doctrinæ.

48. Ego certè Angelici Doctoris, optimè de Eccleſia meriti, [illegible] laudes & veneror, omniaque laude digna [illegible] quos in eo [illegible] ſi me imparem non agnoſcerem, [illegible] largius in eius elogia me diffunderem. [illegible] Doctorē egiſſe & fuiſſe credo, vt Angelicus, non Angelus; vt Scholaſticus, non Canonicus; vt homo [illegible] [illegible] quæ ſcripſerat à Spiritu S. [illegible] [illegible] [illegible] *Auguſt.* [illegible] [illegible] Cyprianum obiicientibus, ait Auguſt. [illegible]

tere ostendant; Quibus eiusdem Augustini verbis de Cypriano ego respondeo de Thoma; *Non me terret authoritas Thomæ, quem reficit humilitas Thomæ.* Infra; *Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam postea Ecclesia tenuit, cogere gentes Iudaizare, cur non potuit Thomas contra sententiam, quam postea tota Ecclesia tenuit, inducere gentem vt crederet Mariam in peccato conceptam?* Puto quod sine vlla sui contumelia Thomas Doctor Petro Apostolo comparatur.

Idem l. 1. c. 13. Idem l. 2. cap. 1.

49 Cur ergo à Thoma aberrante, non possit quisquam recedere? cur illud quod minus sanè dixerat, non possit quisquam vel amice corrigere, vel acrius impugnare? Multi sunt, qui in eo plura refellerint, & plures sunt ex eius discipulis, qui ab eo in multis discesserint. Scotus, Durandus, & post hos multi, sed religiosa obseruata modestia plurima ex eius scriptis, si non expugnarunt, saltem impugnarunt. Caietanus fidelissimus, & addictissimus eius interpres, Canus cum suo magistro Victoria ab eo nō semel discreparunt; *Admonebat magister meus Victoria* (verba sunt Cani) *non oportere S. Thomæ verba sine delectu & examine accipere, imò vero, si quid aut durius, aut improbabilius dixerit, imitaturos nos eiusdem in simili re modestiam & industriam, qui nec authoribus antiquitatis suffragio comprobatis, fidem abrogat, nec in sententiam eorum, ratione iri contrariam vocante, transit. Quod ego præceptum diligentissimè tenui. Non enim vllam non Diui Thomæ dico, sed ne magistri mei opinationem quidem reuocaui ad arbitrium meum; nec cordi tamen fuit iurare in verba magistri. Nam & vir erat ille natura sua moderatus, & cum D. Thoma aliquando etiam dissensit.*

Multi sunt sancti viri in eo discreparunt. Cano 12. de lo. in procem.

50 An vero Scotum suosque omnes sectatores à veritate aberrare, vel de veritate suspectos dicemus quod contra Diuum Thomam senserint, cum Scoti doctrina nunquam vel aliquantulum in iudicium, vel minimam suspicionem vocata fuerit ab Ecclesia, vel tantillum damnata in aliquo ex tot Concilijs Generalibus, quæ post eum fuerunt celebrata? Nunquid ideo, quia à D. Thoma discrepauerit, in ijs, in quibus cum eo non conuenerit, condemnatus sit Caietanus? Non ob id toties damnatus, aut reprobatus Caietanus, sed quia subtilius quam fœlicius suo fidit ingenio, *& quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cuiusdam lepræ admixtione* (vt de illo ait Canus) *fœdauit.* An demum ob id ipse Canus eiusque doctissimus magister Victoria aliquando erroris vel falsitatis fuere accusati, quod à Diuo Thoma deflexerint? Neutiquam?

Nec proinde à veritate aberrarunt. Cano l. 7. c. 3. conclus. 5.

Qualiter intelligendæ illæ Pontificum approbationes.

51 Vt quid ergo puerorum terriculamenta nobis obijciunt Aduersarij, & approbationes nescimus quas, nec scimus quorum Pontificum (dum prima illa verba, quidam Innocentio IV. alij V. alij VI. & VII. attribuunt, nec quidquam authenticum in hac re facilè sit inuenire) proferunt, vt ita approbatam probent Diui Thomæ doctrinam, vt non liceat contra illam sentire. Maior ne est operum Diui Thomæ approbatio, quam illa quæ habetur 72. magistrorum claustri Parisiensis, & Alexand. IV. sub plumbeo Diplomate confirmatio & approbatio doctrinæ Alexandri Alensis, quæ asseruatur in sacrario Minorum Parisiensium. Maior forsan aut potior hæc approbatio codicum D. Thomæ illâ Gelasij Pontificis D. 15. c. Sancta Romana. Operum Augustini, Gregorij Nazianzeni aliorumque qui ibi recensentur, contra quorum aliquos, nonnulla sunt postea definita? Præcitati Pontifices nihil in hac re diffinierunt, nihil inuiolabiliter obseruandum statuerunt, sed pro vniuersali doctrinæ excellentia & sua in S. Doctorem propensione, vtpotè sub cuius doctrina, quidam ex illis fuerant enutriti, & instructi præclaras & magnas quasque laudes in eum dixerunt, approbantes, & commendantes eius opera, in quibus omnibus communiter & vt in plurimum non errauit à veritatis tramite, licet in aliquibus, ijsque paucis, potuerit aliquando ab eo deflexisse. Ita intelligenda venit illa approbatio Alexandri IV. de operibus Alexandri Alensis, quantumcunque ob tam insignis Pontificis & Illustrium Parisiensium commendationem irrefragabilis dicatur. Ita approbationem illam Gelasij de operibus Augustini, & aliorum Ecclesiæ Doctorum explicauit grauissimus Præsul Abulensis cap. 28. sui defensorij, dum ait, non approbasse Ecclesiam singula illorum opera, seu omnia in illis contenta, & vnamquamque propositionem sigillatim cuiuscunque illorum Doctorum, quos Gelasius Papa nominat, sed eorum opera in communi & vniuersaliter esse sana & Ecclesiæ vtilia, & hominum Catholicorum nequaquam de hæresi suspectorum, aut condemnatorum esse labores, laude dignos, & in Ecclesia legendos. Vnde quod præcipuum faciunt Pontifices (vt ait idem Abulensis) in his approbationibus est, tollere ab huiusmodi operibus suspicionem de hæresi voluntaria. Similiter hanc approbationem (si quæ est) Vrbani vel aliorum Pontificum de operibus Diui Thomæ, intellexit facultas Theologica vniuersitatis Parisiensis in exceptis princi-

Videndi Canus l. 7. cap. 3. concl. 2. Lyrinen. ab eo citatus, & Valent. to. 3. q. 1. punc. 7. §. 41.

principalium articulorum tractatus cuiusdam contra errores Fratris Ioannis de Montesono, vbi præpositis varijs modis approbationum, per primas tres conclusiones statuit, vel docuit D. Thomæ opera eo sensu esse ab illis Pontificibus approbata, vt pro vtilibus & probabilibus sint diuulganda, non tamen quod oporteat credere, quod ipsa in omni sui parte sint vera, & in nullo à vero tramite aberrent: quas conclusiones ibi plus satis multis argumentis & exemplis comprobat, & ad finem tertiæ conclusionis prudenter addit; *Nam Ecclesia, sicut canonizando aliquem Sanctum, non per hoc approbat omnia eius facta, ita approbando eius doctrinam, non per hoc approbat omnia eius dicta vel scripta, sed solum illa, quæ per authorem ipsum non sunt retractata, nec per alium sunt correcta, aut meritò tanquam veritati contraria corrigenda, iuxta doctrinam Sancti Apostoli. Omnia probate, quod bonum est, tenete. Sic igitur per Sanctam Ecclesiam approbatur aliqua doctrina, non tamen quoad omnia, sed quoad illa, quæ sunt veritati consona; sicut patet de doctrina Origenis, de qua dicit Gelasius Papa 15. d. c. Sancta Romana. quod Origenis nonnulla opuscula quæ vir Beatissimus Hieronymus non repudiat legenda suscipimus, reliqua autem cum authore suo dicimus esse renuenda.*

Academia Parisien.

1. Thess. 15. 11.

52 Quare nec Innocentius (quisquis ille fuerit) aliud in illis verbis, quæ ex eo nobis obijciunt Aduersarij, voluit innuere, quam eos, qui impie doctrinam D. Thomæ pænitus tollendam, aut reijciendam putabant, vel qui in eam conuicijs, aut maledica lingua inuehuntur (vt furentes, & peruersi quidem Viri contra ipsum cæterosque Scholasticos plures euomuerunt calumnias) verè suspectos esse de veritate. Non vero eos vel in minima nota affecit Pontifex, qui catholicè, & sanè eius recipiebant opera, quamuis quidpiam, vel plures opiniones eius refellerent. Plus æquo volunt D. Thomæ discipuli hoc Pontificis testimonium sibi patrocinari, vt tam securum & certum sit totum, quod scripsit, vt nec minimum possit impugnari, aut reijci vlla eius opinio à viro quopiam, qui statim non sit iudicandus de veritate suspectus. *Non immeritò* (dixit Catharinus) *certo se scire multos ignorare, quid sit impugnare doctrinam D. Thomæ. Ille enim* (inquit) *verè Thomæ doctrinam impugnat, qui in vniuersum aut bona ex parte quasi non valde vtilem improbat, & contemnit aut* (*quod est horrendius*) *quasi minus Catholicam imò hæreticam, & tanquam vnam ex phialis iræ Dei fuisse blasphemant, id quod Martinus Lutherus non timuit pronunciare, ille impugnat D. Thomæ doctrinam,*

Quos D. Thomæ impugnatores condemnant Summi Pontifices citati.

Quid sit D. Thom. impugnare.

Cathar. l. 2. disput. pro immac. Cõcept. §. primo quod. ad finem.

qui non cum reuerentia & formidine, sed parum sobrie, & vt sectarum zelus, aut propriæ arrogantiæ trahit impetus, de illa in vniuersum iudicat, & obloquitur. At verò in vno aut altero, & vbi ratio postulat aut aliorum, præsertimque Ecclesiæ authoritas mouet, saluis modestiæ finibus, ab eo dissentire, quod magni & gloriosi Viri fecerant, etiam qui de huius sancti fontibus hauserunt, tantum abest, vt hic impugnet doctrinam Thomæ, vt etiam magis saluam illam velit, quando ea demum sit vera Doctrina, & ille verus Doctor, qui malit præhonorari veritatem. Hac modestia & discretione obijcienda sunt illa verba Pontificis, vt qui D. Thomæ operibus irreligiosè vel impiè in communi obloquuntur, seueriori censura notentur, & pro suspectis in fidei veritate habeantur; qui verò in opinationibus vel Theologicis placitis, de quibus salua fide licet aliter, atque aliter opinari, à D. Thoma discorderit, non statim in iudicium aut suspicionem vocentur. Aliter hoc iudicio iudicabuntur, & hac censura afficientur ipsi Summi Pontifices, qui quidquam statuerunt in aliquo contra D. Thomæ doctrinam de dispensando voto continentiæ in Monacho, de solemnitate voti, vel alijs, aut qui in quotidianis dispensationibus practicè ab eius opinionibus dissentiunt.

Sanctus Doctor se retractauit.

53 Præsertim cum in hac re nobis non obstet D. Thomæ authoritas, quippe qui alias contrarium dixerit, & quod contra immaculatam Virginis Conceptionem posterius in 3. part. vel alibi scripserit, postremo retractauerit, vt testantur multi eruditi viri Ioannes à Carthagena homil. 19. de Virgin. Concept. § 6. tom. 2. Ioannes Baptista Lezana in suo Apologet. c. 21. Bernard. à Bust. 1. p. Chanal. serm. 4. part. 3. & alij ex magistro Ioanne Vitali qui in Tractatu de Conceptione testatur se vidisse libellum quendam retractationum à D. Thoma concinnatum, in quo inter cætera, quæ in suis operibus iudicauit reuocanda, hanc de maculato Virginis conceptu retractauit sententiam. Et licet de hoc cachinentur Aduersarij, non omnino improbabile iudicandum est, cum nec facilè, & sine iniuria, falsitatis argui possit testis oculatus prædictus magister Vitalis, & alios ætate pares nec doctrina inferiores, Alensem, & Bonauent. illum speciali de hac re libello, hunc in serm. 2. de Beata Virgine, & alibi, viderit similiter Doctor sanctus fecisse, & reiecta affirmatiua, negatiuam amplexos fuisse; nec eius deroget doctrinæ aut authoritati quidquam ex suis scriptis reuocasse, cum nec Augustini honori obfuerit, imò valdè profuerit

tot in

tot in ſuis operibus correxiſſe. Non tot ac talia fundamenta habuit Auguſt. vt iudicaret Cyprianum ſuam de anabaptiſmo ſententiam retractaſſe, tamen propter Viri authoritatem, & egregiam quam de eo concepit opinionem, quod minimè in malè ſana ſententia cuius contrarium poſtea tota amplexa eſt Eccleſia, tenax ad mortem vſque hærere potuiſſet, auſus eſt dicere; *Correxiſſe iſtam ſententiam non inuenitur Cyprianus; non incongruenter tamen de tali Viro existimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſè ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Et libro 2. de Baptiſ. c. 4. de eodem ait; *Si enim Petrum laudat & prædicat ab vno poſteriore Collega patienter concorditerque correctum, quanto citius ipſe cum Concilio Prouinciæ ſuæ vniuerſi orbis authoritati patefacta veritate ceſſiſſet, quia profectò & vni verum dicenti & demonſtranti poſſet facillimè conſentire tam ſancta anima, tam pacata: & fortaſſè factum eſt, ſed neſcimus.* Quamuis Aduerſarij negent S. Thomam ſe retractaſſe, & modo hic liber eius deliteat, nec facilè inueniatur, tamen talem Virum dictam contra Virginem ſententiam reuocaſſe: exiſtimare licebit, & prædictum libellum aliquando extitiſſe.

Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincent. parum poſt med.

54 Dum igitur D. Thomas ita probabiliter cenſeatur ſe correxiſſe, vel ſi non correxerit hæſitabundus inter vtranque opinionem fluctuauerit, nec firmiter affirmatiuam vbique docuerit, non obſtabit eius authoritas, quin negatiua poſsit definiri. Imò & ſi ſemper vnus & tenax in illa fuerit ſententia, eamque nunquam reuocauerit, non moleſtè feret humilis & ſanctus Doctor præponi ſibi vnanimem totius ferè orbis Chriſtiani & Eccleſiæ (cui, non ſibi adhærendum dixit in morte) conſenſum, & eius doctrinæ miram illam, quam tanti fecit, Eccleſiæ in hac ſententia concordiam, & antiquam in cultu conſuetudinem. Grauius certè & egrius ferret hæc propter eius authoritatem contemni, quo clarius modo videt in cœlis, nullum in terris poſitum in omnibus veritatem attigiſſe. Neque enim ei placebit ſi eius ingenium facultatemque ſermonis & doctrinę vbertatem cunctarum gentium conſilio aut ſenſui pręponere affectemus. *Præſertim, iam in tali luce veritatis poſito* (verba ipſa ſunt Auguſtini de Cypriano) *vbi certiſſimè cernit quod hic pacatiſſimè requirebat. Ex illa enim vbertate hæc noſtra, quæ videntur eloquia, tanquam infantilia rudimenta deridet. Ibi videt quæ regula pietatis hic egerit, vt nihil eſſet ei in Eccleſia charius vnitate; ibi etiam ineffabili delectatione contuetur quam prouida, & miſericordiſſima diſputatione Deus infirma mundi elegit, vt*

Non obſtabit Doctori definire negatiuam.

Auguſt. l. 5. contra Donat. c. 17.

 tumores

tumores nostros curaret, stulta mundi elegit, vt confundat sapientes; atque in ordinibus membrorum Ecclesiæ suæ tam salubriter omnia collocaret ne de ingenio vel litteris suis, quas adhuc ignorarent cuius munere haberent, electos se ad adiutorium Euangelicum homines dicerent, atque inde pestifera inflaremur superbia. O quam gaudet Cyprianus (liceat mihi dicere, ô quam gaudet Thomas) *quanto serenius in illa luce contuetur pro quanta salute humani generis factum sit, vt inueniatur aliquid, quod meritò reprehendi possit, quamuis in Christianis & pijs litteris Oratorum, & non inueniatur in litteris piscatorum.* Non indignabitur certè in cœlis vbi nulla bilis, nullus est liuor, hoc saltem in suis scriptis reprehendi, & negatiuam in terræ cœlorumque Reginæ (quam sine macula aut labe venerabundus & deuotus coram adorat) non exiguum honorem definiri. Non ob hoc Thomæ minuitur authoritas, non ob hoc reliqua eius vacillabit doctrina; nec in hoc ipso eius damnabitur sententia, cum in rebus dubijs illa semper fuerit D. Thomæ opinio vel doctrina quam Ecclesia postea definierit, vt & ipse dixit in morte, & omnes pij & Catholici Doctores parati sunt id potius sequi, quod Ecclesia statuerit, quam quod aliquando ipsi docuerint; atque ita nihil vnquam contra illorum sententiam definitur, quicquid ante scriptum reliquerint, vt egregiè docuit August. 2. de Baptis. c. 3. 4. & 7. & ex illo multi. Medina de Fide l. 6. c. 2. Castro aduers. hæres. l. 1. c. 7. Cano l. 2. de Loc. cap. 2. Sixt. Senen. Bibliot. Bellar. l. 3. de Laic. c. 20. l. 3. de Verb. Dei c. 10. l. 2. de Christo c. 2. l. 4. de Eccl. c. 10. & alij.

Licet definiatur eius non minuetur authoritas.

An necesse sit cogi Concilium vt hæc quæstio definiatur.

§. IX.

55 Cogendum dicunt Aduersarij pro definitione Concilium, sed quo fine?
56 Pontificis definitio extra Concilium irrefragabilis?
57 Multi Pontifices plura sine Concilio definierunt.
58 Nulla est Concilij cogendi ratio.
59 Quantocius hanc expedit definire controuersiam.

Cogendum dicunt Aduersarij pro definitione Concilium.

55 NIhil prorsus modo obstat, quo minus ad huius controuersiæ decisionem Tua Beatitudo possit procedere; nullum se offert sufficiens obstaculum, satis ingruentes & vrgentes adsunt rationes, vt illud celerius efficiat. Perturbatur Ecclesia Catholica suorum Magistrorum, & Doctorum dissensionibus, acriter controuertitur, molestè dubitatur de vera sacræ scripturæ intelligen-

ligentia, perturbantur dissidijs regna, quæ vt placare velis vltima in hac re sententia ipso suo Iure, suorum Regum & Principum deprecantur instantia. Audiri & exaudiri debent à Sede Apostolica, qui tam iusta, tam rationi consona petunt concedi, qui à magistro veritatis obnixè rogant, vt eis reuelentur Scripturæ. Hoc vel ipsi, qui inter Aduersarios cordatè sentiunt, admittunt; sed statim submonent, esse ad rem hanc grauissimam, inquiunt, cogendum Concilium. Nihil magis huic causæ posset desiderari fauorabile, dum in omnium Prælatorum & Doctorum votis, præter Prædicatores aliquos, securè repositam habemus victoriam. Nec hoc pænitus illi ignorant, aut parum timent. Alio ergo eorum tendit consilium, vt adhibeatur Concilium; non quod illud desiderent, sed vt definitionem retardent. Norunt enim quanta de Concilio indicendo opus est consideratione, quantis sumptibus celebratur, quàm difficile conuocantur ab omnibus terræ angulis Prælati, quàm lentè accedunt Pastores, quàm egrè suas derelinquunt Ecclesias, quàm tardè adueniant Doctores, quanta procrastinatio de Concilio incipiendo, quanta varietas votorum de sessione indicenda. His & alijs remorationibus res protrahitur in longum, & serò vel nunquam, optato potiemur effectu. Dum enim tot, tantaque Concilio necessaria præparantur, dum expectatur omnium consessus, succedentibus sibi sæculis, superueniunt, & succedunt aliæ res grauissimæ & causæ seriæ, quibus incumbere festinato necesse est, vtpote quæ moras forsan non admittant, & controuersia hæc in sua ambiguitate perseuerat. Hoc eorum consilium, huc eorum tendit intentio. Nec enim de hominibus prudentibus credo alium sibi proposuisse in hac sua suggestione finem, cum nec æquum sit de viris cordatis credere, cum toto orbe, eos velle in Concilio contendere. Ad quid namque cum cæteris illi in Concilio conuenirent? vt suam paucitatem & tenuem vnius & non totius familiæ numerum toti Christianorum vniuersitati opponerent, vt inaniter obstrepentes in vanum laborent suam alijs persuadere sententiam? Vt mundum vniuersum à sua firmiter concepta dimoueant doctrina? Vt desiderata sed desperata, forte fortuitò possint potiri victoriam? Demus conuenisse, supponamus in Concilio apparuisse, suamque causam statuisse discutiendam. Nonne ab omnibus cauebunt? Nonne omnes timebunt? Nonne omnes habebunt pro suspectis cum omnes sibi nouerint in hac re contrarios?

Sed qui sint.

Bernard. epist. 126 ad Episc. Aquit.

trarios? *Quosnam quæso* (vt de pauculis illis Petri Leonis adhæsoribus interrogauit Bernardus) *dabunt Iudices sibi? omnes quippe in parte sunt, & partibus. de Iudicio haud facilè conueniet, atque ita ad litem magis, quam ad pacem tantus Conuentus fatigabitur.* Sed dicent, Legatus Apostolicus, vel qui in eo Concilio præsidebit, Iudicem aget. At quisnam erit ille, quem non in sua causa habebunt suspectum, cum iam præter illos rarus vel nullus sit, quem non facilè præsentiant, & diuinent contra eos sententiam dicturum? Satius & tutius causam suam soli confident Pontifici, consultius eius vnico se subijcient Iudicio.

Pontificis è Sede definitio irrefragabilis.

56 Sed fuere qui perfidè, & hostiliter Pontificis detraherent definitioni, fuit etiam, sed temerè, qui de Catholicorum numero, de infallibili Pontificiæ sententiæ veritate extra Concilium dubitaret. Non credam leuiter nec facilè suspicabor de his Catholicis viris, quidquam tale præcipitanter, & non sine fidei iniuria, dixisse. Ne vero sit quispiam, qui adhuc in hoc luto hæreat, & de Pontificis absoluta authoritate vt hanc controuersiam posit per se definire, dubitet, quædam de hac re subnectam. Ita certum censendum est apud Catholicos Tuam Beatitudinem è Sede, & sine congregato Concilio posse hanc litem terminare, quàm certum est te esse Ecclesiæ caput, & magistrum, omniumque controuersiarum, quæ in illa suboriri possunt, Iudicem supremum. Pontifici etenim Summo, veroque Petri successori in verbis ad Petrum dictis promissa est indefectibilis fides, & stabilita est veritas ab eo tradendæ doctrinæ. Non est passa repulsam Christi oratio, quam pro fide Petri & successorum, ad Patrem se effudisse testatur, dicens; *Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua.* Pro Petro & in fide Petri succedentibus, non pro Concilio orauit, & exorauit. Aduersus hos, & aduersus Ecclesiam in Petro, in illisque fundatam, non aduersus Concilium, dixit, infernum non præualiturum, cum & Concilia errasse viderimus, quando à suo capite, à quo omnis sanctitas & veritatis influentia, recesserant vel dissenserant. Non tribuit Concilium infallibilitatem Pontifici, sed à Pontifice habet Concilium, vt sit ratum ac firmum. Tu tuæque Sedis Pontifices illas accepistis claues ligandi & soluendi, quibus dum clauditis, vel non reseratis, nemo indefectibiliter aperit; si aperitis nemo potest obscuritatis aut falsitatis tenebris occludere. Quod veritatis luce, & definitionis lumine, subducto obscuritatis velo, aperitis, & credendum proponitis, nemo

Lucæ 22. num. 32

ta, [illegible] potest in [illegible] [illegible] vel ligatis. Scripturarum, & [illegible] Mysteria, [illegible] & hostes ad quæcunque [illegible] [illegible] ligata. Deum elegisse Petrum [illegible] verba Euangelij [illegible] gentes, & credere [illegible] ipse Apostolus, nec in Petro [illegible] illa potestas [illegible] æqualis dedit authoritas. Labia Sacerdotis [illegible] [illegible]. Turrec. lib. 2. de Eccles. c. [illegible] VValdl. [illegible] Doctr. fidei c. 20. Canol. 6. de loc. c. 4. [illegible] Valen. [illegible] q. 1. puncto 7. Bellar. l. 4. de Rom. Pont. c. 1. [illegible] Plures sunt qui hoc argumentum latius prosequuntur, & aliqua etiam supra sunt annotata. [illegible] Canus (ne nihil dicam [illegible], qui [illegible] Tractatu fundamentum [illegible] inter nos necessum est de Fide ac Religione controuersias, quibus componendis si nullus est à Christo decretus Iudex, ad quem referentur tandem, eiusmodi quæstio omnis sine fine esset, perpetuaque dissensio, tot tamque dissonantes de Fide ac Religione sententiæ, quot sunt in Ecclesia, & quam sunt diuersa capita. Quam ob rem si Ecclesiæ veritatem, charitatem, communionem conseruare oportet, necesse est, vt vnus sit relictus à Christo Princeps, qui non aliter ac Petrus dissidentium lites dirimere, [illegible] quæstiones possit. [illegible] [illegible] facilè deesset [illegible] in Ecclesia ad quæstiones & controuersias [illegible] [illegible], id quod non esset si semper esset congreganda [illegible] Concilium vt vniuersas controuersias definiret.

57. Non [illegible] sunt huius absolutæ & independentis authoritatis Pontificiæ argumenta, ipso facto comprobata. Quid tenendum esset in grauissima illa controuersia ac per longos annos dubia [illegible], circa diem quo celebrandum erat Pasche docuit [illegible] Anicetus, Orientales Innocentius primus, & [illegible]. Pius II. Victor & Leo, horum nominum Primi, de eadem quæstione iterum renascente [illegible] Baptismum hæreticorum [illegible] esse docuit Cornelius Romanus [illegible] contra [illegible] [illegible] [illegible] definiuit Innocentius [illegible] cap. [illegible] dist. [illegible]. Idem [illegible] de [illegible] Episcopus [illegible] de necessitate gratiæ Christi contra Pelagium [illegible]. Ab [illegible] interpellatus Syricius Virginitatem nuptijs esse excellentiorem declarauit contra Iouinia-

Innocentium Sixtus IV. [illegible] Leo X. plures Lutheri. Pius V. & Gregorius XIII. [illegible] Michaelis Baij, inter quas quasdam non parum [illegible] sententiæ adversari [illegible], & Clemens VIII. [illegible] solutionem & resolutionem inter [illegible] [illegible] non reperiam quas supra memoratam Benedicti [illegible] XXII. aliorumque Pontificum definitiones.

[illegible] 48. Tot Pontificibus per se grauissimas has quæstiones [illegible] ribus, tibi soli Pater Sancte, ad hanc aperiendam [illegible] cradetur authoritas? Inter tot Summos Sacerdotes, tu [illegible] habes rationale iudicij? Tibi soli non est in pectore doctrina & veritas? Quorum potiores Sedem [illegible] & potestatem. Non est tot [illegible] Episcoporum, non est ob singulares viros, quoniam & [illegible] rus exiguus, & rationes [illegible], & fundamenta [illegible] neria conuocanda Ecclesia totius Occidentis [illegible] scopi, & qui in Oriente sunt Pontifices, accersantur, [illegible] *Ecclesiæ repertum est, non omnes* [illegible] de paucis hominibus, sed contra paucorum placitum ferant sententiam? Ad hoc [illegible] di vniuersi Prælati, vt quod iam toties audierunt, [illegible] notissimum, inutiliter examinent? Vt eadem, quæ [illegible] sunt argumenta, & fundamenta, semel atque iterum [illegible] studio, & nausea tædiosa [illegible] patientes [illegible] tant? Nihil certe nouum in Concilio [illegible] extra Concilium non fuerit satis repertum. Omnia [illegible] Vrbe [illegible] coram, multoties eluduerunt, & omnibus [illegible] cunt. Nihil est quod in hac re [illegible] quod est quod ipsos de plebe viros in Sancta [illegible] est quo Concilij conuocandi, pro [illegible] necessaria, dum illa satis [illegible] Sede possis aperire, vel aliter si de [illegible] omnium aliorum [illegible] [illegible]

[illegible] 49. Vt [illegible] Episcoporum [illegible] [illegible] Hispaniarum [illegible] & hæc [illegible] [illegible] Regnum [illegible]

[illegible]

malo occurrendum; antequam spaciosius se virus diffundat citò obueniendum; periculum erit in mora damnum auget dilatio. Ex leuioribus principijs implacabiles vidimus (proh dolor) exortas dissentiones, ex minimis natam maximam seditionem: Tantæ discordiæ tam inueterati odij miserabilis timetur exitus, *& discordiarum fraternarum horrendi euentus.* Sacrum bellum vocauit Nazianzenus (vt eius explicat Scholiastes) aliam similem controuersiam, quæ inter Episcopos & Sacerdotes Constantinopolitanæ regionis erat de quibusdam rebus Diuinis, quod statim & quam primùm exoriri cepit, putauit extinguendum. Sed nec potuit, donec multas peperit Ecclesiæ afflictiones. Gemens proinde, & dolens, omnem admouens curam, vt tantis malis adhiberet remedium, dixit; *Ecclesiæ afflictionibus sanandis, nisi hoc tempore cura aliqua adhibeatur, in omnimodam desperationem sensim res prouoluentur.* Solent certè multoties in tristissimum prorumpere exitum huiusmodi dissidia, & quæ in principio sanari poterant, neglecta, & dissimulata omnem respuunt medicinam. Prudenter herclè, ait Tacitus; *Nihil in discordijs ciuilibus festinatione tutius.* Sed non minus rectè alter ille Historiographus; *In tumultu festinatio quoque tarda est.* Vbi ergo dissidia, vbi discordiæ ciuiles, vbi sacer inter sacros tumultus, iam licet Tua Beatitudo festinet, tardare videtur; iam multa exorta sunt scandala, iam magna multis in locis præparantur dissidia.

Tit. Liu. dec. 4. l. 9. Nazianz. orat. 32. num. 68. tom. 1.

Idem orat. 46.

Tacit. l. 1. histor.

Quintus Curtius l. 9. de gestis Alexan.

TRACTATVS DECIMI.

FINIS.

Continuatio Historiæ.

COmpendiosius viua (vt aiunt) voce intimatis Sanctissimo Domino rationibus, & fundamentis, quæ diffusius in longiori hoc Tractatu expenduntur, manifestius esse dixit controuersiam hanc esse definibilem, quam vt tot, tantisque argumentis probetur, & probe se scire quid, & quantum in hac re possit perficere; nec de sua, vt definiat potestate, sed de definitionis conuenientia, aut necessitate, dubitari, præsertim cum vtraque pars tenax contendat suam, non aliam posse definiri sententiam. Pro sua

maturitatem, & graui consideratione in rebus agendis addidit rem grauiorem esse, quam quæ sub paucis diebus faciliter absoluatur, & repentè vltimum expetat iudicium. Laudauit Orator ponderosam Pontificis hæsitationé, & lentum, ac lenem in re non leui gressum, & progressum, seque fateri dixit vltimam huius controuersiæ sententiam & præuium examen requirere grauium Virorum, & prouectorum Theologorum quos haberi adiunxit multos, & optimos in Vrbe, quibus rogauit (quod & sæpius fecit) vt hæc causa committeretur discutienda, & ad quorum iudicium, & consilium secundum superni Numinis spiramen posſit, modo expediret terminari. Non esse illud tempus omnino opportunum huic examini, vel integrè, & exactè huius rei discusſioni respondit optimus Antistes, & iam præ foribus esse alium Regis Catholici Oratorem (iam enim Genuam appulerat Dux Albuquerquius quem superiùs diximus destinatum fuisse Regis Legatum in vrbem) quem expectandum dixit, si forsan Rex mutauerit consilium, & aliter se habeant, vel sopiti sint tumultus Hispaniæ, aut efficaciori indigeant remedio.

Sub mensem Octobris medium accepit Episcopus inexpectatas Regis litteras, datas Olyſsipone sub Idus Sextiles, in quibus declarauit gratum, & placitum sibi fuisse Episcopi ministerium & solicitum in hac fungenda Legatione studium quod vt prosequeretur iniunxit, adiungens se per eius diligentiam, & curam breuem expectare huius negotij exitum, & fælicem successum. His litteris plurimum exhilaratis domesticis, & familiaribus Oratoris, ijsque negotij desiderabant profectum, ille grauius, & prudentius rem expendens, ad Regis litteras, & fauorem sibi gaudendum dixit, securam tamen non reddi, vt solus ille hanc obiret, vel absolueret Legationem. Considerauit etenim non reuocari in his, quem præscripsit Rex ordinem in ijs, quas deferebat nouus Orator, vt ei resignata Legatione remearet in Hispaniam. Dubius ergo, & hæsitabundus inter eam quam concipiebat de his litteris spem, & diffidentiam, quam ingerebant præscriptus, nec cassus à Rege ordo, & iam manifestus Ducis animus de non ferendo alio simultaneo Oratore, rei euentum prouidè Dei dispositioni commisit, eleemosynis, quas semper maximas irrogauit insistens, & omnia Virginis delubra in Vrbe inuisens, & muneribus, ac oblationibus cohonestans. Deprecabatur asſiduè hoc solum, vt quem Deus huic muneri

neri idoneum præuidebat ministrum, hunc eligeret ex omnibus vnum, & suæ matris causæ præficeret.

Expectabat interim Ducis aduentum, quem vt ad Ciuitatis-veteris portum quem supra adnotaui, à quibusdam Centumcellen. dici, triremes applicuisse, percepit; per internuncium, & litteras eius congratulatus est aduentui, & postridie seiugo curru ipse ei obuiam porrexit; Ingressus est Vrbem nouus Orator 13. Kalend. Decembris magno comitatu, & egregio fastu honorificè, vt decet à Sanctissimo Domino, & omnibus Principibus exceptus. Vide Leandrum Albertú, in descriptione Italiæ sub Regione pag. 52.

Hoc ipso eodem die Magister Sacri Palatij omnes percurrit metallorum incusores, seu celatores, quos vulgariter medallarios vocant, & multa millia apud eos confiscauit Conceptionis toreumata, seu emblemata communiter medallia dicta, quæ propter magnum quod reportabant lucrum, ferè omnes nouiter celabant litoglyphi, seu sculptores, & transmittebant in Hispaniam in qua desiderabantur & aceruatim comparabantur propter feruentem & communem in hoc mysterium deuotionem. Habebant ex vna parte hi nummi Altaris hostiam viuifico calici superimpositã, duos Angelos vtrinque adorantes, circumscriptionem hanc Hispanam; *Alabado sea el Sanctissimo Sacramento*, quod Latinè significat; *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.* Et sub calice hoc nomen *Roma.* Ex altero vero latere effigiem Conceptionis Mariæ his circumcusis verbis; *Concebida sin pecado original*, Latinè sonat; *Concepta sine peccato originali.* Potuit autem licitè, & iuste hæc proscribere, vel confiscare numismata Reuerendissimus Magister, quia sæpiùs lege latâ cautum est, vt nullus ex his incusoribus, vel litoplyphis vllam incudat, vel celet imaginem, effigiem, aut verba in quouis metallo, non obtenta prius eius licentia, quam pro his cudendis non obtinuerunt. Potuit etiam, & sine conscientiæ reatu factum hoc condonare; sed quandoque animi affectus eas præscribit leges exequendas, quas alias liceret absque noxa dissimulare.

Dure, & molestè tulit Excellentissimus Dux propter ingentem quam præ se ferebat immaculatæ Conceptionis deuotioné ad eius introitum hanc factam mulctam, & in Conceptionis iniuriam illa sublata toreumata; & nisi quædã Curialitatis, & officiosa pro more nouiter aduentantium Oratorum obsequia præpedirent, se velle ostendit, statim de his agere. Paucis etiam elapsis à suo aduentu diebus, intimauit alteri Oratori sibi iniunctam hanc etiam extraordi-

nariam Legationem,& Regis litteras eidem porrexit,in quibus Orthodoxus Princeps significabat sibi videri controuersiam hanc in longum protrahi, eiusq; terminandæ curam se commendasse Oratori Duci,proinde consultum putasse,vt Orator extraordinarius in Ecclesiam suam,non sine incommodo pastore destitutam,reuerteretur. Vltimam Regis expandit Episcopus epistolam, per quam dixit sibi videri,non velle eundem orthodoxum Principem standum esse illis prioribus litteris, tot antea mensibus exaratis. Institit Dux sibi præscriptum, & ordinatum, vt illi negotio incumberet, & qua in illud vsq; tempus functus est Episcopus,Legationem prosequeretur. Vtrinq; ait Episcopus dubitandi emergere occasionem ex litteris Regis; Dubiumque hoc solum per ipsum Regem tolli posse,quem iudicauit de suo placito consulendum,eiusq; expectandum responsum, se verò donec illud obtinerent, à Legationis functionibus dixit destituturum. Quod & fecit,& scriptorum sibi traditorum, vel præscriptarum à Rege rerum, cum è Maiorito discessisset, Duci tradidit exemplaria sub mense Decembri. Oratoris verò nomen, aut authoritatem, ita leuiter, & absque clariori Regis præscripto,vel placiti insinuatione putauit nec licere,nec decere deponere. *Qui* (etenim) *mollitie præsentem gloriam amittunt,digni sunt accusatione.* Vtrique Oratori generosus, & laudabilis inerat appetitus de obeunda,vel prosequenda hac Legatione in Virginis, & Regis obsequium; Vtriq; per studium de comparando sibi de tanta,si quandoq; obtineretur Victoria, triumphum. Bene peruetustus ille Græcus latiæ, & Romanæ antiquitatis obseruator. *In ijs* (inquit) *qui pro paribus præmijs certant, par studium; & gloriæ cupiditas ad ipsas res gerendas innasci solet.* Neuter tamen aliud tunc in hac causa peregit, nec propter ingruentes festiuitates Natiuitatis amplius aliquid potuit hoc anno fieri. Cætera ad discessum Episcopi tradam sub Sectione sequenti.

Thucydid. l. 2.

Dionis. Halicar. l. 3. antiq. Roman.

SECTIONIS SECVNDAE

FINIS.


LEGA-

LEGATIONIS PHILIPPI III. ET IV. Hiſpaniarum, & Indiarum Glorioſiſsimorum Monarcharum

DE Definienda Controuerſia IMMACVLATAE CONCEPTIONIS B. VIRG. MARIÆ;

SECTIO TERTIA.

TRACTATVS III.



AD Orthodoxum Principem iam vterque Orator ſuas dederat litteras, ſuumque dubium, ab eo abſolui cupiens, expandit. Ordinarius verò, ſeu Excellentiſsimus Dux, cui cæteræ in Vrbe functiones commiſſæ, & qui Hiſpaniæ res oraturus, & curaturus erat apud Pontificem, impatiens in Legatione conſortis, inſtitit quibus potuit rationibus, vt primis litteris ſtandum eſſe declaretur, & omnino recederet Epiſcopus. Interim ad ſe attinere iudicauit excipere, & curare litoglyphoñ, vel incuſorum querelas de ſublatis ſibi, quæ ſupra ſub fine ſecundæ Sectionis diximus numiſmatibus Conceptionis, & reſarcire damnum, quod in ſuo ingreſſu accepiſſe hanc cauſam ſibi viſum eſt per illam confiſcationem. Vt abſoluta ſunt præclariora feſtiuitatum ſolemnia, egit cum Sanctiſsimo Domino, vt liberè illa emblemata, ſeu medallia in poſterum cuderentur, cum nihil continerent à fide abſonum, imò omnia vltimo Suæ Sanctitatis Decreto ſummè conſona. Excellentiſsima & Nobiliſſima etiam Ducifſa Oratoris conſors cum primum, promere, Sanctiſsimi Domini exoſcularetur pedes, indulgentias ſibi concedi

petijt pro immaculatam Conceptionem celebrantibus, vel prædicta numiſmata deferentibus. Qua benignè dimiſſa reſpondit Sanctiſsimus Pater Oratori, relatum ſibi à Magiſtro S. Palatij hanc factam confiſcationem propter tranſgreſſas ſtatutas leges de prius petenda licentia, vt huiuſmodi cuderentur, & quia propterea applicatas illis medallijs claris verbis immaculatam teſtantibus Conceptionem, indulgentias, erant, qui iactabant iam controuerſiam definitam, vel qui verebantur, aut obijciebant definitum iri. Inſtitit Orator longè abeſſe à definitione indulgentiarum conceſsionem, vel applicationem, nullamque ſubeſſe, quæ ſibi videretur, cauſam, propter quam Duciſſæ indulgentia, nec ei hæc neganda eſſet facultas. Iuſsit Sua Beatitudo informari Illuſtriſsimum Dominum Scipionem Cobellutium tituli S. Suſannæ Cardinalem, cui rem hanc diſcutiendam commiſit.

His mihi continuo relatis, iniunctum ſimul eſt, quamuis reluctanti, vt pro informando Illuſtriſsimo Cardinali ſequentem conficerem Tractatulum, quem quamprimum abſolui deſiderabat, & dare intendebat Orator. In illo propoſui, qua valui breuitate, & claritate rationes potiores, vt illa cudendorum numiſmatum daretur licentia, & inanem illum ex indulgentiarum conceſsione quorundam definitionis metum profligaui.

OPVSCVLVM PRIMVM

Ad Illuſtriſſimum & Reuerendiſsimum

D. SCIPIONEM COBELLVTIVM

S.R.E. Tituli S. SVSANNÆ Cardinalem pro obtinenda facultate: vt numiſmata inſcripta de immaculata Conceptione liberè cudi poſſint in Vrbe.

1 Narratur confiſcatio facta numiſmatum.

2 Proponuntur rationes, vt permittatur hæc cudi numiſmata.

3 Vtraque horum mumiſmatũ imago approbata eſt ſatis in Eccleſia.

4 Adiectæ inſcriptiones nihil prohibent, vt quæ deſideratur, cudendi licentia concedatur.

5 Probatur in ſpeciali de vtraque.

6 Effigies Conceptionis in numiſmate repreſentat præſeruationem Virginis ab originali.

7 Alia Aduerſariorum ratio pro neganda hac licentia refellitur.

8 Aſsignatur definitio, & partitio Indulgentiarum.

9 Probatur indubie poſſe his toreu- matibus

ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE,

1 REuerendissimus Sacri Palatij Magister 17. Nouembris proxime elapsi omnibus metallorum incusoribus, *Narratio facti.* vulgariter dictis *Medagliari*, abstulit quascunque apud eos inuenit, imagunculas, communiter nuncupatas *Medallia*, quæ Conceptionis V. Mariæ imaginem, seu hyerogliphicum, hac circumducta inscriptione, *Concepta sine peccato originali*, ex altera parte habebant; & generali publicato edicto, statuit ne aliqua imago appositis litteris, vel sine illis, absque eius expressa licentia inposterum vlli generi metallorum incuderetur. Huius vero confiscationis & superadditæ prohibitionis rationem reddidit Beatissimo Patri, quia videbantur illæ imagunculæ absque licentia; quam nunc necessario negandam aiunt aliqui, nam si permittatur has imagines evulgari, & per varias nationes distribui, quæcunque obtinentur à Sanctissimo Domino indulgentiæ indiscriminatim, imaginibus quibuscunque applicandæ, his in particulari à supplicibus applicari poterunt, per quod determinatum indicunt controuersiam de Conceptione, & definiri partem, quæ asserit absque originali Virginem fuisse conceptam, dum mysterium hoc adeo claro hyerogliphico, clarioribus verbis adiectis expressum, indulgentijs celebratur, & commendatur.

2 Sed vt videat Tua Illustrissima Dominatio (cui hæc causa examinanda, & discutienda commissa est) quanta se offerant fundamenta ad huiusmodi licentiam concedendam, quantaque euenire possunt incommoda nisi concedatur; dignetur, obsecro, subiectas percurrere & expendere rationes. *Rationes vt permittatur has cudi numismata.*

Nihil nouum, vel inauditum, nihil religioni Christianæ contrarium, aut quod in fide erroris suspicionem generet, in prohibitis, & confiscatis medallijs continebatur. Ex vna enim parte habebant corporis & calicis Christi effigiem, Angelos adorantes, & verba hæc circumscripta; *Alabado sea el Sanctissimo Sacramento.* Quæ Latine reddita sonant; *Laudatum sit Sanctissimum Sacramentum.* Ex altera vero parte ferebant imaginem purissimæ Conceptionis Ma- *Nihil habet nouum aut erroneum.*

riæ, verbis his circumcirca insculptis; *Concepta sine peccato originali.* In quarum incusione tantum absuit de nouitate timor, & malitiæ, vel noui figmenti periculum, vt incusores sub typo Sanctissimi Sacramenti hoc nomen *Romæ* adiecerint, vt omnibus pateret, vbi & à quibus hæ piæ, & vndequaque laudabiles imagines cudebantur. Cum ergo nec furtiua fuerit incusio, nec reprobari vel condemnari possint imagines, nec aliquid in eis reluceat quod sanctum, & pium non sit, facile condonari poterit incusorum delictum, qui huiusmodi imagines non prius petita licentia cuderunt; & quæ modo petitur, liberè & æquè potest concedi cudendi facultas.

Vtraque huius numismatis imago approbata est in Ecclesia.

3 Nec enim licentia negari debet pro ijs rebus, vel cudendis, vel vsu habendis quæ iam approbatæ sunt in Ecclesia vel quæ longo, & continuo vsu frequentantur in eadem. Iam vero in Ecclesia Catholica, vtraque imago tam Sanctissimi Sacramenti, quam Conceptionis immaculatæ, satis approbatæ sunt, & longa annorum serie frequentata, licet in distinctis medallijs. Quod vero in vno medallio vel numismate vtraque modo coniungatur imago, nihil nouum, nec quod permitti non debeat, effectum est. Si enim D. Caroli, & Sanctæ Francicæ à Sanctissimo Domino canonizatorum imagines, diuersis distinctæ medallijs, & distinctis approbatæ licentijs, ab incusore in vno cuderentur numismate, nec nouum quid in lucem daret, nec quod noua egeret licentia. Cum igitur nihil sit noui, nec vlla sit in hoc medallio imago, quæ non satis approbata, commendata, & vsitata sit in Ecclesia; quod corporis Christi, & Conceptionis Mariæ effigies in vno coadunentur medallio, desiderata non est neganda licentia, vt edatur in lucem ad publicam fidelium deuotionem.

Adiectæ inscriptiones nihil prohibẽt hanc concedi licentiam.

4 Nec inscriptiones superadditæ huiusmodi licentiam debent impedire, dum nihil non religiosum, & pium aduertatur in litteris; nec quicquam distinctum exprimatur in characteribus, quod antea non præcesserit in imaginibus. Quod adiectæ litteræ dicunt, id ipsum clarius inculcant imagines, vt rectè de alijs imaginibus Ioannes ille locum tenens Apostolicarum Sedium Orientis, dixit in septima Synodo; *Quidquid* (inquit) *Scriptura dicit, id imagines demonstrant, ita vt assertores sint eorum, quæ Scripta sunt.* Ita vt potius putandum sit imagines verbis, quam verba imaginibus aliquid addere, cum quod verba afferant, imago demonstret. Sanctissimum Sacramen-

In 7. Syn. act. 4. to. 3 p. 1. sect. 1 Conciliorum editionis nouæ Colonien.

cramentum ex vna parte adorant, & humili ac reuerenti genu flexione, manuumque eleuatione suo modo illud laudare, & ad laudandum inuitare apparent Angeli. Adiectis proinde illis verbis. *Laudatum sit Sanctissimum Sacramentum*; nihil noui, vel quod distinctam ferat pietatem, aut propter quod nouæ concedendæ sint indulgentiæ, vel antiquæ immutentur, aut diminuantur, adiungitur in illa parte numismatis. Nec ego credo Reuerendissimum Patrem Magistrum, hæc verba velle reprobare, aut propter illa, medallia hæc prohibere, cum ad præcipuum religionis actum inuitent, maximi nostræ fidei mysterij laudem nobis inculcent, & vsitatissima sint in vniuersa Sancta Ecclesia Catholica. *Præcipue illa Sanctissimi Sacramenti.*

5 Nullam proinde hæc verba molestiam ingerunt, nullum negotium facescunt. Sed illa alia ex altera parte durius fortasse feret aliquis, in quibus dicatur Virgo Maria sine originali concepta. Sed nec nouum hoc, nec insolitum est, nec quidquam ab ipsa imagine distinctum exprimunt, aut addunt nouiter apposita verba, eâdemque licentia, qua hucusque imago Conceptionis incusa est, accudi etiam possunt & characteres. Nam quotiescunq; licet imaginem aliquam clare aliquid repræsentantem depingere, nihil prohibet subiectis verbis idem repetere, & quod indubitanter effigies significat idem verbis exprimere; præcipue cum vt citatus Venerabilis Ioannes dixit; *Maior sit imago sermone*, id est, plus & pluribus significet & repræsentet, quam verba. Quod ait, *diuina prouidentia factum propter idiotas homines*, quibus plus imagines, quas vident, significant, quam verba, quæ nec legunt, nec intelligunt, possunt exprimere. Vnde prudenter, & eleganter certe in eodem Concilio Theodosius Sanctissimus Episcopus Ammorij imagines vocauit, *Materialem scriptionem*, quasi scriptura sint materialium, & rudium hominum, qui characteres vel litteras legere, vel intelligere nesciunt. Ad quem sensum quidam explicant illa verba Psalmi 86. *In scripturis populorum*, id est, in imaginibus. Cum ergo imago Conceptionis clarius & pluribus repræsentet idipsum, quam Hispana illa verba adiecta, eâdem ipsa licentia, qua hucusque effigies & depicta, & incusa est, incudi videntur etiam & verba. Nam si per Reuerendissimum Patrem Magistrum Palatij Apostolici, vel potius per Sanctam Ecclesiæ consuetudinem, licet depingere Christi Domini Natiuitatem; vt quis subijciat, vel circumscribat hæc verba. *Christus natus est*, egebitne noua licentia Reuerendissimi Magistri? aut

Nec illa immaculatæ Conceptionis.

In 7. Synod. vbi supra.

Theodosius ibid.

aut effigiem propter hæc verba, ſine noua licentia adiuncta, adorari, aut circumferri prohibebitur? Qui obtenta licentia à Reuerendiſsimo Magiſtro vt Natiuitatem Virginis in lamina ænea, vel alia quauis, inſculpat, ſi poſtea adijciat hæc verba, *Sancta Natiuitas Mariæ*, prohibendæ nè venient omnes imagines, quæ hæc verba habent incuſa? Pictor etiam qui ſub tabula Aſſumptionis Mariæ, qua clarè, & manifeſtè omnibus repræſentetur eam in cœlos aſſumptam fuiſſe, ſcripſerit; *Aſſumpta eſt in cœlum*, remerebitur ſubire fiſcum, aut mulctam? Nequaquam vt facile quiſque fatebitur; nihil enim nouum, aut diſtinctum ab effigie continent verba, idemque quod effigies repræſentat, exprimunt & verba.

Illi numiſmatis effigies immaculatam repræſentat Conceptionem.

6 Sed & hæ litteræ Conceptionis exprimunt in his medallijs quod & imago, quam circumcingunt. Ita enim ex tempore quo reuireſcere, & inualeſcere cæpit opinio negatiua, applicata & accommodata eſt hæc figura myſterioſa Apocalypſeos, quam numiſma præfert, ad ſignificandum ſanctum, & purum paſsiuum Virginis Conceptum in primo inſtanti, vt cuicunque eam videnti hoc ſtatim in vniuerſa repræſentet Eccleſia; Nec frequentior aut familiarior eſt in tabulis Aſſumptionis vel Natiuitatis repræſentatio illorum myſteriorum, quam in hac effigie, ſanctæ Conceptionis expreſsio. Quod adeo vel ipſi Patres Dominicani agnoſcunt, vt in nulla Eccleſia, vel domo Prædicatorij Ordinis, qui affirmatiuam tuetur opinionem, vllam habeant huiuſmodi imaginem, aut figuram, qua Eccleſia vtitur ad repræſentandum hoc myſterium, cum vtantur, & habeant, ac reuereantur alias quaſcunque imagines, cætera Virginis myſteria repræſentantes. Imo nec inter cætera medallia, frequenter in eorum appenſa Roſarijs, quæ deuotæ præ manibus & in cingulis portant, inuenire ſit apud eos, nec videre vnum ex his medallijs Conceptionis, cum omnibus alijs medallijs hæc frequentiora, & plura ſint à temporibus Iulij II. & Leonis X. qui plures, eaſque magnas indulgentias eis conceſſerant, vt inferius dicetur; nè per exteriorem huius effigiei venerationem, ſententiam amplexari videantur contrariam, ei quam in ſcholis profitentur. Id ipſum plane demonſtrat pia, & à Pontificibus approbata, & indulgentijs commendata conſuetudo totius Ordinis Monialium Sanctiſsimæ Conceptionis, imaginem hanc, præ pectore in ſcapularijs geſtantium, vt emiſſam & expreſſam profeſsionem in laudem immaculatæ Conceptionis Virginis, exteriori hoc ſigno propalent.

Idem

Idem etiam insinuat, & effigiem hanc, Conceptionem sanctam sine macula repræsentare docet chorda Beati Francisci imagini in huiusmodi medallijs hucusq; circumducta, clarè innuens idipsum significare imaginem, quod Fratres Minores semper docuerunt de Virginis Conceptione, nimirum sanctam fuisse, & immaculatam, & ideo effigiem Conceptionis hac chorda circumcingi, quia in illo ordine Conceptio Virginis semper est à peccato originali protelata. Dum ergo adeò manifestè imago illa hucusque per tot continuos annos repræsentauerit Conceptionem sanctam, eaque semper & liberè sit incusa in medallijs nemine prohibente, nemine contradicente, ipso Reuerendissimo Magistro sciente, & consentiente, propter adiectam inscriptionem nihil aliud exprimentem, quam imago ipsa omnibus repræsentat, non debent omnino prohiberi huiusmodi medallia nec licentia pænitus negari, vt in posterum cudantur.

7 Alia eaque grauior superesse potest fortassis occasio propter quam alicui videatur negandam esse hanc licentiam; nimirum quia, vt supra dictum est, his medallijs applicari possunt indulgentiæ, quæ conceduntur absolutè à Sanctissimo Domino, per quas, res expressis verbis declarata definietur, & sic affirmatiua sententia secreto, & latenter venit explodenda.

Alia præcipua ratio aduersariorum pro neganda licentia refellitur.

Inane certe quorundam hoc est commentum vt Sanctissimum Dominum ab hac concedenda licentia retardent. Nullus enim hucusque hoc aliquando asseruit, vel leuiter insinuauit, rem quampiam indulgentijs quantumcunque magnis commendatam, eo ipso esse definitam. Quod si aliquantulum verum esset, iam de affirmatiua sententia actum esset, cum negatiua tot tantisque indulgentijs à Pontificibus commendata sit, vt non facile sit eas referre, quarum aliquas potiores, & notiores inferius recensebo.

8 Vt ergo perspiciat Tua Illustrissima Dominatio, quam parum Theologicè hoc dictum sit, & inaduertentèr illud Sanctissimo Domino inculcare voluerint, definitionem ipsam indulgentiarum, earumque partitionem præmittam, & quantum licuerit, breuiter hoc dubium expediam. *Indulgentia* ergo, vt rectè definit Nauar. *est remissio pœnæ temporariæ debitæ actuali peccato pænitentis extra sacramentalem absolutionem facta, à Prælato Ecclesiæ ob rationabilem causam, eam de thesauro Ecclesiæ compensante.* Vel vt alij breuius. *Est actus quidam spiritualis iurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra Sa-*

Assignatur definitio & partitio indulgentiarum.

Nauar. Comment. de indul. notab. [illegible] n. 1. Suar. to. 4 in 3. part. disp. 49. art. 4. in princ. & alij.

tra Sacramentum. Sub vtraque hac definitione comprehenditur triplex illa indulgentia, quam communiter Theologi morales assignant, personalis, quæ personæ conceditur, localis, quæ loco, & realis, quæ intuitu alicuius rei tribuitur. De hac vltima est nostra quæstio, an valeat concedi his medallijs? vel an ex eo quod concedatur, definita maneat controuersia; vel determinetur de fide quod litteræ affirmant in numismatibus.

Probatur indulgentias posse applicari his [illegible] medalliis in [illegible].

9 Posse concedi nulli dubium esse potest, dum eadem sit ratio quoad hoc, horum medalliorū, ac granorum benedictorū, Agnorum Dei, calculorum & globorū lignorum, quos se vidisse testatur Nauar. cit. not. 15. n. 6. à Pontificibus benedici, & magnis commendari indulgentijs, aliaque sint innumera medallia, quorum imagines his æquari non possunt, quæ tamen magno numero & cumulo indulgentiarum decorantur. Vel ergo omnia illa reuocanda sunt in dubium, vel sine dubio admittendum his applicari posse quascumque rationabiles, & alijs medallijs concessas indulgentias.

An indulgentijs commendata, censeantur definita.

10 An verò inconueniens, quod reputant Aduersarij, ex hac conceptione vel applicatione sequatur, facillimum est dictu; dum ex definitione indulgentiæ consideretur esse actum meræ spiritualis iurisdictionis, definitionem vero spectare solum ad potestatem clauis scientiæ; quæ pænes solum Papam remanet; iurisdictio vero multis committitur, eamque ex se, vel ex suo officio habent multi, vnde rectè inferunt cum D. Thoma in 4. d. 20. q. 1. & 2. [a] Plerique, Episcopos de iure (siue humano, siue diuino, modo non disputo) posse indulgentias limitatas iuxta Viris dispositionem concedere; imò Diaconum ait author supplementi D. Thom. q. 26. art. 2. sed & quemlibet Ecclesiasticum etiam primæ tonsuræ, dummodo ei committatur iurisdictio, asserit Corduba l. 5. de Indulg. q. 12. propos. 10. ex commissione, vel delegatione posse easdem largiri; quam [b] communiter receptam sententiam ait Nauar. cit. not. 31. n. 4. Sed nec ex iure humano, vel diuino, nec ex officio, vel delegatione possunt priuatim per se Episcopi, nec eorum inferiores aliquid definire, nec statuere de fide. Alius ergo est, diuersusq; actus definiendi ab actu indulgentias largiendi. Non ergo dum quidpiam indulgentijs commendatur, definitum censetur.

2. Indulgentiam realem ideo concedi imagini, vel simili rei sacræ doctè docet [c] Suarez, non vt credatur de fide, quod repræsentat, sed

[a] Rich. ibid. art. 5. q. 3. Dur. q. 1. ad 2. Palud. q. 4. art. 2. Aug. de Anco. l. de potest. eccl. q. 29 art. 5. & alii. Vide c. cum ex eo c. Nostro c. Indulg. de pan. l. 6.

[b] Vide Suarez cit. disp. 55 sect. 6. n. 2. & 3.

[c] Idē disp. 52. sect. 1. n. 10.

tat, ſed vt illa imago in maiori reuerentia, & veneratione habeatur, & conſequenter vt deuotio fidelium erga ipſum prototypum vehementius excitetur (quem finem reſpexiſſe dicemus infra Pontifices, qui alijs rebus ad Virginis Conceptionem ſpectantibus plurimas indulgentias cōceſſerunt) & paulo inferius ſubnectit; ſatis eſſe quod huiuſmodi imagines & res, ex ſe, ſecluſa indulgentia, ſint veluti inſtrumenta quædam ad actum honeſtum, & religioſum, ad hoc vt earum vſui adiungantur indulgentiæ. Cum ergo hæc Conceptionis imago ex ſe inſtrumentum ſit actus honeſti, & religioſi, bene poſſunt ei applicari indulgentiæ, per quas vehementius excitentur fideles erga ipſum Myſterium, & imaginem in maiori reuerentia, & veneratione habeant, abſque eo quod Controuerſia ipſa, per hanc conceſsionem definiatur.

Quis ſit indulgentiarum largiendarum finis.

3. Ex definitione indulgentiæ ſuprapoſitâ res comprobatur; cum remiſsio dicatur pœnæ temporariæ, non definitio veritatis infallibilis; cum igitur Papa per indulgentiam, pœnam temporariam remittit, non abſcondita Myſteria ſacræ Scripturæ claui ſcientiæ aperit, ſed poteſtate iuriſdictionis theſauros Eccleſiæ diſpenſat.

4. Præter alia duo quæ [d] Theologi communiter requirunt, vt indulgentia conceſſa valeat, tertium adiungunt; cauſam ſcilicet rationabilem, vel piam; circa quam, & conſequenter in conceſsione indulgentiarum poſſe errare Pontificem cum Nauar. not. 15. n. 1. & ſeq. & num. 18. aiunt plærique ab illo citati num. 3. & conceſsionem vel indulgentiam conceſſam poſſe eſſe nullam; at nunquam euenire poterit vt Papa erret in definiendo, nec quod eius definitio aliquando euadat irrita vel caſſa. Satis ergo latum diſcrimen eſt inter indulgentiarum conceſsionem intuitu alicuius imaginis; ac inter deciſionem, vel definitionem, qua ſtatuatur credendum, quod quicquid in illa imagine depictum, vel ſcriptum eſt, ſit omnimode verum.

[d] D. Thomas in 4. d. 20. Bonau. ibid. q. vlt. Rich. ibidē. Solh. d. 21. q. 2. 2. 2. Aug. de Anco. q. 30. de poteſt. Papæ, & alij apud Bellarm. l. 1. c. 12. de Indul.

Quæ requirantur ad valorē indulgentiæ.

11 5. Præterquam quod neceſſarium non ſit poſt tot manifeſtas rationes, vlterius res hæc ipſo facto euidenter comprobatur; Plures eaſque maximas indulgentias conceſſerunt multi Summi Pontifices fidelibus intuitu Conceptionis ſanctæ ſine peccati originalis macula factæ, hoc fine vt vehementius eos excitarent ad eius venerationem. Sixtus etenim IV. Officium proprium, & expreſſum immaculatæ Conceptionis, in quo multoties apertis verbis dicitur

Pontifices multi multas conceſſerunt indulgentias intuitu immacul. Conceptionis.

Virginem sine peccato originali fuisse conceptam, recitantibus, & missam, in qua idem inculcatur celebrantibus, magnum cumulum indulgentiarum concesit, easque ipsas, quas lucrantur ex concessionibus Vrbani IV. Clementis V. Martini V. & Eugenij IV. qui intersunt Officijs diuinis in Festo Sanctissimi Sacramenti, quæ qualesue sint, qui videre voluerit, legat præ cæteris Concil. IV. Mediolanen. vbi perspiciet quibus gratijs honestauerit Pontifex Officium hoc & Missam frequentantes, quas postea Leo X. in Bulla, *Supra gregem dominicum*, an. 1517. confirmauit. Illud etiam Officium concesit Sixtus V. recitari in perpetuum à fratribus Minoribus per octauas Conceptionis ad celebrandum (inquit) *purissimam Conceptionem* constit. *Ineffabilia beatæ*, an. 1588. & tamen quod adeo expresse habetur in illo Officio, per has concessiones non definierunt Pontifices.

Mediol. 4. p. constit. §. de pertin ad Sacram: Euchar. to. 4. con. par. 2.

Leo X. Fratribus Minoribus præfatam Missam dicentibus, alijsque tam Fratribus, quam Monialibus eam audientibus, indulgentiam concesit plenariam, & tamen non exinde Conceptionem definiuit fuisse absque macula.

Vide Emmanu. Roder. to. 1. regul. qq. q. 57. ar. 3

Idem Leo his ipsis imaginibus, de quibus modo agitur, multas magnasque concessit indulgentias ad instantiam Oratoris Regis Catholici, declarata ipsa imagine quid significaret, ipsaq; Pontificis manifestata intentione, vt scilicet magis deuoti redderentur in dies fideles in immaculatā Conceptionem Virginis, propter quod magno in pretio habita sunt in tota Hispania huiusmodi medallia, ita vt nulla his præferrentur, impressaque ferebatur præ omnium manibus concessionis relatio, & Pontificis intentio.

Iulius II. omnibus fidelibus in Castellæ Regno constitutis eandem imaginem, quam Moniales Conceptionis gestant in Scapulario, in pectore ferentibus, magnas concessit gratias; Cum vero eadem debuit esse lucrantium indulgentias imago, ac illa, quam Moniales, in Scapulario portant, nulli dubium esse potest Conceptionem repræsentasse sanctam, cum sanctimoniales illæ Deo se vouentes in honorē immaculatæ Concept. V. Mariæ, sicut expressè habetur in formula suæ professionis, per illam imaginem eandem professionē, suumq; famulatum, obsequium, & deuotionem in eandem sanctam Conceptionem patenter omnibus manifestent.

Idem Roder. cit. ar. 4.

Idem Iulius alijq; multi succedentes Pontifices magnas elargiti sunt indulgentias regulam, & vitam Monialium Conceptionis vouenti-

uentibus, seu profitentibus: sed in ipsa professione, vt iam dictum est & in Regula ipsa sæpius aduertitur, & declaratur, & in mystica habitus, quem gerunt, significatione, aperte docetur, Virginem fuisse absque peccato originali conceptam.

Harum Monialium Ecclesias communiter immaculatæ Conceptioni dedicatas, ingredientibus in ipsa Conceptionis die, & Monialium officio præsentibus, in quo expresis verbis idem profitentur, quod profitendo vouerunt, plenariã indulgentiam, & remissionem peccatorum concessit Sixtus V. in constit. *expositum nobis*, 1586.

In eodem die Conceptionis, iubilæum à succedentibus Pontificibus & à Sanctissimo Domino qui hodie feliciter sedet, reualidatum, concessit Ecclesiæ Conceptionis Leo X. à se reædificatæ in Campo Sancto, alijsque in Vrbe Ecclesijs, aliæque multæ id obtinuerunt pro eodem die à pluribus Summis Pontificibus.

Adrian. VI. speciali diplomate *Romanus Pontifex* an. 1522. confirmauit confraternitatẽ Toletanam sanctæ Conceptionis Mariæ à Regibus Catholicis Ferdinando & Elisabetha fundatam, ab Imperatore Carolo V. renouatam, & à Cardinali Ximenio in meliorem formam redactam. Confraternitatis titulus est; *Confraternitas ad vocationem Sanctæ Conceptionis Virginis Mariæ.* In prologo, & varijs capitulis constitutionum eiusdem confraternitatis sæpissime vocatur Virginis Conceptio, *Sancta, priuilegiata, præseruata, mundissima*, & tamen ex indulgentijs Confraternitati concessis, & harum constitutionum approbatione, non constat de fide talem fuisse conceptionem, qualem illi confratres fuisse profitentur, & constitutiones declarant.

Greg. XIII. in Bulla *Ad augendum*, 1578. Confraternitatem, & sacellum, vel vt vocant Capellam Conceptionis sitam in Conuentu IESVS Ordinis Minorum in ciuitate Regum regni Limen. in India, & alias, si quæ sunt in toto illo Regno confraternitatis Conceptionis, sed apud Fratres Minores situatas, decorauit multis indulgentijs, & præcipuè in ipso die Conceptionis, indulgentia plenaria & remissione peccatorum. Quæ confraternitates cum apud Fratres Minores situatæ sint, facilè intelligere est, quo sensu veniat Conceptio à confratribus celebranda, aut indulgentiæ per eosdem Fratres obtentæ, lucrandæ.

Alias præter has concesserunt Pontifices indulgentias, ritibus, officijs, & obsequijs factis in reuerentiam, & honorem sanctæ Con-

ceptionis Mariæ, & tamen quantumcumque expreſsè declararetur obſequia illa fieri in honorem immaculatæ Conceptionis, & ea intentione indulgentiæ à Pontificibus concederentur; nunquam licuit, nec audet quiſpiam dicere definitum eſſe Virginem non habuiſſe maculam originalem. Vnde ergo nouus hic timor? quo alio ducti ſunt exemplo vt vereantur ne ad indulgentiarum largitionem res hæc pro definitâ habeatur?

Suſpicionem generat æmulationis, quod hucuſque licuit non velle vt à Sanctiſsimo Domino modo concedatur, quando acrius agitur, & ſollicitius inſtatur de terminanda hac Controuerſia. Vt quid enim modo interdicetur, quod elapſis ſæculis haud vetitum eſt, dum in imaginibus, ſiue in maſsiuis, ſiue depictis communiter hæc verba, *Concepta ſine peccato originali*, publicè cunctis innoteſcant; & Clemens VIII. in pecunia, & moneta primo & ſecundo anno ſui Pontificatus excuſa, eandem hanc imaginem Conceptionis apponi curauerit circumſcriptis litteris, *tota formoſa*, quæ figuræ, & hyerogliphici, cui apponuntur, explicatio vel interpretatio ſunt; & Conceptionem ipſam, quam imago repræſentat, ſignificant eſſe ſanctam; vndique & totaliter formoſam.

Peroratio ad Illuſtriſſimum Cardinalem.

12 Cum ergo huiuſmodi licentiam negare, redundare poſsit in magnum detrimentum cauſæ, quam in hac re agit coram Sanctiſſimo Domino Rex Catholicus Philippus, perſuadere vel renuntiare dignetur Tua Illuſtriſsima Dominatio Beatiſsimo Patri, liberam concedendam eſſe facultatem, vt eadem medallia poſsint in perpetuum incudi; Aliter enim grauiſsima ſequentur incommoda, nam minuetur erga hoc Myſterium populi deuotio, dum viderit, vel iudicauerit in ipſa Vrbe, in oculis Sanctiſsimi Domini hæc numiſmata prohiberi, propterea quod dicebant Virginem abſque peccato conceptam; & propterea ſolum, non propter aliud edictum prohibitionis ſuperadditum, emanaſſe interpretabuntur, qui confiſcationem antea factam horum medalliorum nouerint vel audiuerint. Hinc etiam ſequentur, & exorientur grauiſsimi tumultus in Hiſpania alijſque Regnis. Summe enim propenſi ſunt omnes in puriſsimam Virginis Conceptionem, & dure patientur, vt quod integra ferme Regna, & præclariores Academiæ adiectis ſolemnibus votis profitentur, ita faciliter prohibeatur per Reuerendiſsimum Magiſtrum, & deleatur ab imaginibus, quod firmiter impreſſum & fixum habent in cordibus.

Aegrè

Aegrè etiam, & molestè feret Hispaniarum Monarcha tantam fieri contradictionem piæ, & iustæ causæ, quam ille pro sua pietate, & deuotione in hoc Mysterium, sollicitius tractat. Durum namque & grauiter ferendum est pientissimo Regi, & Amantissimo Ecclesiæ Filio, vt quando ille opinionem piam, & affectum in immaculatam Virginis Conceptionem adiuuari, foueri, ampliari humiliter rogat, & obsecrat, non solum non foueatur, non adiuuetur, non amplietur; sed per huiusmodi actionem attenuetur, contradicatur, & reprobetur, & quod, illo non obstante, nec obsecrante, permittebatur in publicis locis, & imaginibus; dum nunc instat, dum nunc rogat, & obsecrat tam aspere prohibeatur, & interdicatur.

Contrario autem tripudiabunt, & gaudebunt hæretici, & nostras deridebunt festiuitates, nulliusque esse authoritatis calumniabuntur, nec Festorum institutiones Pontificias vllius esse momenti argute subinferent, dum negari, & prohiberi viderint in ipsa fidei arce, in Vrbe, coram Sanctissimo Domino, quod tantorum Pontificum institutione, & approbatione celebratur per vniuersam Ecclesiam.

Vltimo conquerentur iustissime idem Catholicus Rex, & cum eo omnes fideles sibi nuper subtrahi per Reuerendissimum Magistrum quod antea concessum est per Sanctissimũ Dominum. Et hinc occasionem accipient contemnendi constitutiones Apostolicas dum quod Beatissimus Pater concessit & voluit, nimirum in publicis quibuscumque actibus dici Mariam sine peccato fuisse conceptam, inter quos hic videndi actus præcipue numeratur, viderint interdici; & præcipuum fauorem factum per Sanctissimi Decretum fautoribus immaculatæ Conceptionis, perspexerint modo denegari. Affirmatiuam sententiam aduersariorum iussit Sanctissimus Dominus taceri, & publicis interdixit actibus: negatiuam vero & piam voluit doceri, prædicari, cudi, recudi, imprimi, & publicari. Ne ergo tanta hæc sequantur inconuenientia, & grauia exoriantur incommoda, obsecramus Tuam Illustrissimam Dominationem vt fauorabiliter Sanctissimum Dominum informare dignetur, vt de salutari, & opportuno prouideat remedio. Quam &c.

Opusculi primi ad Illustriss. Card. COBELLVTIVM *finis.*

OPusculum hoc, asſiſtente ſibi Petro Ribadeneira Theologiæ Profeſſore ex ſacra Auguſtinen. Eremitarum familia, qui ei tunc aderat à ſtudio Theologico, dedit Orator Illuſtriſsimo Domino Cardinali, rogauitque vt fauorabiliter & amicè, informaret Suam Beatitudinem de cauſæ, & vtriuſque petitionis æquitate. Poſt paucos dies accepit ab Illuſtriſsimo Cardinale reſponſum ſibi videri iuſtum & æquum, vt tam indulgentiæ, quam licentia concederentur, & tam deuotioni præſtantiſsimæ heroinæ, quam deſiderio Oratoris ſatisfieret; attamen ad obueniendum populi errori, & nimio aduerſariorum timori, ne forſan, aut facilè putaretur negatiua ſententia definiri, aut affirmatiua pænitus explodi, conſultum etiam ſibi videri, vt ad illam inſcriptionem, *Maria concepta ſine peccato originali*, (adiungerentur hæc verba) *piè creditur.*

Hæſit tantiſper Orator, & conſilium Theologorum, vel Doctorum Virorum ſibi in hoc requirendum dixit, ne in cauſæ præiudicium admitteret, quod alias pro fauore venditatur. Conuocauit ad ſe quoſdam, quibus, in cœtu congregatis, rem propoſuit. Quorum vnum fuit votum, vt pro obtinendis, quam deſiderabat, licentia, & quas expetijt Domina Duciſſa indulgentijs, verba illa adiungi conſentiret, nec enim ea cauſæ obfutura, ſed potius profutura dixerunt, adiectis quibuſdam rationibus, quas inferius & ſequenti dabimus Opuſculo. Hominum obſecundauit conſilio Dux, iamque ſtatutum erat, prædictum conuenire Cardinalem, & quod obtulerat, eoque quo obtulerat modo, acceptare.

Hoc vt reſciuit Epiſcopus, ſecum anxius cogitare cæpit, quantum incommodum, & indeprehenſum periculum noſtræ latenter præparabatur ſententiæ. Cuius rei dum me participem fecit, damnum hoc eò magis graue, quò minus manifeſtum, dixi, & maturo obueniendum conſilio. Admonuit Epiſcopus latentis periculi eos, quos Dux adhibuit Conſiliarios, Quod vt faciliter perceperunt, ſuadebant Duci, vt non illam, ſed hanc aliam admitteret clauſulam: *Piè credit Eccleſia.* Nec hoc tutum videbatur Epiſcopo, & non parum laborauit vt eos ab hoc conſilio retraheret. Ipſum Ducem miſsis per me litteris rogauit, vt nullatenus vellet illa verba vel reſtrictionem inſcriptionis numiſmatum admittere, niſi cauſæ ſuæ cuperet præiudicare, & vt me incommoda huius explicationis, vel reſtrictionis proponentem dignaretur audire. Cordatè, & comiter gratias habuit Epiſcopo Dux ob præſcriptam cautionem, ſeu admoni-

admonitionem, adiungens, nihil tam se desiderare, quam huius causæ profectum, & quæ ad eundem conducebant audire. Diem præterea signauit, quo conuocatis prædictis Consulibus coram & in consessu damnum, coram & in consessu ego explicarem.

Præuenerunt Consules diem, & alibi congregationem, vel cœtum indixerunt, vt liberius, & absque Principis fastidio, & molestia possent & suas obijcere, & meas excipere rationes, ac diligenter omnes discutere, & fundamenta vel admittendæ prædictæ clausulæ, seu restrictionis examinare. Ventum erat ad rei iudiciũ; doctè illi suas expanderunt dati Consilij causas, ne scilicet dum respuerentur verba, negarentur Indulgentiæ, & dum non admitteretur explicatio, non obtineretur cudendi licentia. Dixerunt etiam non parum commendari piam sententiam per illa, quæ adiungi volebant verba, quia & quæ irrefragabilia sunt, imò & de fide definiuntur, piè credi à quibusdam dicuntur. Alia his satisfaciens ego in contrarium opposui argumenta; sed illa duo inter cætera mage præcipua. Primum quod ambiguus, & latus sit sensus piæ credulitatis, & multa piè credi ab hominibus, & ab Ecclesia quæ irrefragabilia, & omnino certa non sunt; aduersariosque recentiores, & potioris inter eos notæ viros, quorum ego nuperrima pænes me habui scripta facillime admittere omnia negatiuæ fundamenta, videlicet clarũ, & expressum sensum præseruationis in festiuitate Conceptionis; cultum, ordinem, confraternitates, sacella, templa, etsi quæ alia instituta sunt in Conceptionis immaculatæ commendationem; omnia tamen hæc habere pro fundamento piam solam credulitatem, quàm cum falsitate speculatiua, & maiori probabilitate affirmatiuæ facilè connecti, vel conciliari posse subnectunt. Secundum ipsam eandem rationem, quæ mouebat, vt peteretur facultas cudendorum numismatum, ne videlicet videretur prohiberi illa inscriptio, *Maria concepta sine peccato originali*, vrgere ne admittatur illa explicatio; Ea etenim adiecta obtinebatur libera licentia vt cuderentur toreumata, qua non adiecta, negabatur, vnde confirmabatur suspicio quorundam, & iactantia aduersariorum, non velle Pontificem permittere absolutè dici Virginẽ absq; peccato conceptã, propter quod magni orirentur in Hispania tumultus, & instarent affirmatiuæ fautores, vt abraderentur innumeræ illæ in portis, templis, domibus, foris & compitis Hispaniæ inscriptiones, & elogia Conceptionis, nisi adderentur, & illa verba, quæ adiungi

voluit in Vrbe Pontifex ad ipsam negatiuæ fautorum instantiam.

Plures adnexui his rationes, quas sequenti asigno Tractatu, ob quas consultius duxerunt Consules, vt statuto à Duce concessus die, ei persuaderetur, hanc pænitus gratiam non admittere, nisi incudi posit illa literatura absolutè, & absq; restrictione. Factum est ita, namque vt coram Excellentissimo Viro conuenimus, & omnium nostrorum votum, & rationes audiuit, libentissimè Consilio acquieuit de instando vlterius pro libera, & absoluta celandæ, vel cudendæ inscriptionis licentia, quam propter rei æquitatem facillimè obtenturum iudicabatur.

Episcopus verò vt aduersæ cuiuscumque opinioni satisfieret, sequens voluit concinnari Opusculum, in quo tota rei difficultas, & controuersia expediretur, & constaret quantum potuit causæ officere, quod offerebatur admmittere sub distinctis partitionibus, ex aduerso sentientium fundamenta proponuntur, circa vtramq; particulam, quibusdam prænotatis, duas statui conclusiones; & elusis aduersis argumẽtis quicquid tunc dubij se obtulerat ad Oratoris Episcopi præscriptum, absolui.

OPVSCVLVM SECVNDVM
DE INSCRIPTIONE

NVMISMATVM CONCEPTIONIS.

Considerato statu controuersiæ Conceptionis, dubitatur an conducat, vel expediat opinionis negatiuæ fautoribus, & promotoribus admittere indulgentias, quæ pro medallijs (vt dicunt) vel numismatibus imaginem conceptionis, & hanc inscriptionem, *Maria concepta sine peccato originali,* habentibus, offeruntur, dummodo adiungatur hæc clausula, & explicatio, *piè creditur.*

Breuiter assignantur affirmatiuæ sententiæ fundamenta:

§. I.

Rationes pro opinione affirmãte.

1 ALiqui affirmant, quod pro fauore, & beneficio habenda sit hæc concesio, primo quia quidquid indulgentiarum concedatur, aut gratiarum fiat hanc opinionem celebrantibus, eo magis illa commendatur; & affirmatiuæ, cui nulla hactenus est concessa, præfertur; & quantumcunq; declaretur concesionem

cessionem hanc fieri ex eo solum, quod pia sit hæc opinio, saltem in hoc superat affirmatiuam, quæ nec pia esse declaratur, nec eius pietas vllis indulgentijs commendatur; & multa quæ irrefragabilia sunt, pie credi dicuntur.

2 2. Quia conducit potius profectui, & bono huius causæ has indulgentias concedi, & etiam illa apposita clausula, & insuper, vel consequenter dari licentiam, vt medallia cudantur; quam vt hæc indulgentiæ suspendantur, & medallia nullatenus ad publicam, & communem fidelium deuotionem væniant in posterum, per quod & deuotioni obsistitur, & confiscatio facta à Magistro Sacri Palatij obfirmatur in magnum negatiuæ opinionis detrimentum, cum liceat cuique iudicare, vel opinari, ideo interdictas esse huiusmodi imagines, quia expressè immaculatam prçferebant conceptionem, cui mysterio, vel deuotioni contradici putabunt à Sanctissimo Domino propterea, quod in Vrbe sciente, & consentiente eodem Beatissimo Patre, prohibita sunt huiusmodi medallia. Hæc sunt potiora, propter quæ æstimandam putant aliqui huiusmodi concessionem.

Præfertur sententia negatiua.

§. II.

3 Non expedit illam particulam aut indulgentias admittere.
4 Variæ assignantur piæ credulitatis acceptiones.
5 A multis retro annis piè credebatur opinio negatiua.
6 Quo gradu pietatis modo credatur.
7 Quomodo negatiuæ argumenta per hanc explicationem soluant Aduersarij.
8 Statuitur, & probatur conclusio.

3 QVi pænitius, & accuratius rem hanc voluerit considerare, & statum examinare huius controuersiæ, iudicabit, facileque admittet, non beneficium, sed iniuriam, non commodum, sed incommodum esse hanc concessionem apposita illa conditione opinionis negatiuæ. Dum enim viderit, & nouerit hanc sententiam non solum piam, verum, & adeo certam esse, vt moraliter iam falsa esse non possit, multum detrahi dicet eius optimo, in quo est, statui, per adiuncta illa verba; & per nouiter additam explicationem non parum suæ certitudinis amittere. *Non expedit illam particulam admittere.*

4 Quod vt clarius videatur, præpono, magnam esse latitudinem piæ credulitatis, ita quod aliquando versetur circa res, quæ habent *Variæ piæ credulitatis acceptiones.*

solum

ſolum pro fundamento deuotam, & feruentem imaginationem, vt docuit, qui proponebat in Concil. Baſil. pro parte negatiua, vt teſtatur Turrecrem. in ſuo Concept. lib. par. 13. cap. 6. & cum alijs Melch. Cano lib. 12. de locis c. 11. qui prudenter ait, quod *Viri quidam pij in vita rebuſque geſtis Chriſti Domini magis comminiſcuntur, quam contemplantur; quæ etiam ſcribunt non tam verè, & prudenter, quam deuotè, & feruenter, quorum eſt interdum cæca quidem, ac temeraria in aſſentiendo credulitas.* Aliquando etiam verſatur circa res, quæ habent fundamentũ, vt pro veris credantur, vel reputentur, tamen falſæ omnino eſſe poſſunt, vt docent Gerſon. Alphab. 14. litteris E. I. L. Caſtro de iuſta hæret. punit. lib. 1. c. 3. & alij, & communis eſt hæc acceptio piæ credulitatis, cum frequenter dicatur piè credi, hominem qui naturali, & non improuiſa morte, ſed acceptis Eccleſiæ Sacramentis diſcedit ex hac vita, fruiturum æternâ; & qui eleemoſinas porrigit pauperibus, aliaque exercet exteriora charitatis officia, piè credatur bonus, cum tamen, & ille poſsit aliquando ſtridere in inferno, & hic poſsit eſſe ſceleratiſsimus.

(Turrecrem. Melch. Cano.)

3. Verſatur pia credulitas circa ea quæ pietatem, & deuotionem fouent, quamuis nec ſint de fide definita, nec ex definitis ſequantur, vt credere quod Beata Virgo viderit in annunciatione, vel in filij reſurrectione, vel Paulus in raptu, clare diuinam eſſentiam.

4. Circa res, quæ ex definitis eruuntur, vel communiter aſſeruntur à Doctoribus Eccleſiæ in materia fidei.

5. Circa ea quæ de fide ſunt formaliter, vel quæ ad fidem accedunt, vt dixit D. Thom. piè credendum, errare non poſſe Pontificem in canonizatione Sanctorum, quod [a] quidam de fide eſſe dicunt, alij proximum fidei. Quæ variæ piæ credulitatis acceptiones poſſunt videri apud Caſtrum citatum vſque ad c. x. apud Canum, & Gerſonem, etiam citatos, & Aretin. tom. 2. in 3. Scoti d. 25. q. 2. art. 5. Duos latos modos pietatis, vel piæ credulitatis aſsignat Aegid. Luſit. lib. 3. q. 6. art. 1. §. x. ſub quibus omnes iſtæ acceptiones à nobis aſsignatæ, comprehẽduntur; Alias 4. ſtrictiores pietatis acceptiones affert Turrecremata 1. p. c. 9. ſui Tract. de conceptione, quæ ferme coincidunt cum 4. & 5. modo ſupra à nobis relatis, & ad eoſdem poſſunt reduci. Et tot, tantæque ſunt piæ credulitatis acceptiones apud authores, vt in tanta varietate, & latitudine, nihil ſit tam infimum, aut fallibile, nec tam excelſum, aut irrefragabile, ad quod non attingat pia credulitas.

(Thom. quodl. 9. art. 16. in cor. [a] Vide Valent. to. 3. d. 1. q. 1. punc. 7. §. 41. Arag. 2. 2. q. 1. art. x. tract. de Summ. Pont. in dub de canon. Sãct. Bannes ibid. dub. 7. cõclu. 2 Cordub. l. 4. quæſt. q. 12. & alios.)

5 Notan-

5 Notandum præterea ſententiam negatiuam ſtatim in controuerſiæ Scholaſticæ principijs, ſub hoc titulo piæ, & deuotæ opinionis defendi, & publicari, & hoc Myſterium ſub pia, & deuota credulitate celebrari ab Eccleſijs particularibus cæpiſſe; vt colligere eſt ex D. Bonauentur: in 3. d. 3. art. 1. q. 1. Ad 4. ex Scoti coæuis, ex Decreto illo, licet inefficaci, Concilij Baſilien. & ex c. *Cum præ excelſa* (in quibus, & opinio pia dicitur, & Myſterij celebratio pietatis commendatur, ipſaque Officij ordinatio per Leonardum Nagarolum, in quo toties Virgo à peccato originali vendicatur, pia, laudabilis, & deuota à Sixto IV. prædicatur) ex omnibus denique illius temporis ſcriptoribus, qui ſub illo nomine eam celebrabant, ita vt ſub nullo alio tam publicaretur, aut commendaretur tunc, quã ſub piæ opinionis titulo, ſub quo magis magiſque inualeſcebat. Vnde nihil tam ſibi curandum putauit Vincent. Bandellus, quam hoc nomen, & titulum piæ ſententiæ, ſub quo tantopere commendabatur, & propagari cæpit, ab eadẽ auferre, vt nihil quo commendaretur, aut propugnaretur haberet, vt videre eſt ex vtroque eius Tractatu de hac re. Idemque ante eum deſiderauit Turrecr. in illo libro qui ſub eius nomine prodijt, loco ſupracitato, & paſsim alibi. *A multis retro annis piè credebatur hæc opinio.*

6 Notandum tertio paulatim, & quotidie maiores acquiſiuiſſe vires hanc ſententiam, dum à pluribus, & præcipuis Doctoribus frequentius defendebatur, & docebatur, dum continuis Pontificum fauoribus approbabatur, dum ſolemniter inſtituto Conceptionis Feſto, & Officio, Eccleſiaſtico celebrabatur cultu, dum religionis approbatione, confraternitatum, Templorum, Xenodochiorum, Altarium, Sacellorum erectione, alijſque fauoribus Pontificijs tantopere inculcabatur, & iam demum ſtatutum ſit à Sanctiſsimo Domino Paulo Papa V. vt illa, & ſola illa doceatur ex cathedris, prædicetur è roſtris, & in alijs publicis proponatur actibus. Ex qua tam multimoda Eccleſiæ approbatione, & commendatione tantam certitudinem aſſequuta eſt, vt iam falſa eſſe non poſsit, & non ſolum piè credenda ſit in primo, ſecundo, vel tertio ſenſu piæ credulitatis, verum & alio ſuperiori, & certo ſit amplexanda certitudine, non fidei, ſed alia minori, licet maxima ſub certitudine fidei, vt multi, & præcipui ex grauiſsimis huius æui Theologis docuerunt, & ſcripſerunt, ducti, vel hac vrgenti ratione, quod Eccleſia, quæ inſtituit Feſtum & Officium Conceptionis in primo inſtanti immaculatæ, vt iam oſtenſum eſt S^mo^. Domino, *Quo gradu pietatis modo creditur.* Ægid. citat. §. 9 & ſeq. & alibi paſſim Cathar. tribus lib. de Conception.

errare

Granada d. 3. de ess. pecc. & iust. orig. c. 3. concl. 5. & alij ex recétior.

errare non poſsit in hoc tanto diuini cultus actu, & vniuerſali propoſitione, nec in approbatione religionis ſub titulo Conceptionis immaculatæ, ſub quo in perpetuum famulatum, quotquot voluerint ex fidelibus ſe poſsint conſecrare, vt alia huius certitudinis fundamenta modo omittam. Vnde recte Franciſcus à Pitigianis Aretinus poſtquam tot, tamque præclara pro negatiua ſententia ſtatuit ar. 5. argumenta, ſubiunxit. *Ex his omnibus concludo ſententiam negatiuam nedum eſſe magis piam, ſed etiam magis conſentaneam non ſolum rationi, ſed etiam Sanctorum Patrum doctrinæ*, vbi non ſolum docet eſſe piam, vel piè credendam, ſed pro vera, & certa tenendam, & gradum piæ credulitatis ſubindicat minorem, & inferiorem eſſe eo, quem modo habet. Quod etiam innuere videtur Decretum Baſilien. & forma iuramenti Academiæ Compluten. & aliarum, in quibus non ſolum piam eſſe opinionem negatiuam, ſed conſonam ſacræ Scripturæ, & doctrinæ Patrum, inculcatur.

Aret. to. 1. in 3. Scoti d. 3 q. 1. art. 6. ad fin.

Quomodo negatiuæ argumenta ſoluant Aduerſarij.

7 Notandum 4. ita premi Aduerſarios his rationibus argumentiſque deductis à Feſti inſtitutione, religionis approbatione, & ſimilibus, vt iam qui magis cordate inter eos loquuntur, non negent celebrari, & commendari in Eccleſia Conceptionem immaculatam, ſed quodam effugio ab argumentorum pondere ſe expedire procurent, & reſpondeant, non celebrari Conceptionem immaculatam, aut opinionem hanc negatiuam, tanquam omnino certam, vel ſumme probabilem, ſed ſub pia credulitate, vel tanquam piam, & aliquantum probabilem. Vnde & inferunt poſſe omnino hanc ſententiam falſam eſſe, cum quidquid pium ſit credere non obinde ſit verum, cum à diuerſis fundamentis & veritas, & probabilis pietas circa ſententiam aliquam oriantur. Quare & publicè docent ſuam eſſe veram, hanc eſſe piam; ſuam prodire ab intellectu, aliam à voluntate; ſuam eſſe Doctorum ſapientum, aliam rudis, ſed pij, & deuoti populi. Et in hoc ſenſu explicant illa verba conſtitutionis Pij V. liberam concedentis facultatem, vt quiſquam pro ſuo captu eam ſequatur opinionem quæ ſibi, vel magis probabilis, vel magis pia apparebit, *magis probabilem* dicentes intellexiſſe Sanctum Pontificem, affirmatiuam, per *magis piam*, negatiuam.

Concluſio.

8 Dico ergo. Nullatenus expedit bono, aut profectui opinionis negatiuæ admittere oblatas indulgentias cum illa reſtrictione, declaratione, aut clauſula *piè creditur*. Probatur primo ex manifeſto, & ſatis

Probatur primo.

& ſatis noto inconuenienti, quo maius huic opinioni accedere non poteſt, nam hac declaratione, vel clauſula adiecta, res omnis ad principia à quibus incepit, facili explicatione reducetur, & controuerſia ad ſtatum in quo erat, antequam Myſterium hoc ab Eccleſia vniuerſali Feſto coleretur, reuocabitur ab Aduerſarijs; quidquid tot annorum ſpatio acquiſiuit certitudinis aſtricto Aduerſariorum cogitatu in ictu oculi, & vno verbo peſſundabitur, & euertetur.

Secundo quia particula hac adiecta, Aduerſariorum effugium, & tergiuerſatio ad fortiſsima argumenta, & fundamenta, quibus negatiua firmatur, manifeſta explicatione Eccleſiæ confirmabitur, & conſolidabitur; nec aliud per admiſsionem, vel approbationem prædictæ particulæ aſſequi poterunt negatiuæ ſententiæ fautores, quam ſuis Aduerſarijs arma præbere, quibus & negatiuam validius impugnent, & affirmatiuam facilius defendant. Secundo.

Præterea non deſunt qui dicant, vel ſuſpicentur Aduerſariorum hanc eſſe ſuggeſtionem, & Sacri Palatij Magiſtrum libenter aſſenſurum incuſioni numiſmatum, dummodo addatur illa particula, ſic enim dicunt omnem remoueri ſcrupulum, & formidinem definitionis, & libere poſſe concedi indulgentias abſque ſuæ ſententiæ præiudicio. At quod illorum ſuggeſtione nobis offertur, & quod illi inculcant, vt nobis concedatur, licet pro gratia, & munere reputetur, vel offeratur, artificioſum tamen, & palliatum donum illud ego crediderim. Timeo certè Danaos, & dona ferentes. Caueant ſibi fautores negatiuæ, profecto latet anguis in herba; admiſſa etenim hac clauſula *piè creditur* nullum extabit ſolidum fundamentum, nec firma reſtabit ratio, qua circa definitionem poſsint inſtare, nihil eis remanebit, quo Aduerſarios expugnent, nihil aderit quo eorum repellant moleſtiam, dum ad quodcumque vel fortiſsimum argumentum deſumptum ex cultu, & celebratione ſanctæ Eccleſiæ, vel petitum ex inſtitutione Ordinum, vel emendicatum ex erectione Templorum, Confraternitatum, Altarium, Sacellorum, &c. vel etiam ex Reuelationibus, & Miraculis, vel ex conſenſu Fidelium, aut communi Doctorũ, & Academiarum doctrina, vel à plæriſque maximiſque Indulgentijs iam huic opinioni conceſsis, ſtatim adſit, quod reſpondeant, nimirum ab omnibus celebrari, & tantopere fautoribus Pontificum commendari; à populis, & Doctoribus teneri, tanquam Tertio.

piam, vel quæ pie, & probabiliter tantum poteſt credi. Nec aliter poſſe intelligi, aut contrarium dici, adijcient; dum ita publico actu, & inſcriptione medalliorum, ſeu numiſmatum per vniuerſum Orbem ſpargendorum, & diſtribuendorum hoc ita declaratum ſit à Pontifice, & confirmatum Indulgentijs ſuperadditis, ad ipſam negatiuæ fautorum inſtantiam. Vnde & quidquid pro negatiua eius fautores adduxerint, facilè admittent Aduerſarij, ſed nihil exinde inferri ſtatim obijcient, niſi quod piè credatur ita eſſe, quod non tollit, quin ſententia ex ſe falſa ſit.

His itaque Indulgentijs certè non indulgetur, nec fauetur negatiuæ ſententiæ; fauor, & indulgentia profecto eſt affirmatiuæ. Arma ſe inſcijs præbent negatiuæ fautores Aduerſarijs, credant mihi ſuo ſe gladio iugulant; & dum promouere ſuam ſtudent ſententiam, retrogradi faciunt, dum confirmare putant, infirmant. Dum omnem, & maximam eius certitudinem ad piam tantum credulitatem, ipſis vocibus ambiguam, reducunt, quam, & ea quæ pænitus falſa ſunt quotidie ſortiuntur.

An conueniat indulgentias admittere appoſita hac clauſula. *Piè credit Eccleſia.*

§. III.

9 Proponitur ratio propter quam dicantur admittendæ.

10. Concluditur non eſſe admittendas.

11. Adnotatur Eccleſiam ſine huiuſmodi reſtrictione ſemper celebraſſe immaculatam Conceptionem.

12. Aduerſarij ſatis ad ſuam mentem admittunt Eccleſiam piè credere negatiuam ſententiam.

13. Dicunt etiam quædam ab Eccleſia ſolemniter approbata, vel piè credita poſtea reprobari.

14. Et alia non omnino certa poſſe ab Eccleſia celebrari.

15. Non quicquid quouis modo piè credit Eccleſia, eſt omnino certum.

16. Multum differunt aſſenſus piè credulitatis, & aſſenſus fidei.

17. Ferme, vel aliquando coincidunt piè credere, & præſumere.

18. Ipſa ratio propter quam dicebatur hanc clauſulam eſſe admittendam, perſuadet ne admittatur.

19. Si clarè, & fauorabiliter à Pontifice explicetur, poterit admitti.

20. Tota res declaratur familiari exemplo.

Proponitur ratio propter quam dicantur admittendæ.

9 BOnum forſan reputabitur conſilium, & prudens iudicabitur dictamen, illas indulgentias non reijcere, & particulam admittere, non ſub ijs nudis, & indeterminatis verbis, ſed iſtis, *piè credit*

credit Ecclesia, quibus determinetur, cuius sit hæc pia credulitas, & ostendatur non esse hanc opinionem piam solum apud Plebeios, vt Aduersarij calumniantur, verum, & apud Doctos, & præcipuos vniuersaliter in Ecclesia viros.

Ita censendum, & fatendum affirmabunt aliqui, vel hoc solo ducti fundamento, quia magna erit negatiuæ sententiæ authoritas, & profectus, quod publicis, & claris verbis illa dicatur piè credi in Ecclesia Catholica, quod de ea hactenus præcedentes Pontifices non dixerunt, quare per illud honorificum verbum *Ecclesiæ* superadditum, magnam dicent conciliari negatiuæ authoritatem. Præcipuam hanc affirmarunt huius consilij rationem, qui illud excogitarunt.

10 Verumtamen dico; etiamsi concedatur apponi hanc particulam *piè credit Ecclesia* nullo modo debent admitti; Probatur primo, quia nunquam tali phrasi, & stylo Ecclesia vsa est in celebratione istius Mysterij, sed superiori omnino, dum absoluta, & constanti affirmatione, sine vlla hæsitatione, sine vlla dubietate, aut tergiuersatione, sed clarè, distinctè, & intrepidè Virginem Mariam ab originali peccato præseruatam fuisse affirmat, & hac intensione semper hoc Mysterium coluit, & exaltauit, nec illud vnquam ad solam pietatem, cui falsitas subiacere potest, reduxit. *Conclusio.*

11 Aperte namque in Ecclesia celebratur hoc Mysterium eisdem phrasibus, eodem genere loquendi, quo vtitur in celebrandis ijs Mysterijs, & rebus, quas veras iudicat, & pro indubijs veneratur. Nec verbum vllum adiecit, vel intermiscuit officio Conceptionis, ex quo dubitandi ansa arripi posit, an tanquam rem sibi certam, & exploratam Virginis colat Conceptionem vt immaculatam, & à peccato originali omnimodè immunem. Imo rem omnem, & sanctum Mysterium ita disertis verbis proposuit fidelibus venerandum, ita clara, absoluta, & manifesta loquela illud profitetur, & explicat, vt vel ipsa Officij, & Missæ verba legenti diminutiua, & iniuriosa satis huius explicationis videatur additio. In Officio proprio, & speciali huius Festi à Sixto quarto fidelibus elargito, & commendato, absolutè, & sine addito sæpius vocatur Beatæ Virginis Conceptio immaculata; dicitur Virgo ex Christi morte præuisâ, ab omni labe præseruata, docentur fideles vitam sibi postulare sempiternam, sub illo pacto, & conditione quod Deus Virginem ab originali peccato præseruauerit; *Aperte sine huiusmodi explicatione Ecclesia hoc celebrat Mysterium.*

 quam

quam certe præcandi formulam, aut conditionem minime assignaret, nec approbaret Ecclesia, nisi eam pro certa, & indubitata teneret, quare & ibidem absolute Christum Beatæ Virginis præseruatorem appellat. In eodem etiam Officio omni ablata tergiuersationis occasione dicitur clarissimis verbis; *Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te.* In Missa cantatur, eam immunẽ in suæ Conceptionis die apparuisse, præueniente peccatũ Dei gratiâ. In officio communi, quod hodie recitat vniuersa Ecclesia, dicitur Conceptio absolute sancta, cultu dignissima; Nec aliquando quicquam ex his pie credi dixit Ecclesia, sed hæc, & alia his similia in eodem officio constãter sine diminutione, aut restrictione asseruit. cur ergo modo talis mutatio in Ecclesiæ phrasi, & stylo admittenda, & introducenda iudicabitur, cum per tot annorum spatium nunquam talis vox, aut phrasis audita fuerit in Ecclesia.

Hac explicatione vtuntur contra nos Aduersarij.

12 2. Quia ex ipsis Aduersarijs viri præcipui, quorum scripta nouiter edita videre licuit, admittunt Ecclesiam piè credere Virginem fuisse absque peccato conceptam: imo, & vlterius ita proposuisse, & statuisse fidelibus credendum asserunt liberrime, nihil tamen aliud inde sequi, nec ex vniuersali Festi Conceptionis immaculatæ celebratione deduci subiungunt, quam opinionem hanc piè teneri, & credi in Ecclesia vel tanquam deuotam, vel piam celebrari. Quod non vetat, inquiunt, quin contraria opinio sit probabilior & verior, & hæc pænitus sit falsa. Quod & adiectis exemplis, (quorum veritatem, aut accommodationem non est modo animus examinare) confirmant. Nam recte, dicunt, potest celebrari opus bonum, & meritorium, & practice coli, vel piè credi in Ecclesia, cui speculatiue possit error vel falsitas subesse. Piè etenim credit quasdam reliquias, quæ in sancti Stephani, vel sancti Laurentij (verbi gratia) Ecclesijs seruantur, & eorum Sanctorum ossa dicuntur, tales esse, & eas vult ab omnibus frequentari, & adorari; & tamen non est infallibile illorum esse reliquias; Imo potest contingere, vt pro Martyrum, vel Sanctorum Reliquijs, ossa malefactorum, & sceleratorum hominum, vel ex ignorantia, vel ex malitia aliquando supponantur. Credit etiam Ecclesia, cuicumque pauperi, propter Christum petenti eleemosinas largiri, & parentem venerari opus esse meritorium, & practice exercendum: attamen qui eleemosinam accipit, aliquando se pauperem fingit; & cui parentis honor defertur, parens aut consanguineus, vel affinis ali-

nis aliquando non eſt. Vnde & ſubiungunt, quod licet Eccleſia piè credit Virginem abſq; originali conceptam, & eius Conceptionem tanquam immaculatam, piè credendam, & venerandam proponat fidelibus, adhuc ſubeſſe poſſe errorem ſpeculatiuum; & in peccato conceptam fuiſſe, eſſe poſsibile. Cum ergo hæc, & his ſimilia concedant ipſi Aduerſarij, iiſque tanquam propugnaculis contra nos vtantur, cur illa verba petemus concedi, aut conceſſa admittamus? An vt auctoritate Pontificia commendatam, vel declaratam ſolutionem, & tergiuerſationem Aduerſarij vſurpent? & nos verba, quibus illi vtuntur, à Pontifice approbari, & illis concedi rogemus?

13 3. Piè credit Eccleſia, religiones, quas approbat, vtiles futuras, & eſſe, in eadem, vt tam eandem contra ſuos hoſtes defendant, & adiuuent, quam vt ſub eiſdem militantes facilius, & commodius gloriam conſequantur cœleſtē. Et tamen in his approbationibus falli, & in pia ſua credulitate fruſtrari aliquando Eccleſiam cum Melchiore Cano docuerunt, licet perperam, aliqui ex Aduerſarijs. Idque probant, & ſi, vt mihi videtur, inefficaciter, ex eo quod pleræque à quibuſdam Pontificibus approbatæ, ab alijs reprobentur, & tanquam non ſolum inutiles, verum, & nociuæ in Eccleſia Catholica pænitus extinguantur. Et ex celebri textu c. A. nobis de ſent. excomm. vbi Innocent. III. affirmat. *Iudicium Dei, veritati, quæ non fallit, neque fallitur, ſemper innititur; iudicium autem Eccleſiæ non nunquam opinionem hominum ſequitur; quam & fallere ſæpè contingit, & falli; propter quod contingit interdum, vt qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiæ ſit ſententia innodatus.* Quod de iudicio probabili, vel pio, quod opinioni innitur, non de deffinitiuo fidei intelligendum aduertunt. Cum ergo ſententiam negatiuam infimæ ſolum inferiorum hominum & deuotæ plebis opinioni inniti contendant, licet modo declaretur eam piè credi ab Eccleſia, nunquid obinde certam eſſe, aut ſua veriorem admittent Aduerſarij? aut per hanc particulam aliquantulum cauſam noſtram promouebimus?

Quædam dicunt ab Eccleſia approbata, poſtea reprobari.

14. 4. Nos ex abſoluta Feſti inſtitutione vniuerſali fermè Eccleſię conſenſu, alijſq; ſimilibus, deducimus ſententiā hanc omnino eſſe certam, ita vt nunquā falſa eſſe poſsit. At Aduerſarij victi, vel laborantes huius argumenti pondere, nihil tam procurant (vt ſæpius dixi) quam probare Eccleſiā non abſolutè, ſed ſub pia credulitate,

Et alia non omnino certa poſſe ab Eccleſia celebrari.

 vel

vel probabilitate opinionem, vel Myſterium hoc celebrare. Poſſe vero Eccleſiam ita facere, & cum reſtrictione, vel probabilitatis vel pietatis Feſtum aliquod celebrare, vel permittere, multorum eſt ſententia; nec plus tribuendum eſſe certitudinis, aut infallibilitatis alicui Myſterio, vel ſententiæ, quæ ſolemni Feſto celebratur, quam ipſa Eccleſia, addita quamuis particula, declarauerit. Vnde & ſtatuere poſſe dicunt ex ipſis Aduerſarijs quidam, Feſtum in quo ſolum piè credatur, vel colatur. Virginem ſanctiſsimam in Incarnatione Verbi, vel Paulum in raptu vidiſſe diuinam eſſentiam. Cum ergo à patronis & defenſoribus negatiuæ ſententiæ contendatur, & efficaciter probetur non ſub reſtrictione aut declaratione limitatiua piæ probabilitatis, aut credulitatis, ſed abſolutè, & tanquam certum, Myſterium Immaculatæ Conceptionis propoſitum fuiſſe fidelibus ab Eccleſia venerandum, & colendum, quare modo petent, vel expedire iudicabitur declarari ab eadem Eccleſia, omnia quæ reddunt fideles obſequia, ſe præſtare in honorem Conceptionis, eo quod tantum piè credant, fuiſſe ſine peccato originali factam.

An quicquid quouis modo credit Eccleſia ſit omnino certum. 1. Tim. 4.

15 At dices, quod, quidquid Eccleſia tenet, & ſe credere expreſſis verbis fatetur, omnino certum, & infallibile eſt, & ab omnibus Chriſtianis tanquam veriſsimum admittitur; ne concuti, aut vacillare dicamus Eccleſiam, quam firmiſsimam veritatis columnam, & fundamentum Paulus vocauit. Dum ergo Pontifex adiunxerit illam particulam, *piè credit Eccleſia*, fidem Eccleſiæ in his verbis exprimit, cui nec Aduerſarij refragari, nec audebunt, nec volent, ſed nobiſcum negatiuam amplectentur ſententiam, & à ſua libenter recedent.

Multum differunt aſſenſus piæ credulitatis, & aſſenſus fidei.

16 Sed hæc apparens ratio facillimè eluditur, dum ampliſsima aſsignetur differentia inter fidei aſſenſum, & piam credulitatem. Nam fidei aſſenſus eſt omnino ſupernaturalis, & à ſupernaturali principio inclinante ſemper in verum; ita quod nec per diuinam potentiam habitus fidei infuſæ, aut auxilium aliquod ſupernaturale, habitus vicem ſupplens propendere, aut potentias inclinare poſsit ad aſſentiendum rei falſæ, nec aſſenſum elicere rei, cui poſsit falſum ſubeſſe. Aſſenſus vero piè credulitatis, licet ex aliquo capite ſupernaturalis ſit, aut poſsit eſſe, & ab animi pietate (quam *diuini cultus religioſam deuotionem*, rectè definiuit Hugo Victor.) vel à deuotæ mentis affectu procedat, non proinde tamen neceſſe eſt, vt

Hugo Victor. l. de clauſtro animæ.

ſemper

ſemper verſetur circa verum ſpeculatiuè; ſed circa deuotum, & pium, quod tamen multoties falſum eſſe comprehenditur, vt ſupradictum eſt notabili primo, & expreſsè docuit ille, qui partes agebat noſtras in Concil. Baſilien. dicens coram toto Concilio. *Communiter in Eccleſia quædam magis pia dicuntur ad inflammandum affectum, quam ad inſtruendum intellectum, ac inibi pietas deuota amplius inſpicitur, quam veritas certa. Pia enim credulitas, non tam ſuper veritate innititur, quam ſuper apparentia, & probabilitate, dum falſitas ſeu veritas ignota eſt eius, quod pium eſt*; quod & exemplis, quæ apud Turrecr. p. 13. c. 6. videri poſsũt, corroborat: ſiue ergo pia credulitas ſit huius vel illius, ſiue peculiarium perſonarum; ſiue Superiorum Eccleſiæ Prælatorum, ipſiuſve Eccleſiæ eſſe dicatur, non accedit ad infallibilitatem fidei, nec omnem tollit errorem, vel falſitatis periculum, quod & manifeſtis conſtat exemplis. Nam præter ea, quæ ſupra attulimus, alia pleraque ſuppetunt, quibus facile oſtenditur etiam ex ijs, quæ piè credit Eccleſia aliqua eſſe fallibilia. Piè credit Eccleſia Pontificem quemquam ſummum Sacramentis acceptis ex hac vita diſcedentem, in gratia defunctum eſſe, quod & ſe ita piè credere ſolemnibus exequijs, & precibus vniuerſarum Eccleſiarum pro eodem orantium, confirmat; & nihilominus potuit euenire, vt in ſtatu damnationis obierit. Accedentem deuotè ad Euchariſtiam piè ſuſcipit Eccleſia, eademque pietate credit fidelem eſſe, & benè diſpoſitum ad dignam eiuſdem Sacramenti ſumptionem, cum forſan multis ſceleribus pollutus, damnabiliter, & fictè ad ineffabile veniat conuiuium. Pia ergo credulitas Eccleſiæ vt ſic, nihil ſtatuit certum, aut infallibile, nec per illa verba ſuam exprimit fidem, ſed deuotionem vel pietatem vniuerſalem erga immaculatam Virginis Conceptionem.

Non eſt omnino infallibile, quod piè credit vt ſic Eccleſia.

17. Sed inſtabit aliquis Eccleſiam in illis caſibus à nobis aſsignatis non credere, ſed præſumere; in præſumptione vero faciliter decipi poſſe, non autem in ſua credulitate, aut fide.

An coincidant piè credere, & præſumere.

Fateor libentiſsimè, & promptiſsimè, Eccleſiam in ſua fide, vel credulitate diuina falli, aut errare non poſſe; in alia vero inferiori credulitate, vel humana, vel à deuotione, aut pietate tantum procedente, non tenere, nec ſequi neceſſario infallibilem veritatis menſuram: vnde ſicut in ijs, quæ vera præſumit, ita in alijs, quæ piè tantum credit in primo, ſecundo vel tertio modo aſsignatis in primo notabili, aliquando poterit ab eadem deflectere. Nam &

hæc verba *præſumo*, & *credo*, aliquando coincidunt, cum vtrumque ſatis amplam, & ambiguam habeat ſignificationem. Ita de verbo *præſumo* docuit Caietanus, dicens; *Non ſolum in vſu Iuriſtarum, & moralium, ſed etiam in ipſa morali Theologia præſumptionis vocabulum æquiuocum eſt.* Et verbum *credere* multoties idem ſignificat, quod putare, opinari, æſtimare, vero ſimilibus argumentis coniecturare, quod idem eſt, atque præſumere; vt ex varijs Ciceronianis locis docent Calepinus, Berchorius, & alij in ſuis Dictionarijs, in eademque acceptione verbum *credo* inuenire, vel videre licet Deuteron. 2. 21. Iob: 15. 22. art. q. 26. Præſumit ergo Eccleſia in illis caſibus, & pro ſua pietate credit, tam illum defunctum, in gratia deceſsiſſe, quam hunc ad Euchariſtiam accedentem, cum eâdem ad tremendam menſam recumbere, in quorum vtroque falli erit facillimum.

Caiet. 2. 2. q. 21. art. 1.

Aliud inconueniens ſi admittatur hæc particula.

18 Quinto & vltimo, vel hac vnica ratione efficaciter probatur 2. Concluſio. Nihil tam mouet fautores, & promotores negatiuæ ſententiæ, vt inſtent de concedenda licentia, vt hæc medallia cudantur, quam ne dicatur in populo, & præcipuè in Hiſpaniarum Regnis inſcriptionem illam, *Maria concepta ſine originali peccato*, publicè prohiberi, & ab imaginibus radi ac propter eam medallia interdici. Sed hoc ipſum inconueniens remanet, & vrget, licet admittatur illa particula, eâque appoſitâ confirmabitur deuotorum ſuſpicio, ipſoque facto comprobabitur rumor; & fama, quæ percrebuit, dum iam viderint eadem ipſa medallia ſub alia diſtincta inſcriptione, vel noua declaratione circumferri, qua non adiecta non permitterentur cudi, aut in communem populi deuotionem diſtribui; vnde & nouus generabitur ſcrupulus, ſi liceat abſolutè hæc verba tabulis inſcribere, vel affirmare tanquam certa, *Maria fuit concepta ſine peccato originali*, niſi & illa addatur explicatio, quam publica authoritate Pontifex adhibuit. Et hinc noua aderit perturbationum occaſio, dum Aduerſarij plurima, & frequentiſsima Conceptionis immaculatæ elogia vel literaturas parietibus, Eccleſijs, & locis publicis præfixas, radendas inſtabunt, & ſupremæ Inquiſitionis fauore, vel auxilio implorato, eo facile hoc tempore obtinendo, vrgebunt, idem eodemque modo in his inſcriptionibus, & titulis eſſe affirmandum in Hiſpania, quod Summus Pontifex dixit, & declarauit in Vrbe. Quod quantum qualevè inconueniens, aut incommodum ſit, quaſve occaſiones ſimultatis, & perturbationis præbebit in Hiſpania facilè iudicabit, qui tumul-

tus, &

tus, & turbulentos motus, qui propter hos ipsos titulos affligendos, vel tollendos iam vidit, vel audiuit in Hispania.

In sua ambiguitate non est admittenda hæc particula.

19 Fatebor tamen, quod si Beatissimus Pater declararet de qua pietate se intelligi & verba illa explicari, intendit, si diceret esse intelligenda de pietate, quæ fidei est consona, vel quæ ad fidem accedit si illa explicaret in 4. vel 5. sensu piæ credulitatis, in 1. notabili assignatis, non esse respuenda, sed libenter admittenda; quamuis nec multum propter hoc nostræ sententiæ conferretur, cum ex publico, & solemni Ecclesiæ cultu hac ipsa pietate fidei consona, & quæ falcitatem, aut fallibilitatem secum non compatitur, iam negatiua opinio credenda, & tenenda sit, vt multis, & doctè probat citatus Aegid. ex eo præcipue, quod absolute Pontifex hanc Festiuitatem ordinauerit, sicut & aliæ institutæ sunt eiusdem Virginis celebritates in Ecclesia, quæ obinde Mysteria, quæ in eis celebrantur, omnino vera, & certa reddunt, vt alij quos citat Aegid. ibidem probant eruditè de hoc Mysterio Conceptionis; At si solum indifferenter, & ambigue dicat, ita piè credere Ecclesiam, & æquiuoca illa verba offerat adiungenda, nequaquam accipienda, vel addenda reputo, cum sub illa ambiguitate latus campus pateat Aduersarijs, vt per eum expatientur, & sua, de pia, & probabili credulitate, sub qua potest esse falsitas, vtantur solutione aduersum nostra argumenta. Vnde erit perpetua ambiguitas, & æterna concertatio, dum nos illa verba nobis fauere, & Pontificem dixisse, vel voluisse sententiam negatiuam esse credendam pietate fidei consonâ, & infallibili, contenderimus; illi vero suæ fauere opinioni moleste nimis vrgere voluerint, & Sanctissimum Dominum de pietate tantum probabili intelligendum esse affirmauerint. Per quod nihil aliud fiet, quam lites in longum producere, contentiones fouere, Aduersariorum tergiuersationes confirmare, & concertationes reddere acriores, donec iterum consulendus veniat Summus Pontifex de illorum verborum intelligentia.

Declaratur tota res familiari exemplo.

20 Rem omnem vnico & familiari in hac materia exemplo declaro. Satis sibi fauisse, & indulsisse Sanctissimum Dominum forsan reputabunt negatiuæ sententiæ fautores, si definiat Virginem in vtero materno fuisse Sanctificatam? Noui responsuros nihil hoc illorum promouere sententiam, non ob aliam rationem nisi quia Sanctificationis nomen ambiguum est, & commune, tam ei quæ fit in primo instanti Conceptionis, quam ei, quæ post con-

ceptio-

ceptionem, vel post primum instans, vel post diem, aut mensem fit. Imo potius putabunt, & dicent Aduersariorum indulgeri opinioni, quam suæ, propterea quod illi crebrius hoc nomine Sanctificationis vtantur, licet & nos etiam infusionem gratiæ in primo instanti, Sanctificationem vocemus. Similiter dico, quod licet pietatis nomen, vel piæ credulitatis acceptio nobis etiam in uno sensu possit fauere, dum & piè credatur aliquando etiam quod de fide est, vel quod ad fidem accedit, vt ex D. Thoma supra diximus, tamen dum illa verba, *piè credit Ecclesia*, proferuntur absolutè, & in sua ambiguitate relinquuntur, possintque Aduersarij ea vsurpare in vno ex tribus primis acceptionibus à nobis supra assignatis; nobisque constet, quo modo, & quibus excogitatis interpretationibus vtantur, vel abutantur verbis, & vocibus contra nos, particulam illam nullatenus iudico esse adiungendam.

D. Tho. quod l. 9. art. 16.

Satis fit argumentis vtrique resolutioni contrarijs.

§. IV.

21. Respondetur argumentis suadentibus admittendam esse hanc clausulam, piè creditur.

22. Fit satis vnico fundamento dicentium admittendam esse illam clausulam, piè credit Ecclesia.

Fit satis argumentis suadentibus admittendam esse particulam, piè creditur.

21 AD argumenta eorum, qui verba *piè creditur* esse admittenda absolutè affirmabant, facillimè ex dictis respondetur; debilia etenim sunt, & leuiora, quam quæ hominem cordatum, & in hac re expertū conuincere possint. Nam vt commendetur pro piâ hæc sententia nihil opus habet, cum olim ex suis initijs, hoc sibi nomen vendicauerit, & iam præter illam piam credulitatem, maximam adepta sit, & probabilitatem, & non exiguam certitudinem. Cum igitur illa perticula *piè creditur* in ambiguo suo sensu, & inferiori, ab Aduersarijs explicando, plurimum diminuat, & probabilitatem hanc, ac certitudinem in dubium reuocet, & secundum illorum sensum solam illam piam credulitatem in prima acceptione assignatam, relinquat, vel concedat, nihil confertur negatiuæ, sed detrahitur. Nec illa ratio vrget, qua submonetur saltem in hoc præferri affirmatiuæ, dum quæ illi non tribuuntur indulgentiæ huic conceduntur; Nam adeo iam magno excessu, alijsque sine hac restrictione, vel explicatione, concessis indulgentijs affirmatiuam superat, vt his, apposita hac clausula, non indigeat,

geat, nec nouum addat hæc concessio super affirmatiuam incrementum, sed multum negatiuæ excellentiam diminuat.

Ad secundum argumentum.

Ad secundum respondetur nihil conducere profectui huius causæ vt illa, vel quæuis alia medallia hac apposita particula cudantur, nam per illa, & in illis circumferuntur, & publicantur illa verba ambigua diminutiua, & restrictiua in explicatione aduersariorum, totius certitudinis huius sententiæ. Quare, nec causæ conducit, nec expedit deuotioni fidelium, qui propter Ecclesiasticum, quem vident exhiberi cultum in honorem Conceptionis immaculatæ, putant adeo verum esse, Virginem à peccato fuisse præseruatam, quam verum iudicatur Ecclesiam (quæ in Festorum institutione errare non potest) non celebrare, nisi quod certo sanctum est; nec solum pia illa, & infirma credulitate, quam prætendunt, & propinant Aduersarij, sed alia maiori, & firmiori, fidei consonâ, credunt, & adhærent negatiuæ sententiæ. Nec ex eo aliquod timetur periculum, nec damnum imminet huic sententiæ, si ex non admissione harum indulgentiarum, negaretur licentia, illa medallia cudendi, & putaretur approbari, aut confirmari confiscationem à Magistro Sacri Palatij factam, nam adhuc alia circumferuntur à temporibus Iulij II. & Leonis X. medallia, quæ imagines habent Conceptionis idipsum, quod hæc repræsentantes, quibus quæ conceduntur indulgentiæ, possunt applicari. Confiscatio autem facta à Magistro nihil derogat sententiæ, nam qui causam norunt, ideoque hæc numismata confiscasse sciunt, quia incusores illa audenter nimis incudere attentarunt, eius non petita licentia, quam expostulare tenebantur, dicent; suo iure iustè vsum fuisse magistrum, & maioribus incommodis obuiare voluisse, ne alia, quæ superstitiosa, vel falsa esse potuerant, licentiosè, & surreptitie illi artifices excudere auderent, & obinde prouide à Sanctissimo Domino confiscationem hanc approbatam vel permissam. Qui verò in extraneis Regionibus hanc non percipiunt causam, æmulationi potius hominis, huius opinionis Aduersarij, & contrariæ fautoris, quam dubietati, aut falsitati illius, quod imago repræsentabat, vel litteræ pronunciabant, id actum tribuent.

Respondetur argumento adducto pro secunda explicatione.

22 Ad vnicum illud fundamentum dicentium admittendam esse aliam illam particulam *piè credit Ecclesia*. Respondetur, verum esse nullum alium Pontificem hoc dixisse de hac sententia, & obindè dico esse adeo certam, & infallibilitatem sibi vendicasse ex ab-

soluta

ſoluta Feſti inſtitutione. Nomen verò *Eccleſia* non diffiteor eſſe ſummæ authoritatis: ſed non tribuere ſubiungo maiorem vim verbis, quam ex ſe habent. Si dicatur *Eccleſia credit aliquid de fide* ſignificatur illud fide diuina teneri in Eccleſia, ſi, *Eccleſia certo tenet* illud pro certo haberi in eadem; ſi, *Eccleſia iubet teneri*, *vel reputat pro probabiliori*, vt dixit de habitibus virtutum infundendis cum gratia in Baptiſmo infantulis in Concilio Viennen. illud iudicat probabilius. Si dicatur denique, *Eccleſia piè credit*, nihil aliud innuit, quam illud teneri, vel credi in Eccleſia ſub pia credulitate. In qua verò acceptione ex multis ſupra aſsignatis, illud intelligendum ſit, in illis verbis non explicat, ſed ſub illa ambiguitate relinquit, ſub qua acriter inter ſe digladiarent vtriuſque ſententiæ fautores.

Opuſculi reſolutio.

INſtandum ergo iudico vt Sua Sanctitas medallia illa, quæ nihil ſuperſtitioſum, irreligioſum, vel planè falſum, aut non ſanctum continent (vt in præcedenti dictum eſt Opuſculo) liberè, & abſolutè approbare, & indulgentias abſque illa addita diminutione, vel reſtrictiua particula concedere dignetur. Quod ſi obtineri non poſsit, potius retineri permittant huiuſmodi medallia, quam illas ſub ea conditione, & reſtrictione admittere indulgentias, cum ex primo parum, aut nihil ſequatur incommodi, & infinita iam ſit ſparſa ex his imaginibus, vel medallijs per Hiſpaniam multitudo; atque ex hoc alio maximum ſequatur detrimentum negatiuæ opinioni, dum affirmatiuæ fautores, quod per longos annos contenderunt in ſuis lectionibus, prædicationibus, & confabulationibus, nec tamen obtinuerunt; modo pro ſuo deſiderio, & ad ipſam negatiuæ fautorum inſtantiam latenter adipiſcantur, ſtatim de ſuis Aduerſarijs triumphaturi, eoſque ex ſuo optimo ſtatu deiecturi, dicentes; nullam aliam probabilitatem eorum habere ſententiam, nec alio niti fundamento, niſi piæ credulitatis, in eo ſenſu, quo illi eam intelligunt, & ideo ſolum celebrari hoc Myſterium, frequentari, & doceri in Eccleſia, quia piè, & probabiliter tantum creditur, quod noua hæc adiuncta clauſula non leuiter inſinuabit.

Opuſculi ſecundi ad Illuſtriſs. Card. COBELLVTIVM *finis.*

OPVS-

Continuatio Historiæ.

SEcundo & quam primum licuit, Excellentissimus Orator Illustrissimum Cardinalem conuenit, vt denuò de obtinendis indulgentijs, & cudendi licentia cum eodem ageret. Oblato ergo sequenti opusculo per suum, quem supra dixi, Theologum, ostensum est breuiter, & clarè non expedire, nec debere admitti indulgentias oblatas sub illa conditione, nec posse sine magno suæ causæ præiudicio adiungi inscriptioni numismatis illa verba, quæ nouit ab Aduersarijs suggesta.

Plura in eo author non inerudite perstringit eorum quæ in proximo opusculo, & superiori tractatu de sensu Ecclesiæ in Festo Conceptionis diffusius à me prælibata sunt; idque præcipuè, quod oportebat, contendit Conceptionis immaculatæ Mysterium ab alijs Pontificibus indulgentijs non parum fuisse commendatum, nec esse hærendum in ijs, quas suæ nobilissimæ consorti concedi petebat Orator, elargiendis absolutè; & sine conditione, vel inscriptionis restrictione eas posse concedi. Ego ad instar aliorum Tractatuum summarium præfixi opusculi, notas, & numeros addidi marginales.

OPVSCVLVM TERTIVM

AD ILLVSTRISS. CARDINALEM

COBELLVTIVM

Pro cudendis numismatibus immutata inscriptione immaculatæ Conceptionis.

Opusculi Summarium.

1. *Opusculi argumentum.*
2. *Non posse addi illa verba absquè iniuria opinionis negatiuæ ostenditur.*
3. *Probatur Ecclesiam planè, & absque restrictione profiteri immaculatam fuisse Virginis Conceptionem.*
4. *Commendatur Nagaroli Officiū.*
5. *Abolitum dicunt Aduersarij.*
6. *Prænotatur non posse Ecclesiam errare in institutione Festorum.*
7. *Mutauit Ecclesia Officium non sensum.*

8. Restituit Minoribus ipsum idem Officium.

9 Per hæc verba absolutus Festi sensus restringitur.

10. Rationes assignãtur, propter quas non debeant admitti.

11. Ambiguum esse sensum piæ credulitatis monstratur.

12. Ratio Aduersariorum, vt adiungatur illa particula, apertè refellitur.

13. Alia concessa sunt indulgentia intuitu immaculatæ Conceptionis.

14. Nullum periculum imminet si alia modò admittantur.

15. Peroratio ad Illustriss. Dominum Cardinalem.

ILLVSTRISS. ET REVEREND. DOMINE,

Opusculi argumentum. EX parte Illustriss. Dom. Vestræ relatum est ex^mo^. Oratori Regis Catholici tam in indulgentijs concedendis ex^mæ^. D. Ducissæ de Alburquerque in honorem Conceptionis Mariæ sine peccato originali, quam pro cudendis imaginibus Conceptionis, eadem circumducta inscriptione, vtrumque concedi dummodo superaddantur hæc verba, *piè creditur.* Quam additionem seu potius limitationem, & diminutionem non posse sine manifesto causæ Virginis detrimento admitti, his rationibus suadeo, quas Illustriss. Dom. Vestra dignetur percurrere.

Non posse addi illa verba sine iniuria opinionis negatiua. 2 Verba hæc manifestissime defensores immunitatis Virginis à macula originali priuant iure à S. D. N. Paulo V. concesso in Decreto edito Feria 5. die 31. Augusti anno Domini 1617. Pontificatus anno 13. in quo Sanctissimus prohibet partem affirmantem in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis defendi, promulgari, imo quod magis est, asseri, aut dici, & partem negantem propalari, & in omnibus actibus publicis affirmari posse, & debere. Si ergo huic parti liberum est in omnibus actibus publicis circumferri, defendi, imprimi, & in Ecclesijs inter Missarum solemnia publicè prædicari, cur artificibus instrumentorum incusionis, & medalliorum cusoribus in actu minus solemni talis limitatio addenda præcipitur, & prohibentur gaudere pacifice, beneficio, gratia, & fauore quem Sanctissimus Dominus voluit hanc partem vbique publice habere. Nec solum id publicant Prædicatores in suis concionibus, sed, & Sancta Ecclesia id facit in Festiuitate, quam celebrat in Missæ sacrificio, quod singulis diebus pluries repetit in sacris Choris, & diuinis Laudibus quas suo Domino redemptori, & præseruatori Beatæ Mariæ decantat.

3 Breui-

3 Breuiter hæc omnia, & per transennam attingam paratus plenissimam de his rebus probationem exhibere, à quo modo supersedeo, ne eam offeram tempore non suo: & exordiar ab eo quod initio proposui; Ecclesiam scilicet Conceptionem immaculatam sine peccato originali celebrare, & tanquam Mysterium dignum veneratione Sabbathizare. Quod hac ratione probo, ex extrauaganti *Graue nimis*, in qua Sixtus IV. sic dicit; *Sane cum Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis Beatæ Mariæ conceptione publice Festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super hoc Officium ordinauerit.* Ex quo textu sic conficio irrefragabile argumentum. Ecclesia in hac extrauaganti duo facit; Primum Festum Conceptionis solemniter celebrandum instituere; Secundum super hoc Festum, speciale ac proprium Officium ordinare; ergo idem Festum celebrat, super quo Officium ordinauit, quod commune est in omnibus Officijs. Nam Officium Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ decantat idem Mysterium manifestationis scilicet verbi incarnati mundo per eius natiuitatem, & gentibus per adorationem Magorum, quod Festa ipsa celebrant, & Officia nihil aliud sunt quam declarationes, & expressiones Mysteriorum celebratorum; sicut & ipse Pontifex aperte dicit, cum asserit; Ecclesiam Festum immaculatæ Conceptionis solemniter celebrare, & super hoc Festo Officium ordinare: sed in Officio quod Ecclesia Sancta speciale ac proprium de hoc Festo ordinauit, clarius luce constabit decantari purissimam Conceptionem à peccato originali; ergo idemmet Mysterium Sancta Ecclesia in suo Festo solemnizat. Hunc syllogismum esse demonstratiuum per sese satis patet, si minorem eius ostenderimus, videlicet Officium proprium à Sancta Romana Ecclesia, super hoc Festo ordinatum, immunitatem à culpa originali palam, & aperte continere. Quod iam probo, & omitto multo quæ in tali Officio extabant, & iam correcta sunt. Solum adducam quæ correcta iam & approbata hac ætate, qua omnia circa hanc materiam diligenti, & fideli trutina librantur, ponderosa maximè reperiuntur.

Ecclesia plane profitetur Mariam absque originali conceptam.

Probatur ex verbis Sixti. IV.

In Primis Vesperis vers. talis est. *Immaculata Conceptio est hodie S. Mariæ Virginis.* Oratio. *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, vt sicut ex morte Filij sui præuisa, eam ab omni labe præseruasti; ita nos quoque mun-*

Ex Officio Conceptionis confirmatur.

dos eius intercessione ad te peruenire concedas. Inuitator. *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus; Christum eius præseruatorem adoremus Dominum.* In secunda lectione, secund. noct. ex D. Hieronymo dicitur. *Ideo immaculata quia in nullo corrupta.* In Responsorio secundo in sensu allegorico adducitur diluuium vniuersale tempore. Noë vt diluuium generale peccati originalis in omnem carnem obumbret. In quo diluuio, cum omnes submersi fuerint in peccato originali arca vero Deifera ferebatur super aquas ipsam peccati originalis illuuiem transcendens, & superans. In septimo Responsorio allusione facta ad legem seueri Regis Assueri comminantem omnibus mortem, ex qua Regina Hester libera euasit. Sic dicitur, legem esse latam communem pro omnibus moriendi; quæ debet intelligi de morte animæ, alias non quadraret Virgini, quod subsequitur, *Omnes moriemini qui in Adam peccauistis.* Sola Regina Maria liberabitur, & sic illi concinitur *non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Quam exemptionem à morte, necessario intelligere debemus à morte animæ per peccatum originale, nam de morte corporali non potest intelligi, cum illam non euaserit Maria, nec alia supersit lex communis mortis, nisi, vel mortis spiritualis per peccatum originale, vel corporalis in dissolutione compositi per separationem animæ à corpore. In secundis Vesperis secunda Antiphona; *Quæ nec serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta.* Hæc circumloquutio subindicat peccatum originale. Est enim venenum à serpente emissum, & eius persuasione diffusum in omnem prolem naturali generatione propagandam ex Adam. Quinta Antiphona; *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit;* Quæ adeo sunt clara, & manifesta testimonia, vt soli veritatem Immaculatæ Conceptionis videre non possint, qui in lumine cæcutiunt.

Commendatur Nogaroli Officium.

4 Sed vt magis appareat vis subductæ minoris probationis, quæ ex officio Leonardi Nogaroli confirmata est, aduertat obsecro Illustriss. Dom. Vestra hoc Officium habere illa omnia quæ alia Officia pro sua authoritate desiderant, & vltra ea, habere alia quæ mirum in modum eius grauitatem, & laudem commendant. Nam alia Officia non à Summis Pontificibus elaborantur, aut componuntur, sed ab homine perito, cui talis cura demandatur. Quæ delata Summo Pontifici approbantur, benedicuntur, &

tur, & Ecclesiæ Ministris recitanda proponuntur. Hoc totum in Officio Conceptionis Magistri Leonardi Nogarolis inuenietur. Compositum fuit ab illo eximio Magistro, præsentatum Sanctiss. Dom. approbatum & propositum Ecclesiæ decantandum, & vltra habet illam egregiam laudem, & commendationem Sixti IV. præ alijs Officijs, quod confectum fuerit *iuxta piam, sanctam, & laudabilem ordinationem eius.* Nec hoc solum, sed testatur Pontifex in constitutione, *Cum præ excelsa*, quod, *desuper à nobis emanauerit*, & insuper ipsa Sancta Romana Ecclesia in extrauaganti *Graue nimis*, se constituit authorem, & ordinatorem talis Officij, sic, *sane cum Sancta Romana Ecclesia speciale ac proprium super hoc Officium instituerit.* Desinant ergo dubitare, qui dicunt, nihil Summum Pontificem in hoc Officio ex se ipso posuisse, cum, & Ecclesiæ recitandum proposuerit, quod sufficiebat; supra quod, egregijs laudibus honorat authorem; à se ipso promanasse affirmat, & Ecclesiam illud ordinasse asseueret.

Abolitum dicunt Aduersarij Officium Nogarolis.

5 Nec neruos infringere credat argumento iam confecto ex ipso Officio, qui dixerit, Officium hoc esse antiquatum, seu sententiâ actâ in illud, à sacris Choris explosum per Pium V. Vereor ne dum aliquis hoc dicat, latenter, & passim in temerariam audaciam prosiliat, videlicet asserendo Ecclesiam mutasse sententiam, & in meliorem frugem reductam, palinodiam decantasse, & iam non celebrare Conceptionem eo modo, quo prius in illo Officio celebrabat, sed mutasse sententiam, & Conceptionem, quam sine peccato originali colebat, se reformasse, nec eam iam iudicare dignam Festiuitate.

Non potest Ecclesia errare in institutione Festorum.

6 Absit iste temerarius ausus à viro Catholico. Quod semel Ecclesia proposuit populo sanctum, & dignum Festiuitate, id vsque in sæculum proponet. Nam Ecclesia in instituendis Festiuitatibus gubernatur Spiritus Sancti ductu, & sic in illis errare non potest, vt Leo Papa Epist. 4. his verbis declarauit; *Verum quia spiritus sapientiæ, & intellectus ita Apostolos, & totius Ecclesiæ erudiuit Magistros, vt in Christiana obseruantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum, discernendæ sunt causæ Festiuitatum*; in quo testimonio pondera *Ecclesiæ Pastores Spiritu Sancto instrui in his, quæ pertinent ad obseruantiam Christianam*, qualia aduertit Leo esse, discernere causas, & Mysteria Festiuitatum. Secundo in his non posse errare, cum gubernentur spiritu sapientiæ Dei, ob quod nihil patitur esse in Ecclesia male dispositum, ac

nihil confusum. Ob quod forsitan ductu eiusdem Spiritus Sancti Sixtus IV. præcepit tale Officium componi, & confitetur in extrauaganti *Graue nimis*, Romanam Ecclesiam ordinasse tale Officium, ne esset in Ecclesia confusio circa Mysterium, & causam Festiuitatis immaculatæ Conceptionis Mariæ, & vt pateret clare, & sine vlla confusione, quod Mysterium in eo sensu venerabatur Ecclesia. Qua ratione D. Bernardus ad retractandam opinionem Conceptionis nihil desiderabat nisi authoritatem Ecclesiæ Festum instituentis, paratus statim confiteri immaculatam Conceptionem, si eam Ecclesia celebrandam populo proponeret Epist. 174. ad Canon. Lugdun. Et S. Thom. hac ratione Natiuitatem Mariæ sanctam profitetur, quia vt sanctam colit Ecclesia. Et D. Bonauent. in 3. distinctione 3ª. hæc refert pro coronide huius dicti. *Statuta etiam vniuersalis Ecclesiæ de Sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt super Sanctitate, vt nullo die pro aliquo Sanctorum solemnizet, in quo, vel pro quo, persona Sancta non fuerit cui honor ille defertur.* Si vno die celebrata Festiuitas inducit Sanctitatem infallibilem, quid dicemus de Mysterio per 90. annos in tota Ecclesia celebrato? ergo non est timendum Ecclesiam sanctitatem Mysterij retractasse vel causam Festiuitatis mutasse etiam si Officium mutet.

Mutauit Ecclesia Officium non sensum.

7 Si ergo Pius V. anno 1560. Officium suspendit, non Mysterium mutauit, alias vel Sixtus IV. qui instituit, errauisset, vel Pius V. qui abstulit; quod de aliquo Pontifice suspicari in instituendis Festis, impium esset, & erroneum. Solum ergo ritum variauit, cum ea quæ pertinent ad ritus variabilia sint. Imo Festum Præsentationis, & Sanctitas Beatæ Annæ indubium vocarentur, cum ab illo Officia abolita sint. Et in Breuiario Romano à Pio V. edito multa mutata sunt. Illa ergo omnia quæ ex Breuiario abstulit suspecta manerent. Et si de nouo alia Officia ederentur dubitanda venirent Mysteria, & Festiuitates omnes antiquæ. Quod rogo longe absit à mente Catholicorum. Ergo ex mutatione Officij non Theologice infertur aliquid contra Mysterium celebratum per tot annos in Ecclesia, & contra causam solemnitatis, maxime quia idem Pius V. qui ab vniuersali Ecclesia tale Officium suspendit.

Restituit Minoribus idem Officium.

8 Concessit licentiam Fratribus Franciscanis illudmet recitandi, correctum tamen iuxta Breuiarium Romanum, vt ex Officijs sui ordinis clare constat prima pagina editis Romæ anno 1615. in Typographia Cameræ Apostolicæ, & approbatis per Reuerendissimum

ſimum Magiſtrum Sacri Palatij Patrem Fratrem Iacintum Petronium. Et quod magis eſt, his temporibus à Sanctiſsimo D.N. Paulo V. viuæ vocis oraculo Illuſtriſsimo D. Cardinali Arigonio illius ordinis protectori die 19. Ianuarij anno 1609. conceſſum eſt vt in omnibus ſabatis Feſto nouem lectionum non impeditis, Fratres Sancti Franciſci poſſent tale Officium recitare, vt conſtat ex viuæ vocis oraculo ibi relato. Ex quo factum eſt, quod concedente Sanctiſsimo Paulo V. die 10. Iulij anno 1615. Pontificatus 11. remiſsionem centum dierum recitantibus quamcumque Antiphonam & orationem Conceptionis, elegerint illam relatam, *Hæc eſt virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit*, cum oratione dicta, quæ continetur in dicto Officio. ex quo concluſum manet non ſolum non mutatum Myſterium, ſed nec damnatum Officium, cum correctum, & emendatum, iuxta ritum nouum, reſtitutum ſit dictis Fratribus ab ipſo Pio, & S. D. N. Paulo V.

9 Accipiat ergo Illuſtriſsima Dominatio Veſtra breuiſsimis verbis ex toto hoc diſcurſu apertiſsimam demonſtrationem. Eccleſia idem Myſterium Conceptionis celebrat, in eius Feſto, quod decantat in Officio, ſed in Officio concinit, vt dixi, immaculatam Conceptionem immunem à culpa naturæ.

Hoc poſito fundamento pergamus vlterius. In Officio per totam Eccleſiam cantatum eſt 90. annis, & modo in tota familia Franciſcanorum recitatur Maria concepta ſine peccato originali ſine vllo addito diminuente vt, *piè creditur*, cur ergo in incuſsione medalliorum reſtringetur modo, quod libere in gloriam Dei, & laudem Deiparæ in templis, dulciſsimis modulis perſonant Sacerdotes. Quod autem hæc ſit reſtrictio ex ſe patet. Nam incuſoribus imaginum, cudentibus libere hæc verba, *concepta ſine peccato originali*, intimatum eſt, ne eas amplius cudant, & modo permittitur cum illo addito, quaſi poſita nota in gloria Mariæ, & litura, in Conceptionis candore, vt luna non plena, ſed cum aliqua ſuſpicione maculæ, apparere timeat.

Per hæc verba abſolutum Feſti ſenſus reſtringitur.

10 Inſuper hanc diminutionem, vel explicationem iudico hac ratione admittendam non fore, quia hæc ſunt verba Aduerſariorum, quibus labefactare conantur ſoliditatem fundamentorum, quibus pars negatiua conſtabilitur: ſcilicet fundatam eſſe ſupra quandam pietatem mulierculärum, hominum imperitorum, & indocti vulgi, & cum videant modo poſt exortam litem, titulo

Rationes ne admittantur.

huic addi, *vt piè creditur*, erit confirmare Aduerſariorum parum piam loquutionem, ac quaſi ſententiâ datâ, à ſupremo Eccleſiæ Iudice hanc partem debere vocari piam, id eſt deſtitutam rationibus, deſertam Sanctorum patrocinijs, & orbatam authoritate Patrum. Et ſi vera eſt regula Theologiæ quæ dicit, cum Aduerſarijs non ſolum ſenſum debere eſſe diuerſum, ſed & verba, nos etiam fugere debemus vt in noſtris imaginibus, cum aſſerimus Conceptionem ſine peccato, audiantur verba ipſorum, quibus noſtram partem dehoneſtare & infirmare laborant. Et in hac materia ipſi docent nos præcauere damnum formidinis, & præcautionis, quibus ipſi loquuntur, ſemper fugientes noſtrum nomen *Conceptionis*, quia per illud intelligimus primum inſtans informationis animæ, & vnionis illius cum corpore, pro quo vbique vſurpant nomen *Sanctificationis*. Et licet iam præparatam habeant reſponſionem ad argumentum, quod Eccleſia Conceptionem ſanctam appellat, quod ipſi declarant de Conceptione ſpirituali, ſemper tamen ſe abſtinent à voce Conceptionis vtentes pro ea vocabulo Sanctificationis. Si ergo illi cauent & nolunt nominare Conceptionem, licet in ſenſu aliquo illam concedant ſanctam, cur nos quaſi ſententiâ datâ à Pontifice, conſentiemus vt addatur particula, *piè creditur*, quæ ab Aduerſarijs in nos contumelioſe improperatur.

Ambiguus ſenſus piæ credulitatis.

11 Præterea hæc particula, *vt piè creditur*, in communi modo loquendi accipitur pro re, quæ euidentibus rationibus condemnari non poteſt, vnde de inſigni latrone, qui diem vltimum clauſit acceptis Eccleſiæ Sacramentis, imò de eo qui copiam non habens confeſſoris, cognoſcit tamen extremam vitæ periodum aduentare, piè creditur retractaſſe deprauatos vitæ mores, & in fauorem illius, quem condemnatum certo non ſcimus piè credere debemus fore ſaluandum; ſi ergo, *piè creditur*, habet aliquam tam abiectam ſignificationem cur in hac cauſa iudicatur à ſupremo Mariæ Patrono Clementiſsimo D. Paulo deuotiſsimo Deiparæ honoratore, illam addi debere titulo honoris, & gloriæ matris Dei?

Ratio Aduerſariorum vt adiungantur hæc verba.

12 Sed dices, quia ſi illa verba, concepta ſine peccato originali, ſola relinquantur in Imaginibus, cum illis applicantur indulgentiæ, videbitur iam cauſa definiri de fide.

Sed hanc rationem refutans obtuli iam longiſsimam informationé Illuſtriſsimæ Dominationi Veſtræ. Verum eam repeto quia audiui, duo; Primum quod licet non ſit definitio, pertinet tamen aliquo

aliquo modo ad definitionem. Secundum me nondum probatum exhibuisse concessam esse indulgentiam alicui rei clare dicenti Virginem esse conceptam sine peccato originali, & hac ratione in hac informatione tam profundè ieci fundamenta, vt ex dictis appareat, quantum habeant robur ad id probandum præsentatæ iam & exhibitæ rationes.

Circa primum aduerto iam ab Ecclesia facta esse multa, quæ propius, & vicinius accedunt, & conducere possunt ad definitionem, de quibus modo non dubitatur, quam concessio indulgentiarum. Nam institutio Festi, approbatio regulæ, & instituti in honorem immaculatæ Conceptionis propius accedit, & proximius disponit ad diffiniendum, cum in his duobus, quæ pertinent ad obseruantiam Christianam, ad cultum Dei, & mores fidelium, errare non possit Ecclesia; in concedendis verò indulgentijs, vt omnes concedunt, potest errare in causa; si ergo ea quæ proximiora sunt, & principia certiora ad definiendum Ecclesia approbauit, & instituta habet, cur ne causa definiatur, negandum est quod remotissime disponit ad definitionem, & forte non disponit cum ea concessione indulgentiarum non sumatur principium certum sed subiectum errori. *Aperiè refellitur.*

13 Secundum vero me probasse alicui rei clare dicenti esse conceptam sine peccato originali, esse concessas indulgentias, sic clare ostendo: Nam Sixtus IV. in extrauaganti, *Cum præ excelsa*, concessit easdem indulgentias recitantibus Officium Nogaroli, & interessentibus Horis per totam Octauam, quas lucrantur, qui præsentes sunt Officijs Sanctissimi Sacramenti, quæ indulgentiæ ab anno 1476. quo concessæ sunt à Sixto IV. durarunt ad minus vsque ad annum 1568. quo Pius V. suspendit Officium, cui tales indulgentiæ concessæ erant. Imò addo, quod modo durant, quia cum non fuerint reuocatæ, vt clarissimè patet, sed suspensum Officium, quis negabit quando idem Pius V. Officium restituit Fratribus Franciscanis, & Sanctissimus D. Paulus V. eisdem concessit illud recitare, quando recitant, & præsentes sunt tempore præscripto à Pontifice easdem lucrari indulgentias? Ergo, & concessæ sunt, & modo durant indulgentiæ rei claræ concessæ dicenti Virginem esse conceptam sine peccato originali. Non ergo formidandum est concedere indulgentias imaginibus, in quibus sit iste titulus, *Concepta sine peccato originali*, cum tantorum Pontificum tot præcesse- *Immaculatã Conceptionem clare profitentibus aliæ sunt concessæ Indulgentiæ.*

rint exempla ſequenda, & appareant clara veſtigia, quibus anteceſſores Pontifices inſequi licet.

Nullum periculum imminet ſi alio modo conceduntur.

14 Maxime quia in hac inſcriptione ſi concedantur indulgentiæ licet per impoſsibile Summus Pontifex erraret, nullum aliud eſſet inconueniens, niſi indulgentiam eſſe nullam ob defectum validæ cauſæ, & ſic Concil. Lateranenſe ſub Innocentio III. vt habet extrauag. *de pœnit. & remiſs. c. Cum ex eo*, concedit eſſe indulgentias indiſcretas & ſuperfluas quando ſine cauſa vel ſine magna cauſa magna conceditur indulgentia, ob quod nulla eſt, vt retuli in primo opuſculo ex grauiſsimis Theologiæ authoribus.

Peroratio ad Illuſtriſ. Dom. Cardinalem.

15 His omnibus rationibus in fauorem cauſæ adductis, petimus Illuſtriſs. Dom. Veſtram in imaginum Virginis obſequium, in Regis Catholici fauorem, in totius Hiſpaniarum Regionis lætitiam (nam ſine dubio tota Hiſpania, & illius Monarcha contriſtaretur, ſi videret, hoc iam piæ cauſæ denegari) & in gratiam Oratoris Regis Catholici pro bono progreſſu, & exitu ſuæ Legationis; vt cauſam agat apud Sanctiſsimum, vt abſolutè concedatur titulus, *concepta ſine peccato originali*, ſine eo quod addatur particula illa diminutiua vt *piè creditur*, quam gratiam credimus Pijſsimum, & Sanctiſsimum D. N. libentiſsime conceſſurum, cum nullum ſequatur inconueniens, ſed magna lucra deuotionis, pietatis, honoris Virginis, & obſequi filij ſui IESV Chriſti, præcipue cum vnus Pontifex negare non ſoleat, quod alij iam, & ipſemet multoties conceſſerunt, quem Deus, &c.

Opuſculi tertij ad Illuſtriſs. Card. COBELLVTIVM *finis.*

Continuatio Hiſtoriæ.

HIs manifeſtis rationibus perſuaſus Illuſtriſsimus Cardinalis ſe ſpopondit amicè, & inſtanter acturum cum Sanctiſsimo Domino vt vellet Ducis votis ſatisfacere. Indubiā concepit animo ſpem Orator ſe obtenturum quod petebat, tum propter cauſæ æquitatem, tum propter Pontificis æquanimitatem & magnum in immaculatam Conceptionem affectum. Sed dum eius deſideria propter quaſdam rationes, protrahuntur, & differuntur in plures dies, dubitauit an Regi placeret, vt tempus abſumeret in hoc peculiari, & incidenti litigio, vel inſtantia de numiſmatibus cudendis; an po-

an potius vt principalem, sibiq; iniunctam definitionis curam adsciſceret. Ne ergo Regis sibi conciliaret offensam, vel indignationẽ, & vt omnia ad eius imperium regularet, eum consulendum duxit, & informandum de causæ progressu iudicauit. Dedit proinde sub mense Februarij litteras ad Consilinm, vel Consiliarios Cameræ, quos vocant, & alias ad Consulares viros Consilij status, qui Regis placitum expoſcerent, & reſcriberent. Expectandum ei erat responsum, nec vllam licuit adhibere diligentiam, ne si qua fieret reſcripto Regis, vel consiliariorum contraria, condemnaretur præcipitis celeritatis, quippe post initum cum Rege, vel postulatum ab eo consilium, oportet operiri oraculum, & agnitũ obseruare præceptum.

Dum hæc agebantur à Duce, Episcopo feriandum esse non placuit, nec omnem suscepti oneris curam exuendam putauit. Nullũ diem prætermisit sine studio, & in quo non quidquam vel ipse elaboraret, vel mihi pręscriberet. Plures excogitauit magè necessarios, & opportunos tractatus concinnandos, quos haberet in promptu iam absolutos S. D. tradendos secundum rerum, & temporis circumstantias, & ordinem à Rege præscribendum, vt maneret, vel recederet. Vt vero tandem constitit ad Idus Aprilis de Regis placito per honorificas litteras, Oratoris titulo inscriptas, & insignitas, eiq; commodo ad nauigandum veris tempore redeundũ in suam Ecclesiã (quæ molestè ferebat tanto tempore suo destitui pastore) pius Princeps dixit, & triremes ad transfretandum ministrari præscripsit Duci Tursen. Clasis Genuen. præfecto, vltimã solemnem suæ Legationis functionem obiuit Episcopus apud Pontificem, & tres sequẽtes ei tradidit tractatus, quos præ alijs habuit elaboratos.

Huic primo de reuelationibus conficiendo occasionem præbuit Aduersariorum renitentia de recudendo in Vrbe libro de gestis & reuelationibus Dei famulæ Ioannæ à Cruce Sanctimonialis Hispanæ Franciſcani instituti: Tum quia quædam non omnino consona D. Thomæ doctrinæ; tum præcipuè quia reuelationem continebat de immaculata Conceptione cui Aduersarij aliam B. Catharinę Senensis huic contrariam opponebant. Ad hanc eludendã, & ad contestandam oppositæ veritatem, & piæ sententiæ certitudinem, & definibilitatem, contrariæ inter se hîc comparantur reuelationes, & quanta, præ illa singulari, tribuenda sit fides illis, quas habuit B. Brigitta, & cæteris, quæ cum ea conueniunt, ostenditur. Alijs duobus tractatibus sua præfigentur argumenta.

ORA-

ORATIO DECIMA AD S.^MVM^ D.^MVM^

PAVLVM PAPAM V.

TRACTATVS XI.

De reuelationibus factis circa Mysterium Conceptionis V. Mariæ. Quantum & quale argumentum sumatur ex reuelationibus ad probandum rectè definiri posse ab Ecclesia Virginem Mariam non contraxisse in sua conceptione originale peccatum? Quænam sit differentia inter reuelationes communes, & priuatas, & quantam istæ mereantur fidem?

§. I.

1. Ex reuelationibus non leue deducitur pro pia sententia argumentum. 2. In quo differant priuatæ, & communes reuelationes. 3. Quam mereantur fidem reuelationes priuatæ, sed approbatæ.

BEATISSIME PATER,

Ex reuelationibus non infirmum deducitur argumentum.

1 PRæter alia, quæ congerunt tam moderni, quam antiqui Doctores pro immaculata Virginis Conceptione argumenta, illud nec leue nec inefficax est, quod à reuelationibus, sanctis viris vel probatis fœminis, factis, adducunt, per quas, & veritatem suæ conciliant sententiæ, & viam struunt definitioni. Verum namque necesse est vt sit, & facile definitur quod vere reuelatur, cum nec Deus præbeat falsitati, nec Ecclesia neget reuelatæ veritati testimonium. Cum nouas addunt quotidie Pontifices definitiones, nihil aliud præstant, quam clarius explicare, & indubitanter proponere, quod sub verbo Dei vel scripto, vel non scripto, vel in scripturis Canonicis, aut traditionibus Ecclesiasticis obscurius latitabat iam antea à Deo reuelatum. Illæ vero reuelationes, quæ primis nostræ fidei proceribus, Apostolis, & Christi Discipulis factæ sunt pro vniuersa Ecclesia instruenda, sufficit vt ab eisdem ipsis referantur, vt testimonium omne, satisq; locupletem accipiant authoritatem. Quæ vero priuatis fiunt hominibus, vltra particulare eorumdem testimonium, maiori indigent fide, vel commendatione.

2 Hæc

2 Hæc illa differentia inter communes, & priuatas reuelationes, seu inter eas quæ toti Ecclesiæ, vel priuatis personis fiunt, vt de illis nefas sit dubitare: hæ vero facillime reijciantur, & caute satis sint admittendæ; cum multoties *Satanas se transferat in Angelum lucis*, & sub specie verę reuelationis, falsas subintroducat doctrinas. Multas suo tempore reuelationũ delusiones viguisse testatur Bern. Senen. de Antichristo iam nato, variosq; ait induxisse in errores: proindeq; cum cæteris Doctoribus admonet, non facile credendũ cuicumq; reuelationi. Sanum & tutum est illud Ioannis Apostoli consilium. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*. In quo sicut nec omnes reuelationes indiscriminatim voluit sine delectu admitti, ita nec omnes censuit respuendas. Probari omnes iussit, & examinari, an ex Deo spiritus ille reuelans sit; quod facile dignoscitur, dum reuelationes ipsæ & personæ, quibus fiunt, discutiuntur; dum quod reuelatur, expenditur; dum ad sacræ Scripturæ stateram, & regulas ab Ecclesia, & Doctoribus statutas, nouæ mensurantur apparitiones. His indigent diligentijs, & hac opus habent cautela priuatæ reuelationes cum aliter non facile constare posit de veritate earumdem.

In quo differant priuatæ, & communes reuelationes. — 2. Corin. 11. 14. — Bernard. Senen. tom. 3. serm. 3. art. 2. c. 2. & 4. in fine. — 1. Ioan. 4. 1.

3 Vt tamen eas examinauerint vel Episcopi in suis Ecclesijs, vel publica auctoritate Doctores, easq; pro veris & pijs admiserit Ecclesia; postquam iam probauit, & approbauit spiritum, & reuelationes à Deo esse: nec licebit eas temere respuere, nec fidem facile eis denegare. Certitudinem vero infallibilem aut irrefragabilẽ fidei diuinæ non sibi vendicant; sicut illæ communes, nisi vniuersæ Ecclesiæ proponantur pro infallibilibus & fide diuina credendis. Merentur tamen certitudinem moralem & veritatem prudentialem, ita vt duritiem cordis, & temeritatis notam digne patiatur, qui eas contemnat. Vnde notant quidam Doctores, in sacra Scriptura aliquos iuste reprehensos fuisse, propterea quod quibusdam reuelationibus per ipsas earum circumstantias commendatis credere noluerint; vt Saram Genes. 18. Zachar. Luc. 1. qui Angelis adeo manifeste apparentibus, & futuram prolem pollicentibus ex prudentia infusa, & dono consilij tenebantur assentiri. Cum ergo res ex se noua, vel inaudita non fuerit in Ecclesia, *sed inducit ad ea, quæ sunt secundum fidem, & secundum sacram Scripturam, & bonos mores*, inquit D. Bernard. Senen. *non despicienda est, ne forte despiciamus ea quæ Dei sunt*. Quod si talis ab Ecclesia declaretur, aut admittatur, non in-

Quam mereantur fidem reuelationes priuatæ iam approbatæ. — Gregor. de Valen. t. 3. d. 1. q. 1. punc. 1. §. 5. vers. Ex quo intell. & Doct. expositiui ad illa loca. — Bernard. Senen. citatus.

firmas tribuit vires cuicumque doctrinæ reuelatio, & magnum solidumque præbet fundamentum definitioni.

Quæ, & quales referantur pro Immaculata Virginis Conceptione reuelationes?

§. II.

4. Quasdam refert pro hac sententia Anselmus.
5. De ijs quidam dubitant.
6. Non licere modo sicut antiquitus de eis ambigere.
7. Non immerito Bonauentura circa fidem his præstandam hæsitauit.
8. Ex Officio Conceptionis magnam adeptæ sunt approbationem.
9. Alia narratur reuelatio facta B. Norberto.
10. Aliæ factæ sunt antiquitus probis viris, fide dignis.
11. Non sine temeritatis nota hæ omnes despicabuntur.

MVltas vero reuelationes, pro commendanda Virginis Immaculata Conceptione referunt Doctores, qui eam defendunt, quarum singulas nisi iam approbauit Sancta Ecclesia, nulla tamen est quæ cum alijs ab eadem approbatis non cohæreat. Quasdam referam, sed ijs tantundem insistam, quas constat in Ecclesia publicè receptas.

Quasdam refert pro hac opinione reuelationes Anselmus.

4 Opinio de Immaculata Conceptione tunc cæpit acrius inualescere, & solemnius crebriusque coli cum Beatus Anselmus tres illas reuelationes vna complexus Epistola recensuit suis coæuis Episcopis in Anglia, quarum illa Abbati Helsimo facta crebrior, & solemnior à plerisque grauissimis Doctoribus refertur vt vera. Ab eadem initium accepisse apud Anglos Festum Conceptionis ait Baronius ad octauam diem Decembris in notis ad Martyrologium Romanum. Eius meminerunt ex antiquis plurimi, Bauon. in 3. dis. 2. quæst. 4. artic. 2. & in quodl. quæst. 13. Henricus de Gandauo quodl. 25. quæst. 23. Paludanus. Capreol. Argentina in 3. dis. 3. Petrus de Natal. lib. 3. sui Cathal. cap. 52. & lib. 6. cap. 56. licet erret in persona. Gerson. serm. de Conceptione. Bozius lib. 4. de signis Eccles. cap. 8. Maffeus cap. 16. suæ Chron. Claudius à Rota, & Iacobus à Borrag[e] Dominicani in legenda Sanctorum in Festo Conceptionis fo: 164. & omnes ferme antiqui, qui quidquam de Immaculata Conceptione scripserunt. Et quod maiorem conciliat fidem, Concilium Cantuarien. à Bauone quodl. 3. q. 13. citatum, non obscure reuelationem hanc admittit, dum ab Anselmo Conceptionis Festum emanasse in Anglia aperte testetur.

5 Sed

5 Sed illud circa hanc reuelationem ſcrupulum ingerit, quod nedum Aduerſarij noſtri eius fidem labefactare contendant; verum nec ei ſtandum, nec facile credendum docuerint Bernard. Petrus Cellen. eius coætaneus, cum alijs illius ſæculi viris. Sed & ipſe D. Bon. cæteris in hac re modeſtior, dixerit non eſſe authenticam, nec vllum compelli vt ei credat. Locutos autem hos fuiſſe Doctores de hoc ab Anſelmo relata reuelatione, ex eo colligitur, quod nulla alia crebrior tunc erat huius Feſti ratio; & de illa, quæ in Anglorum finibus facta eſt, ad Nicolaum Albaren. Abbatem ſermonem habuerit citatus Cellenſis. De ea in particulari plura ſubnectit capitula Albertus Duimius in libro, quem ſub Turrecrematæ nomine edidit in lucem, in quibus totis viribus eius authoritatem attenuare laborat, quod, & ſe perfeciſſe opinatur; & multi etiam ſunt hoc æuo qui de ipſa Epiſtola dubitent. Dum ergo tot de reuelatione, & Epiſtola, in qua referetur, dubitauerint, licebit cuique de eius fide ambigere.

Quidam de his reuelationibus dubitant.

Bernard. epiſt. 174 ad Lugd. Petrus Celen. l. 6 Epiſtolarũ epiſt. 23. Bon. 3. D. 3.

Turrec. tract. de Concept. part. 13. c. 10. & ſeq.

6 His tamen non obſtantibus cenſendum eſt ita hanc reuelationem certam eſſe & de duritie cordis increpandos, qui eam facile modo velint contemnere, vt illi, qui antiquitus, & circa Bernardi tempora de ea dubitauerint facillime veniant excuſandi. Alia eſt enim horum temporum ratio, alia fuit tunc huius reuelationis negandæ occaſio. Nam cordate hæſitauit Bernardus, eiuſque coætanei, in noua, & inaudita admittenda reuelatione cui nec tunc (inquit Bernardus) firma ſuppeditabat ratio, nec certa inueniebatur fauere authoritas. Illo namque tempore, præcipuè apud Gallos, nec frequens illa erat opinio, nec Conceptionis Solemnis vigebat Feſtiuitas: vnde nec qua fundaretur ratione, nec qua firmaretur auctoritate prædicta reuelatio facile potuit dignoſci, &, nouam Feſtiuitatem ſine magno fundamento, aut Eccleſiæ ordinatione, vel præcepto non eſſe admittendam timoratè, & ſanctè iudicarunt Bernardus eiuſque amicus, & familiaris Petrus Cellen. vt ex vtriuſque conſtat Epiſtola.

Non licet modo ſicut antiquitus de eis ambigere.

7 Bonauentura vero licet nullum compelli dixerit, vt ei fidem haberet, quia tunc non erat authentica, ſubiunxit tamen, nullum etiam teneri vt eandem negaret, cum nihil contra rectam fidem contineret. Durum namque, & periculoſum duxit, quidquid offertur vel ſuperne reuelatum, dicatur, ſtatim negare, vel contemne-

Non immerito Bonauentura circa eas aſſenſum diſtulit.

re; & licet authenticum non sit, omnino respuere. Quæ nihil manifeste contra fidem continent, toleranda, & pie credenda putauit, donec pleniori indagatione facta, & examine præmisso de earum veritate vel falsitate constaret. Consilium est Apostoli, *Prophetias nolite spernere: sed omnia probate, & quod bonum est, tenete.* Quod sequutus Bonauentura, maiorem, vel firmiorem huius reuelationis desiderabat probationem. Prudenter ergo iudicauit non esse cogendos vel compellendos fideles, vt Festum Conceptionis immaculatæ celebrarent, vel opinionem negatiuam amplexarentur propter reuelationem de cuius authoritate, non constabat, nec authenticam esse tunc innotuerat. Aeque etiam proinde hæsitauerunt illius sæculi viri circa reuelationem, quam sola tunc fama, & quorumdam relatio notam fecit, & aduexit in Galliam, quin bene constiterit de eius certitudine, aut veritate, vel quo præmisso examine, aut addita probatione commendabatur.

1. ad Thess. 5.

Ex officio Conceptionis magnā adepta sunt probationem.

8 At dum longo temporum interuallo, & multis sibi succedentibus sæculis, reuelatio quæcumq; recipitur, & à Doctoribus, & Ecclesiarum Prælatis admittitur; dum, quod caput est, in ipso officio diuino à Summo Pontifice proponitur recitanda, & pro ratione alicuius Festi celebrandi authoritate Pontificia asignatur; grauiter erit reprehendendus, qui facile fictam vel falsam eiusmodi dicet reuelationem. Nam quid aliud sequitur, aut euidenter inferetur nisi leuiter, & inaniter moueri Pontificem ad festiuitates quascumque instituendas, & Romanam Ecclesiam facile decipi, eique illudi ab impostoribus, & falsarum reuelationum inuentoribus, vt nouas introducat solemnitates? sed à tempore Anselmi ita hæc reuelatio: aliæque quæ in eius referuntur Epistola, contra primos refragatores, & contradictores inualuit, vt per omnia sæcula pro vera reuelatione, à præcipuis, & grauibus Viris referretur, ab Ecclesiarum, in quibus hoc Festum celebrabatur, Prælatis admitteretur, in multarum Diocœsum Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, multarumque religionum Breuiarijs, in officio diuino recitaretur, vt ex ipsis quæ in promptu sunt, videre licet; & tum demum in vniuersa Ecclesia in Breuiario Romano, cuius varia sunt apud me exemplaria, pro vera, & pie credenda à Summo Pontifice, omnibus commendaretur fidelibus, & ab eisdem per centum ferme annorum spatium, publice, & caneretur, & frequentaretur in Ecclesia. Quod si adeo grauis, & solemnis festiuitas ab hac reuelatione in Anglia

Anglia dicitur, nouum hoc vel nobis notius habere principium (licet antiquiorem in alijs Ecclesijs Græcis, & Latinis, in alio de diffinibilitate tractatu, eam esse monstrauerim) si tantam habet approbationem Doctorum, Prælatorum, Ecclesiarum, & Summorum Pontificum, qui eam circumferri, publicari, prædicari, & in officio diuino recitari probauerint; nescio quo spiritu ducetur, qui eam vel binas alias Anselmi eiusdem authoritatis reuelationes fictitias, vel falsas esse tenacius contenderit.

9 Circa Anselmi ferme tempora alia facta est B. Norberto Præmonstratentium præclarissimo fundatori, ex qua illius religionis accepit initium. Ei namque ipsa Dei genitrix apparuit, & huius Mysterij cultum & venerationem solicite commendauit. Vestem insuper candidam sancto viro donauit, qua & ipse & sub eo militaturi fratres vterentur in testimonium originalis Marię innocentiæ, vt & vita, verbo & habitu eius conceptionem sine macula fuisse profiterentur. Locupletē habent apud se Præmonstratenses huius reuelationis authoritatem, & firmam traditionem ab Norber. & eius socijs ad nostram ætatem incessanter deductam. Imo sunt, qui contendant eam Bernardi tempore celebrem fuisse, & illam ipsam quam Bernardus dubiam, & incertam iudicauit, de quo ego dubito & ampliorem aliàs instituam tractatum.

Alia reuelatio Beati Norberti.

10 His accessêre aliæ pleræque reuelationes Beatæ Gertrudis, & aliorum miraculis comprobatæ, stricto examine discussæ, & à plerisque viris doctis pro veris receptæ, & in eorum operibus relatæ. Quarundam meminerunt Gersonius, & Bacconius citati. Alias referunt Marsilius in 2. q. 10. art. 1. Bernard. de Bustis 1. p. sermonum serm. 7. de conceptione in prima illius parte. Ludouic. à Turre tract. de conc. art. 2. & alij.

Alia facta sunt Viris probis fide digna.

11 Quas omnes si nostra authoritate reijcere, & falsas iudicare velimus, temeritatis certe notâ non carebimus. Nec enim quæ tanti approbarunt viri docti, & timorati, sunt adeo floccipendenda & pænitus contemnenda, ne facile fauere videamur Erasmi impiorumque hæreticorum insaniæ, non immerito à Parisiensibus, & communi Doctorum calculo condemnato (Sanctorum videlicet narrationes, historias, aut miracula non esse magni faciendas) & ne ex nostra facilitate, & leuitate in his reijciendis, exemplum aut ansam sibi sumant fidei Aduersarij, quidquid ad illos conuincendos Ecclesia protulerit ex Sanctorum dictis aut factis, pæ-

Non sine temeritate omnes reijcientur.

 nitus

nitus negandi, vel omnino despiciendi. Nec & si velimus ita facile mendacij aut figmenti nota, hæc affici poterunt, dum succedentibus sibi inuicem per varia sæcula, de hac re crebris reuelationibus, anteriores, vt veræ confirmantur, & maiorem indies sortiantur authoritatem. His etenim, quas prædicti referunt authores, aliæ accessere non infimæ fidei reuelationes, vt omnino verum esse iudicetur, quod Sanctissimus ille Episcopus Amadeus dixit, *Creberrima miracula, & cœlestes reuelationes almæ parentis Domini assiduè orbi coruscatura*. Ferè enim nullum fuit post mille annos sæculum, in quo quibusdam notæ, vel obseruatæ sanctitatis viris, aut fæminis, quidquam circa hoc Mysterium Conceptionis Virginis non fuerit pro eius immunitate ab originali, reuelatum. Vt vero cæteras omnes, præter illas Anselmi, quarum locupletem satis authoritatem ostendi, modo missas faciam, nec in comprobanda earum veritate sermonem protraham, contra eos, qui nullius eas esse contendunt; notissimas illas satis comprobatas, & nunquam satis laudatas B. Brigittæ solummodo referam, & prosequar, ex quibus sufficienter videbitur, quam iniuste agitur cum alijs pijs personis, qui his similes habuerunt reuelationes, dum quod in hac fæmina laudauit Ecclesia, in illis condemnare audent Aduersarij.

Referuntur reuelationes B. Brigittæ de immunitate B. Mariæ Virginis à peccato originali.

§. III.

12. *Variæ reuelationes factæ B. Brigittæ de hac re.* 13. *Post Brigittanas alijs reuelationibus hæc sancta conceptio innotuit.*

1. Reuelatio facta B. Brigittæ.

12 NOn vnam aut duas habuit hæc Sancta Vidua de hac re reuelationes, sed plures. In primo etenim lib. suarum reuelationum c. 9. ab ipsa Dei genitrice (cuius res agitur, & quæ quid circa se factum est, cæteris nouit melius) reuelatum refert hoc Mysterium sub his verbis. *Facto corpore meo, Deus à diuinitate sua animam creatam, immisit corpori, & mox anima cum corpore sanctificata est, quam Angeli custodiebant, & seruabant die ac nocte. Cum autem anima sanctificaretur, & corpori coniungeretur tanta matri meæ aduenit lætitia, vt impossibile esset dictu.* Ad quæ verba doctis notulis appositis tolli voluit Gonsaluus Durantus omnem omnino scrupulum circa illa *animam immisit corpori, & mox anima cum corpore sanctificata est*, ne velit quis ex eisdem colligere post animæ infusionem in subsequenti tempore vel temporis instanti sanctificatam, quod nequaquam inferre licere docet

docet citatus commentator, vt verba ipsa subsequentia, *Cum anima sanctificaretur, & corpori coniungeretur*; & clarissimæ subsequentes reuelationes demonstrant.

Lib. 5. in fine in declaratione reuelationis 13. ipse Pater æternus, II.
quid circa filij sui matrem effectum sit, eidem Sanctæ Viduæ reuelauit, dicens; *De radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato concepta, vt filius meus de ea sine peccato nasceretur.*

Lib. 6. c. 49. ipsa mater Dei ita eam alloquitur. *Veritas est, quod* III.
ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato.

In eodem lib. c. 55. ipsa eadem Dei genitrix prædixit tam hanc IV.
controuersiam protrahendam in longum, quam veritatem suo tempore manifestandam, quod modo huic tuo fælicissimo credimus reseruatum. Ait ergo Virgo mater; *Scito quod conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus. Sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordinato.*

Lib. 8. c. 47. ait B. Viduæ eadem Virgo Maria; *Anima mea quan-* V.
do creata fuit, & coniuncta corpori replebatur ex decursu torrentis scilicet Spiritus Sancti, quo nunquam postea euacuata est. Hæc sunt clariora verba, & expressiores reuelationes B. Brigittæ factæ, hanc Virginis immunitatem à peccato originali testantes, quam etiam alijs multis in locis suarum reuelationum non leuiter insinuari videbit, qui eius opera vel libros percurrerit.

Aliam habuit reuelationem sibi factam ab Angelo in suo cubiculo iuxta Ecclesiam Sancti Laurentij in Damaso circa Festi conceptionis celebrationem, & diem in quo Virginis conceptus mundissimus ab omnibus honoraretur. In capitulo namque 10. ad finem ita se accepisse refert, & Angeli verba enarrat.

Post has Brigittianas alijs reuelationibus hæc res confirmata est.

13 Aliæ alijs factæ sunt postea reuelationes de hac eadem mundissima conceptione, quarum illæ non sunt obscuræ, quas sibi factas refert raptu 8. B. Amadeus præclarissimus congregationis Amadeorum fundator, cuius corpus magna cum veneratione colitur Mediolani, nec quas habuisse præclaram fæminam, & notæ sanctitatis Virginem, cuius celebris est in Hispania memoria, Ioannam à Cruce, quas referunt, qui eius vitam scripserunt, non sine graui examine, & contradictione. Quo tamen acrius eius acta, &

historia impugnata sunt, eo gloriosius postea prodierunt in lucem approbata, & satis commendata à grauissimis Viris, & Prælatis ex licentia, & indultis supremi tribunalis sanctæ Inquisitionis in Hispania, in quo supremus sedebat Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Bernardus de Roxas Archiepiscopus Cardinalis Toletanus, & Inquisitores D. Gabr. de Trejo, nunc S. R. E. Cardinalis, D. Alphonsus Marquez de Prado postea Episcopus Tertonen. Carthaginen. & Segouien. D. Franciscus de Sossa Episcopus Canarien. Oxomensis ac postea electus Segouien. D. Ioannes Llano de Valdes postea Episcopus Legionen. quorum aliorumque iudicum voto, & subscriptione, vt in publicum prodirent, satis superque eas approbarunt, & pro approbatis haberi voluerunt.

His Beatæ Brigittæ reuelationibus, alia opponitur ab Aduersarijs.

§. IV.

14 HIs omnibus opponitur solum ab aduersæ partis fautoribus vna tantum, nescio si reuelationem, si orationem dicam B. Catharinæ Senen. primo à B. Antonino 1. p. suæ Summæ tom. 8. c. 2. circa finem, postea à Caietano & alijs, qui ei successêre, reuelatio dicta, & pro vera prætensa. Quidquid vero sit siue reuelatio (vt illi volunt) siue spirituale quoddam colloquium, vel oratio ab affirmatiuæ opinionis assertoribus suggesta (vt ego verius puto & inferius probabilius ostendam) habetur inter eius orationes n. 16. quæ incipit *Deitas æterna.* Verba quæ fideliter ex ipso suarum orationum codice transcripsi, & Aduersarij pro hac sententia citant, hæc sunt. *Datum est nobis verbum æternum per manum Mariæ, & de substantia Mariæ induit naturam absque peccati originalis macula, & hoc, quia non hominis, sed Spiritus Sancti inspiratione facta est illa conceptio. Quod quidem non fuit sic in Maria, quia non processit ex massa Adæ operatione Spiritus Sancti, sed hominis, & quia tota illa massa erat putrida, non poterat nisi in putridam naturam anima illa infundi, nec poterat purgari, nisi per gratiam Spiritus Sancti, cuius quidem gratiæ non est subiectum susceptibile corpus, sed spiritus rationalis, aut intellectualis, & ideo non poterat Maria à macula illa purgari, nisi postquam anima infusa est corpori, quod quidem sic factum est propter reuerentiam Thesauri Diuini, qui in illo vase debebat reponi, nam sicut fornax consumit guttam aquæ in modico tempore, sic facit Spiritus Sanctus de macula peccati originalis; nam post conceptionem eius statim fuit ab illo peccato munda-*

mundata, & gratia magna data. Et subiunxit: *Tu scis Domine quia ista est veritas.* Hæc sunt quæ ex D. Catharina Senen. opponunt maculatæ conceptionis assertores, reuelationibus B. Brigittæ, & propter quæ, tanquam veriora, has, & alias huiusmodi, reprobandas, & tanquam falsas, & Catholicæ doctrinæ vnitati præiudicantes, è medio tollendas tenaciter contendunt.

Ego horum Patrum studium (si hoc illud solum est) de vnitate, & sinceritate Christiani dogmatis defendenda laudo, illorum extollo doctrinam de contrarijs non admittendis reuelationibus, & eorundem approbo sententiam de falsis rescindendis, & veris amplexandis. Docte & Christiane iudicant non posse dari in Ecclesia Dei reuelationes contrarias, & de eadem re inter se pugnantes, dum vnam necesse sit esse mendacem, & à spiritu illusore, non à Deo (qui mendacij author non potest esse) prodijsse. Quinam vero contrarietatem hanc in Ecclesiam introduxerint, & quænam ex ijs quæ circumferuntur, sint admitendæ, quæ vero pro falsis respuendæ, hoc erit paulo fusius examinandum.

Statuuntur 4. regulæ ad veras dignoscendas reuelationes.

§. V.

15 SI regulas reuelationum suscipiendarum aut reprobandarum à Theologis statutas expendamus, videbimus non has immaculatæ Conceptionis, sed illam Aduersariorum reijciendam. Prima est, vt cohæreant cum ijs quæ in sacra Scriptura reuelata sunt, vel conformentur traditionibus vel ordinationibus Ecclesiasticis. Secunda, vt aliquam afferant Ecclesiæ vtilitatem spiritus, vel fidelium inseruiant ædificationi, seu deuotioni. Tertia, vt obseruetur, & discutiatur persona cui fiunt. Quarta, vt probatissimorum, & Doctorum virorum testimonio approbentur, vel ab Ecclesia vt veræ recipiantur. Quæ omnes conditiones, si in quacumque reuelatione simul confluxerint, vt indubitanter vera recipienda erit, & æquo gradu veneranda.

Reuelationes de immaculata Conceptione Virginis esse conformes Sacræ Scripturæ ostenditur.

§. VI.

16. Quædam citantur Scripturæ loca, quibus hæ reuelationes confirmantur.
17. Non contradicunt locis vniuersalibus eiusdem.
18. Multi Viri docti ita de eis iudicarunt.

6 Nullam

16 NVllam autem harum regularum desiderari aut deesse in reuelationibus, quæ pro Conceptione immaculata offeruntur, præcipuè in ijs, quas ex B. Brigitta retulimus; singulas percurrendo, facile erit ostendere. Etenim vt primam expendamus, licet hoc priuilegium Virginis, quod in prædictis reuelationibus eidem tribuitur, non constet clare, & expresè ex Sacra Scriptura, nec in sensu litterali sit in eodem locus aliquis, qui illud clare affirmet: plurima tamen sunt, quæ illud innuunt, & quæ vel in secundo sensu litterali (vt aliqui volunt) vel spirituali (vt communiter ab alijs recipitur) reconditum habent hoc Mysterium, & illud diserte videntur insinuare. Pauca ex multis, sed clariora breuiter repetere non pigebit ex superioribus Tractatibus, in quibus iam de his egimus. Primus sit ille locus Geneseos 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum.* Qui licet varias hinc inde habeat difficultates, & diuersas expositiones, nulla tam recepta, aut communis est modo apud Theologos, quam hæc de victoria Virginis obtenta contra Diabolum in euadendo peccatum originale: Doctores satis multos ita hunc locum explicantes videre licet apud Petrum Morales lib. 3. de Christo, & Virg. tract. 1. pag. 282. & Aegid. Lusit. lib. 3. de præser. Virg. q. 5. §. 4. cæteris disertius ex hoc loco veritatem hanc deduxit Dionysius Carthus. lib. 3. senten. D. 3. q. 1. §. veruntamen, dicens. *Horremus mulierem quæ caput serpentis contritura erat, contritam ab eo aliquando fuisse matrem Domini fateri.* Cohæret etiam ille locus Cant. 2. dicens; *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Alius item Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ loca præterquam, quod à multis sanctis Viris, & plærisque Doctoribus in hoc sensu explicentur, ita ea inseruit Officio Conceptionis Ecclesia, ijsque in eodem vsa est, pro hoc Mysterio explicando, vt nequaquam posit quis negare ea in hunc sensum posse explicari; & consequenter his reuelationibus conformari. Sit vltimus, & vnitus è nouo Testamento locus, vt alia pleraque vtriusque tam veteris quam noui omittam: ille Lucæ 1. *Aue gratia plena,* quem de omnimoda plenitudine gratiæ, tam per integrum vitæ cursum, quam in ipso in eandem introitu, & primo vitæ momento Doctores quam plurimi expositiui, qui in hunc locum, post centum annos scripserunt, intelligunt. Nec ex antiquioribus desunt, qui ad hanc explicationem accedant. Egregia satis habet huic interpretationi accomoda Greg. Neocæsarien. cognomento Thauma-

Quædam citantur loca Scripturæ quibus hæ reuelationes confirmantur.

Gen. 3.

Pet. Mor. Aeg. Lus. Dionys. Carthus.

Cant. 2. Cant. 4.

Luc. 1.

Gregor. Thaum.

Thaumaturgus seu mirabilium operator, qui ad trecentesimum Christi annum floruit, per tres integros sermones, quos videre licet Tom. 3. Bibliot. magnæ Vet. Pat. nouiter à Colonien. editæ pag. 39. & seq. Ab hac expositione non abscedit illa authoris serm. 11. De Natali Domini apud August. in appendice tom. 10. nu. 24. qui vel Seueriano vel Fulgentio tribuitur, vbi ex his verbis ait, ostendi *in Maria ex integro exclusam fuisse iram primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Clare vero, & expresse ad hunc sensum illa verba intelligunt D. Bonau. serm. 2. de B. Virg. Idiota in contemplat. in eadem c. penult. Ildefon. serm. de part. & Virg. Mar. Petrus Comestor in serm. de Concept. Petrus de Montes tract. de eadem, & alij ex antiquioribus. Alia loca his reuelationibus conformia additis multorum Sanctorum expositionibus in hanc sententiam congerit Franciscus Feu-ardentius lib. 10. suæ Theomachiæ cap. 2. per totum, Petrus Canisius l. 1. de Deip. c. 6. Ioan. de Carthagena de arcanis Deiparæ lib. 1. per multas homilias, & Aegidius Lusitanus lib. 3. de præseru. Virg. quæst. 5. art. 6. à §. 2. Ante hos exploratam habuerunt hanc sententiæ piæ (quę in reuelationibus expanditur) conformitatem cum sacra Scriptura Concilij Basilien. Doctores, cum eam tanquam sacrę Scripturæ conformem amplectendam iudicarunt. Idem etiam iudicium de hac conformitate his annis proxime elapsis in solemni voti nuncupatione protulerunt Academiæ Compluten. Neapolitana, & aliæ, quæ ob hanc etiam rationem contrariam noluerunt suis propinari alumnis, quia negatiuam iure optimo censuerunt diuinis libris conformiorem. Similiter etiam censent omnes ferme nostri æui Doctores, vt nullus ferme sit præclari nominis præter Prædicatores qui rem hanc manifestam vocet in dubium.

August. | D. Bona. | Idiota. | Ildefon. | Petrus Comest. | Petrus de Montes. | Franc. Feu ard. | Petrus Canis. | Ioan. Carthag. | Æg. Lus. | Concil. Basil. | Academ. Complu. Neapolitana.

17 Nec erit cur quis obijcere velit vniuersalia quædam eiusdem sacræ paginæ loca quæ omnes nemine dempto sub originali peccato includant, qualis est ille Pauli Rom. 5. *Omnes in Adam peccauisse*, & similia quibus hæ reuelationes videantur contrariæ. Nam Concil. Trident. Sess. 5. de peccato originali (vt supra dixi tract. 8. & hic iterum non iniuria repeto) dum ex his locis, quæ sibi expressiora & strictiora visa sunt, omnes definierit mortales naturali propagatione à primo nostro parente descendentes, labem hanc originalem contrahere: statim, & accurate sciendum admonuit se non voluisse sub ijsdem regulis, & communi hominum alea Mariam compre-

Nec contradicunt locis vniuersalibus Scriptura.

comprehendere. Ita vt ſincere, catholice, & conformiter ad ipſam Scripturam, & Spiritus Sancti dictamen, ex ipſius Concilij declaratione, poterit quis Mariam ſub illis communibus, cum cæteris, non inuoluere. Regulæ etenim illæ vniuerſales ſunt ab ipſo Spiritu Sancto propoſitæ, & pro legibus infallibilibus datæ, ab ipſo eodem legiſlatore Sanctæ Matri Eccleſiæ, cui manifeſtius, & ſpecialius loquens & ſemet clarius explicans per Patres Concilij, ait non eſſe ſuæ intentionis comprehendere ſub illis regulis chariſsimam ſuam ſponſam Mariam ſemper Virginem. Quaſi dicat per eoſdem Patres; licet ſtatuam pro lege firmiſsime credenda, omnem hominem per maris, & fœminæ concubitum conceptum, peccato infici primi parentis Adami, nolo tamen intelligas me proinde Mariam Dei genitricem, ſub hac lege comprehendere; declaro plane non eſſe hoc meæ intentionis.

18 Si ergo ex mente tantarum Academiarũ, & Doctorum quos communiter, & fideliter citant recentiores, conforme ſit, & conſonum locis illis Sacræ Scripturæ, in quibus particulariter de Virgine Maria agitur, ſub hoc vel illo ſenſu ſiue literali, ſiue myſtico, & regulis vniuerſalibus non contradicat ex mente Concilij Trident. & teſtimonio tantorum Virorum, qui poſt illud ac antea de hac re ſcripſerunt; Mariam eximere, & defendere à peccati originalis contractione, quis audebit dicere reuelationes omnes pro hac parte factas non eſſe Sacræ Scripturæ conſonas, & conformes. Præſertim cum omnes in vniuerſum huius Sanctæ Viduæ reuelationes tot tantaque habeant pro ſe teſtimonia omnium Epiſcoporum, Regis & Regni Sueuiæ. Quæ videre licet in ſuis Epiſtolis in appen. Concil. Baſilien. in noua edit. Conciliorum, & tam Doctorum Sacræ Theologiæ Profeſſorum, quam Cardinalium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam etiam Summorum Pontificum, quæ pro approbatione prædictarum reuelationum B. Brigittæ data opera & expreſſo refert Cardin. Turrecremata in approbatione harum reuelationum, eiſdem præfixa. Ipſe vero, cui hæ reuelationes examinandæ commiſſæ ſunt à Concilio Baſilien. dum legitimum eſſet, & cui præ cæteris quidam articuli, de quibus tanquam de ſuſpectis aliqui dubitabant, oblatæ ſunt ab Illuſtriſsimo Domino Cardinali S. Petri, fidei iudice in eodem Concilio, vt ſenſum ſuum circa illos proferret, reſpondit, & ſubſcripſit, ipſos etiam illos articulos quos maleuoli quidam calumniabantur, eſſe Sacræ Scripturæ con-

Multi Viri docti ita de ijs iudicarunt.

ræ conformes, cuius formalia verba ex c. 6. Prologi ipsius § *articu lus primus*, referenda operæpretium duxi. *Plane* (inquit) *omnes, & singulos articulos accurato satis studio iuxta vires meas examinaui, & nullum eorum pie ac modeste intellectum, reperiens Sacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum aduersum sententijs, sed consonum, & conformem; satis reputo vnumquemque, & omnes eos iuxta eorum modestiam ac piam intelligentiam esse admittendos, & posse legi in Ecclesia Sancta Dei.* Quam etiam censuram iam antea adhibuerat cap. 4. in fine. In cuius initio non solum de illis articulis, qui magis peregrini inter cæteros totius libri, vel voluminis reuelationum videbantur, sed de omnibus, quas sibi factas refert Beatissima illa Vidua ex quarto signo, quod sibi proposuit ex communi Theologorum consensu, & nos hîc primum statuimus, nimirum ex conformitate cum Sacra Scriptura, probat eas veras esse, & à Deo emanasse. *Ex isto* (inquit) *signo videtur capi efficax argumentum ad ostendendum reuelationes Beatæ Brigittæ factas in his libris contentas, à spiritu Dei processisse, quoniam ipsæ conformes esse videntur Sacræ Scripturæ, & reuelationibus diuinis, &c.* Quod largius per totum illud caput quartum prosequitur, & probat tam ex genere visionis siue reuelationis, quam ex modo eiusdem, quam demum ex conformitate sententiarum. Ioan. de Turrec.

Non minus illustre aut patulum de eisdem præbet testimoniũ Illustrissimus Dominus Alfonsus Giennensis Episcopus, postea Eremita probatissimæ Sanctitatis; & eiusdem Beatæ Brigittæ fidelis comes à Deo præordinatus in peregrinatione Hierosolimitica (cui etiam non semel reuelationes omnes eiusdem Diuæ commissæ sunt censurandæ) in epistola præfixa libro octouo earundem reuelationum, per quam fermè totam hoc idem probat, sed præcipue capite sexto, in quo per ipsam Sacram Scripturam luculenter probat, omnes has reuelationes Beatæ Brigittæ processisse à Spiritu Sancto. Quod accuratius prosequitur quarto & quinto signo, & ad finem capitis concludit. *Nihil veritati quæ in Christo est, subtrahunt, aut addunt, sed misericordia, & iustitia eius ad profectum salutis nostræ, tam in eis, quam in alijs libris Prophetarum diuinitus clarius ostenditur.* Alfonsus Giennen. Episcopus.

Esse conformes traditioni Ecclesiasticæ has reuelationes.

§. VII.

Confirmatur traditioni Ecclesiæ Græcæ.

19 TRaditioni vero, & ordinationi Ecclesiasticæ (per quã aliâs non parum, piam de immaculata Conceptione sententiã firmaui, & quæ secunda pars est primæ regulæ) easdem consentire, non erit qui neget, dummodo legere velit Pet. Galatinum lib. 7. de arc. Cathol. c. 5. Card. Baroniũ in notis ad Fest. Concept. in Martyrolo. constitutionem Emanuelis Comeno Imperatoris, quam refert Theod. Patriarcha Antioch. coment. ad Nomocanon Photij tt. 7. c. 1. Kalend. Damasceni, Sermones Leonis Imperat. & Gregorij Episc. Nicomed. in quibus, vel apud quos, tanquam receptissimum in Eccl. Græca habetur Fest. Concept. immaculatæ, & Lyturgias eorundem Græcorum, tam illam Ioan. Chrysostomi, quam alias, quæ extant, in quibus omnino sancta, & immaculata B. Virgo prædicatur, vnde & Fest. Conceptionis Marianæ apud eos Panagia dicitur, hoc est, tota vel totaliter sancta. Cum ergo ex Lyturgijs & Kalend. constet, antiquissimam esse apud eos Festi Conceptionis immaculatæ ordinationẽ, tantæ vel maioris antiquitatis traditione de Mariæ Concept. sanctitate, fundatam; constabit etiam, Græcæ Eccl. tam ordinationi, quã traditioni, reuelationes has conformari.

Petrus Galat. Cæsar Baron. Emanu. Imperat. Theod. Antioch. Kalend. Damasc. Leo Imperator.

Traditioni etiam Latinorum.

A Latinorum vero traditione, aut institutione, qui eas discrepare contenderit, prius audacter nimis negabit præclarissimum illud Petri Barcinonen. vetustissimi scriptoris in omnimoda sua historia ad D. Hieronymum, & Pauli Orosij ad annum 400. testimonium; ipsam etiam Festi institutionem satis suo sensu manifestam, sed quoad propagationem per vniuersalem Ecclesiam, incertam, licet apud Hispanos à D. Iacobi Apostoli tempore successiuis sæculis continuatam, si prædictæ Dextri historiæ & Cæsaraugustanæ receptissimæ traditioni credere liceat, de quibus nouiter & leuiter cuidam placuit dubitare. In Romana vero Ecclesia alijsq; per orbem eandem Festiuitatem celebrari solitam, antiqua, & laudabili consuetudine, iudicium est & euidens testimonium Patrum in congregatione illa Basilien. collectorum, quibus sicuti definiendi potestatem concedere nolimus, ita nec testificandi authoritatem negare debemus. Cum ergo S. Scripturę loca concordent, & contraria communia non obstent, cum etiam de antiqua traditione, & patula Ecclesię ordinatione, tam in festo, quam in litteris Ponti-

Romana Ecclesia ordinationi.

Pontificijs, tam expresse constare videatur, quibus hæ reuelationes tam clare, & ex iudicio tantorum Virorum conformantur, & consentiunt, non erit qui negare audeat, primam à nobis propositam regulam his Beatæ Brigittæ reuelationibus conuenire.

Reuelationes hæ conducunt ad spiritualem profectum Ecclesiæ, & ædificationem fidelium.

§. VIII.

20 Per easdem proficit Ecclesia. 21 Aedificantur etiam fideles.

SEcunda Regula est, vt reuelationes admittendæ in aliquem conducant spiritualem profectum, & fidelium inseruiant ædificationi, & deuotioni. Ex qua facillimè licebit ostendere reuelationes illas Sanctæ Brigittæ, aliasque eis conformes non esse respuendas. Constantissima est D. Thomæ suorumque interpretum sententia prophetias siue reuelationes quæ vere tales sunt, aliasque gratias gratis datas, dari eis, quibus conferuntur, non propter seipsos, sed propter Ecclesiæ vtilitatem, quod probat ex illo Pauli, *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Has autem huius Sanctæ fæminæ reuelationes vere tales esse, & Ecclesiæ Catholicæ vtiles non multa eget probatione, aut longa argumentorum ambage, dummodo rerum status, & conuenientia inter se tantarum reuelationum consideretur. Quis enim vel leuiter perpendens controuersiam hanc de Conceptione acrius exortam, & communem Festi Conceptionis propagationem ex reuelationibus prouenisse, negabit, magnum esse profectum, & non exiguam vtilitatem spiritualem Ecclesiæ, succedentibus sibi inuicē Sanctorum, ac probatorum hominum vel laudabilium fæminarum reuelationibus, quas illa pro veris suscepit, confirmari; & quod instituit colendum, cœlesti testimonio roborari? etenim per posteriores non leuiter probatas, aut parua indagine examinatas, si qua circa priores erat dubitatio, omnino tollitur; & dum cum Ecclesiasticis conueniunt institutis, illorum certitudinem, & rectitudinem non parum cōmendant. Per nouas prophetias, & successiuas reuelationes Ecclesiam clarius instrui, circa res vel doctrinam fidei, docet Diuus Thomas. Vnde & multa, quæ obscuriora sunt, manifestantur, quæ vel Mysteriorum inuolucris, aut ignorantiæ tenebris occluduntur, postea reserantur, & quæ adhuc pro reuelatis, aut infallibilibus non tenentur, omnem suspicionis, & erroris

His reuelationibus proficit Ecclesia.

D.Tho. 2.2 q.17. art. 4. in Cor. & in disp. q. 12 de prophetia art. 5. in corpor.

D.Tho. 2.2.q.174 art.6. in Corpor.

notam excutiunt. Gaudet ergo & proficit non modice Sancta Mater Ecclesia dum per huiusmodi reuelationes, alię similes sanctarũ personarum quas approbauit, confirmantur, & Festum Immaculatæ Conceptionis quod vniuersaliter & solemniter instituit diuino probatur oraculo, in quo quod illa celebrat, clarius enodetur. Vberiores proinde prouenisse ex reuelationibus B. Brigittæ profectus Ecclesiæ, testatur in suis litteris Henricus Daciæ Rex ad Concil. Basilien.

Aedificantur populi.

21 Aedificationem autem esse populi fidelis, & deuotionem eiusdem augere has reuelationes, quis inficiabitur, dum in illis profertur & clare docetur quod omnes late populos ædificat, & ad maiorem Dei Genitricis deuotionem incendit? Quis per orbem ignorat, quantæ fuerit ædificationis per vniuersas Christianas Regiones, doctrina asserens Virginem Mariam Dei Genitricem ab originali labe præseruatam? & quantæ ex aduerso destructionis spiritualis, & scandali occasio dogma contrarium? Quem effugit tanta & tam festiua solemnitas Conceptionis Immaculatæ Marię, quæ per vniuersas Hispaniæ ditiones his annis elapsis facta est, ad ipsos etiam vlteriores Indos trans mare immensum peruolans, & apud illos tam grate recepta, vt solum in ciuitate Mexicana noui orbis ditissimo empirio multa millia aureorum libentissime, & liberalissime deuotissimi incolæ in vnius diei Festum irrogauerint? Quis neget quotidie Catholicam gentem in hac doctrina spiritualibus proficere incrementis, interioribus affici gaudijs, quotidie extrui, & superextrui in magnam feruoris & amoris Dei Genitricis molem, donec in moleste se offerentem, & inuite se intrudentem contrariam doctrinam impingat?

Ne autẽ superiora sine teste dixisse videar, quasi nullus subesset, qui vel Ecclesiæ vel populo vtiles esse iudicaret has reuelationes; Vnum vel alterum testem adhibebo de omnibus Brigittianis. Supracitatus Rex Daciæ ait, *Indubie illas in salutem multorum in via fidei & morum titubantium in illo Regno & alibi per mundum publicatas, & solemniter prædicatas fuisse.* Et inferius rogat Patres Concilij vt sicut in illud vsque tempus in Ecclesia Dei ad ipsius laudem, & gloriam, ad purgationem criminum, bonorumque morum introductionem prædicatæ, & publicatæ fuerunt, sic non obstantibus quibusdam contradictoribus, & calumniatoribus, eas imposterum prædicari, publicari, & tenere liceret; Testatur etiam Card.

Henricus Rex Daciæ.

Turrecr.

Turrecrem. citat. cap. 1. Gregorium II. & postea Vrbanum VI. magna præmissa examinatione per grauissimos & diligentissimos Commissarios infra à nobis citandos *comperisse reuelationes omnes Sanctæ Brigittæ ad vtilitatem legentium seu audientium pro saluberrimo fidelium dogmate, in Sancta Ecclesia Dei in perpetuum cum deuotione & reuerentia studiosius esse obseruandas. Quamobrem*, inquit, *plures Principes & Nobiles Romam venientes, & alij suos Nuncios mittentes pro libris reuelationum habendis, quas postquam eos instanter petiuerant proprijs suis sumptibus cum exquisita diligentia scribi fecerunt, inter quos isti notabiliter erant infrascripti; Dominus Episcopus Normaciensis fecit vnum librum scribi Romæ, quem deportauit ad Imperatorem; Frater Petrus de Aragonia Ord. Frat. Minorum consanguineus Regis Franciæ. 2m in quē detulit Franciam Nuncius Reginæ Castellæ de Hispania. 3m Nuncius Reginæ Cypri. 4m Nuncius Reginæ Siciliæ 5m Nuncius studij Pragen. 6m Petrus de Burgundia Ord Minorū Theologus maximus. 7m Nuncius Cruciferorum de Perusia. 8m Romani, Ianuenses, Vuratislanienses, ac plurimæ aliæ Ciuitates & Regnorum Nobiles, libros istarum sanctarum reuelationum pro se scribi fecerunt Romæ.* Et Solitarius in Epistola præfatoria ad lib. 8. reuelationum cap.6. spondet se per 7. signa probaturum, *Visiones illas non solum à Deo infusas, verum & datas fuisse præfatæ Dominæ ad informationem & vtilitatem totius corporis Ecclesiæ, & directionem omnium Electorum.* quod, & doctè, & theologicè complet. Alia sunt aliorum grauium Virorum testimonia, quibus supersedendum breuitatis causa iudicaui.

Turrecrem.

Solitarius.

Quam indubitatæ sanctitatis & præclari meriti fuerit B. Brigitta.

§. IX.

22 TErtia Regula vt ratio habeatur personæ, cui fit reuelatio. Præclarissima sunt encomia multorum, & magnorum scriptorum, & grauissimorum Præsulum de B. Brigittæ inculpabili vita, & manifesta sanctitate. De ea refert Ludouicus Blosius magnæ pietatis vir, Christum illi dixisse; *Tu mihi sponsa eris, & te tanquam canali vtar per quod gratiam meam alijs communicabo, benefaciens illis videbis, & audies cælestia, & spiritualia secreta*, qui pluribus eius sanctitatem extollit. *Decus omnium fæminarum*, eam vocat Episcopus Giennensis. *Quæ* (inquit) *velut stella clarissima sanctitatis radios fulgentes diffudit per diuersa climata vasti orbis*. Cuius prodigiosa vitæ exordia, cursum laudabiliter transactum, cuniculum fæliciter consummatum, mortem omnibus desiderabilem,

Solitar. in Epist. ad Reges c. 1

 sancti-

ſanctimoniam omnibus ſpectabilem, in conuerſatione caſtimoniam, in cogitationibus puritatem, in actionibus humilitatem, in reuelationibus ſuſcipiendis diſcuſsionem, in ſequendis circumſpectionem, in publicandis ſanctam obedientiam, refert tam prædictus Epiſcopus, quam citatus Cardinalis, vterque in ſuis prologis ad eiuſdem Sanctæ reuelationes, & poſt hos Laurentius Surius ad diem 23. Menſis Iulij, & in vita B. Catharinæ eius filiæ ad 23. Martij. Quos ſi quis conſuluerit, & vitam eius abbreuiatam eiuſq; filiæ hiſtoriam, ad finem ſuarum reuelationum additas, perlegere placuerit, perſpiciet, & plane iudicabit, heroidem fuiſſe omnibus numeris abſolutam, ita vt nihil, quod ad generis ſplendorem, nec ad vitæ ſanctitatem conferat, in ea deſiderari poſſe cenſebit. Nec Tuæ Sanctitati velim rem hanc notiſsimam inculcare, aut in agnitæ ſanctitatis fæmina laudanda immorari, ſed ſolum adnotare à tuis prædeceſſoribus Bonif. IX. & Martino V. pro Sancta proclamatam, & ſolemniter canonizatam. Quod ſi de poteſtate, aut authoritate Bonifacij dubitare voluerit Caietanus ad offuſcandum tantæ fæminæ gloriam, reuocare non potuit in dubium eam legitime à Martino, albo ſanctorum aſcriptam, quippe pro indubitato Pontifice veneratus & habitus eſt, quod ſibi tacendum, & omnino ſupprimendum cenſuit Caietanus, ne quod voluit tribuere D. Catharinæ Senenſi; huic etiam teneretur concedere. ſed à Deo conſultum nobis iudicamus, quod acta proceſſus vitæ eiuſdem ac Martini canonizationis Bulla, quæ habetur in principio libri reuelationum, non omnino perierint, ne aut nos tam patulo priuaremur teſtimonio, aut præclara fæmina digna careret veneratione. Nil ergo vlterius examinandum in perſona aliqua vt propter illius ſanctimoniam, eius viſiones, & reuelationes approbentur, dum ſanctam eſſe prædicat, & pro ſancta canonizat Eccleſia.

Caietan. tract. de Concep. c.

Quam approbatæ & commendatæ fuerint à ſummis Viris reuelationes B. Brigittæ.

§. X.

23. Quoties examinata & approbata omnes illius reuelationes.

24. Ipſa ſe inuicem confirmant & approbant.

23 ACcedamus iam tandem ad quartam Regulam, ſub qua tot probatiſsimorum Virorum approbationes, & ſubſcriptiones de veritate reuelationum huius ſanctæ fæminæ ſubiungemus,

mus, vt nullus posſit eſſe proteruæ mentis, qui vel leuiter eas poſſit falſitatis inſimulare. Omnes quas habuit, ipſa teſte lib. 4. c. 78. & in regula Saluatoris, examinatæ ſunt à pluribus ſpiritualibus Viris, & ſigillatim prout eas recipiebat, diſcutiebantur à ſuis Patribus confeſſarijs quibus eas detegebat, quas illi factis non modicis experientijs, & diligentijs, quas Turrecr. c. 1. refert, adhibitis, iudicarunt à Spiritu Sancto prouenisse. Præterea publicè vt refert Solitarius citat. c. 6. primo in Regno Suetiæ diligenter examinatæ fuerunt per Prælatos ac Viros ſpirituales, & Magiſtros in Theologia, per quos determinatum fuit gratiam illam diuinam fuiſſe, & à Spiritu Sancto diuinitus conceſſam; vnde & Epiſcopi illius Regni ad Concilij Baſilien. Patres teſtati ſunt credi ab ipſis eas diuinitus Beatæ fœminæ oſtenſas fuiſſe.

Examinabantur hæ reuelationes ab eius confeſſarijs.

Publice examinatæ ſunt in Regno Suetiæ & approbatæ.

Secundo, in ciuitate Neapoli coram Archiepiſcopo tribus Magiſtris in Sacra Theologia, & alijs pluribus peritis Viris præſente hoc ipſo Domino Solitario; & ibidem denuo gratia iſta fuit approbata, imo inquit Epiſcopus, *Quædam reuelatio, quam tunc ipſa Domina Brigitta habuit, & eis præſentauit per vnum dictorum Magiſtrorum ex præcepto Dominæ Reginæ & Archiepiſcopi coram toto populo ciuitatis, ad hoc ſpecialiter vocato, fuit in Eccleſia Cathedrali publicata, & ſolemniter prædicata.*

In Neapolitano.

Tertio, vt habet Turrecrem. citatus, ipſâ poſtulante Romæ ab Archiepiſcopo Vſpalenſi, tribus Epiſcopis, Abbate quodam Religioſo, & Domino Alphonſo olim Epiſcopo Giennenſi, *Qui* (inquit, Cardinalis) *ſuper his matura deliberatione, & tractu habito eas non à deceptore ſpiritu, ſed à Spiritu Sancto, procedere concorditer concluſerunt.*

In Vrbe à quibuſdam Prælatis.

Quarto, anno Domini 1377. iam ipſâ defunctâ Gregorius I I. eas aſsignauit, & commiſit examinandas circumſpectiſsimis, & peritiſsimis Viris, Dominis Cardinalibus, & Magiſtris ſubſequentibus, videlicet Cardinali Montis Maioris, Cardinali de Agriſolio, & Cardinali de Luna, item Domino Martino de Salua V. I. D. & Archiepiſcopo Pampilonenſi, referendario Papæ, Magiſtro, Sac. Palatij, Ordin. Prædic. In Theologia etiam Magiſtro, Ioanni de Hiſpania Theologiæ item Magiſtro, qui fuit coram ipſo Gregorio, in Conſiſtorio generali præſente Collegio Cardinalium, & vniuerſo clero Curiæ Romanæ prima propoſitione ſuper canonizatione B. Brigittæ, ac Domino Alphonſo Epiſcopo quondam Giennenſi; *Quibus inſpectis* (inquit Turrecrem.) *& cum omni*

Iterum Romæ à Cardinalibus, & Theologis.

diligentia sæpius transcursis, attenteque intellectis, cum nihil in eis reperiri potuit reprobum, aut suspectum, aut orthodoxæ nostræ fidei dissonum vel aduersum, sed totum quidquid in eis continebatur Domini extitit veritate conspicuum, & sanctitate præclarum, plenum, perlucidum atque perfectum.

Per Vrbanum VI. Quinto, anno Dom. 1379. ab Vrbano VI. præcitati Gregorij immediato successore, iussæ fuerunt examinari, non quod inanem aut diminutam senserit discussionem illam à Gregorio factam, aut quæ fecerit, inania, aut irrita putauerit, sed, quia (vt inquit Turrecrem.) ex natura processus seu debitæ consecutionis Canonizationis, propter Commissarios, quibus ad integrum constare debuit, & decuit primordialiter de gestis & vita prænominatæ D. Brigittæ, rite sic exegit, vt fieret: *Commisit ergo eas*, (ait Turrecrem.) *valentissimis Viris, Magnis Mundi luminaribus Dominis & Magistris in Theologia Cardinali Corsiensi, Cardinali de Anglia, Cardinali de Vrsinis, Cardinali Ianuensi, & Cardinali de Manupelle. Item Episcopo Vibeuctano, qui fecit propositionem secundam de canonizatione huius Sanctæ coram Vrbano in Consistorio publico, Domino Ioanni de Lignario Excellentissimo V. I. D.* & alijs multis Theologis & Doctoribus, quos ibidem refert, & nominat citatus Turrecremata. *A quibus* (inquit) *compertæ sunt esse authenticè veritate plenæ, & à Dei spiritu veraciter edoctæ.*

Per Bonifacium IX. Sexto, Bonifacius IX. In Bulla, qua ipsam canonizauit, se alias probationes fecisse testatur easque veras esse comperisse, ac reuelationum multas effectu completos fuisse, ipse ibidem refert.

Eas approbauit Martinus V. Hoc idem ijsdem Bonifacij verbis, litteris suis insertis, testatur Martinus V. & eam indubitanter pro Sancta tenendam iudicauit.

Octauo, tandem in Concil. Basil. adhuc sub Eugenio IV. antequam ab eius obedientia omnino deflexerit examinatæ fuerunt ab ipso Turrecr. tunc Apostolici Palatij Magistro, alijsque Theologiæ Professoribus per ipsum Consilium ad hoc deputatis. Quam vero sententiam & approbationem dederit, quam bene senserit de eis, ipse Turrecrem. refert in fine sui Prologi; præclaræ fæminæ & reuelationibus eius per plura capita eiusdem Prologi, accommodans verba illa Iudith. 8. *Omnia, quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio;* Et c. 1. in fine illud 3. Regum. 17. *Verbum quidem Domini in ore tuo verum est.* *Iudith. 8.*

Publicas has veridicas & authenticas Approbationes sigillatim, & suo ordine retuli, omittens aliorum particularium, sed egregiorum Virorum testimonia de veritate harum reuelationum, quorum

rum quædam videre licet eisdem præfixà & in varijs notulis Gonsalui Duranti ad easdem. Cum ergo tantorum Pontificum, imo & Generalis Concilij, tunc legitimi Basilien. & Constantien. etiam (si credamus Antonio Cordubæ & Alphonso Mendozæ) authoritate hæ examinatæ fuerint & approbatæ, non parua caret temeritate, nec leui afficiendum est nota, quod Caietanus de his asserit, dum eas phantasias, figmenta, ac muliercularum deliria vocat, cuius verba vt temeraria, malè sonantia, alijsue adiectis censuris reijciunt plurimi qui post eum de hac materia scripserunt.

Cordub. l. 1. q. 44. & Mendoz. q. quod. S. Caietan. de Concept. c. 5.

24 Præter hanc tantorum Virorum approbationem, non inualida aut inermis mihi est illa, qua ipsæ hæ reuelationes se inuicem approbant. Nam vt Bonifacius IX. & Martinus V. in Bullis Canonizationis, & post illos Michaël de Medina, & Nicol. Sanderus, sibi supposuerunt tanquam argumentum non infirmum ad cæteras seu omnes Brigittianas pro certis, & veris, reputandas, scilicet, quasdam illarum euentu, vel effectu completas fuisse; ita similiter mihi ego persuadeo veritatem istarum visionum, seu toties reuelati Mysterij Conceptionis Immaculatæ. Nihil enim tam veracem, aut verum mortalium quenquam apud homines reddit, quam quæ alias prædixerit ipso successu videre comperta. Rectè certe Tertull. Apolog. aduer. Gen. cap. 20. ex veritate reuelationis deducit esse diuinam, & ex adimpletione quarundam, recte & certò probari dicit veritatem aliarum, quæ insimul vel etiam eidem personæ factæ sunt. *Idoneum* (inquit) *opinor testimonium diuinitatis, veritas diuinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum, quia cum illis quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eædem voces sonant, eædem litteræ notant, idem spiritus pulsat.* Hac ipsa tanquam fortissima ratione vsus est Augustinus ad probandum futurum diem iudicij. Postquam etenim alia plura, quæ reuelata ac prophetata, & opere impleta sunt recensuit, addidit; *Sic & dies iudicij nondum est, sed quia prædictus est, implebitur. An fieri potest, vt qui in tantis verax apparuit de die iudicij mendax sit?* Non dissimiliter dicam, si eodem modo inferam, hanc de qua dubitandum voluerunt Aduersarij, reuelationem veram esse. Nam quæ in alijs tot rebus prophetatis & reuelatis ipsarum euentu vera apparuit, nunquid in reuelato & prædicato exc^mo^. de Maria Virgine encomio mendax erit? Quæ in alijs reuelationibus verè, & sanctè profata est & prophetauit; Nunquid solum in ista falsò loquuta est, vel turpiter decepta, aut callide

Ipsæ se inuicem confirmant.

Med. l. 2. de rect. in Deum fid. c. 2. Sander. l. 6. visib. Monarc. n. 1046.

August. serm. 31. c. 4. t. 10.

callide voluit decipere? Rerum non paucarum aut inanium, quæ ab ipsa prophetatæ, & reuelatæ successerunt, vel euenerunt testis est vniuersus ferme orbis, ac præcipue sacrum illud Monasterium VVasthenen. quod acceptis à Christo institutis salubriter ac prudenter fundauerat. Conquirant ergo & vendicent illa monumentis obseruata, & successibus confirmata, vel huic vni reuelationi apud Aduersarios debitam credulitatem & fidem.

Quænam admittenda sit pro vera reuelatione, an illa D. Catharinæ Senen. an ista B. Brigittæ viduæ?

§. XI.

25 CVm tot modis, rationibus, & grauissimorum Virorum calculo approbata sit hæc reuelatio, nescio vnde scrupulus de ea admittenda. Quasi minus sanam forsitan aut parum Catholicam, vel timide vel religiosè reijciunt, quam tot egregij Doctores, & Prælati fidei iudices, & Summi Pontifices libentissime admiserunt: sed hinc illa religiositas, hinc illa circumspectio in hac reuelatione admittenda, quod alteri contradicat, à Beata Catharina Senensi prolatæ. Hic iam totius difficultatis punctus, hæc controuersiæ meta, vt videatur, & exactè dignoscatur an propter hanc illæ, quas retulimus, vel propter illas hæc sit reprobanda? Dum de contraria reuelatione ageretur, reuelatumque opponeretur Mariam Virginem in peccato conceptam, satis ego intellexi, & faciliter suspicatus sum, non alij, hanc factam fuisse reuelationem, quam alicui Aduersariorum discipulo vel sequaci. Mirum est, & ponderandum iudico, quòd extra hanc religionem, nec à pluribus hæc admittatur opinio, nec Sanctis alijs quibuscunque hæc fiat reuelatio. Altera pars indiscriminatim, & sine vlla suspitione falsitatis aut fictionis plerisque facta est tam Franciscani instituti, quam aliorum Ordinum, & communis vitæ Viris. Soli fœminæ Dominicanę contrarium superne dicitur reuelatum. Quis non videat ipsam se in hac re ingerere supposititiæ ac fictæ reuelationis suspitionem?

Quod Aduersarij de B. Catharina obijciunt, reuelationem non esse:

§. XII.

26 Nullus ex D. Catharina coæuis huius reuelationis meminit.

27 Nec illa cuiquam eam aperuit.

28 Oratio potius, quam reuelatio dicenda est.

29 Volunt Aduersarij illa verba in extasi fuisse prolata.

30. Nec

30 Nec exinde sequitur fuisse reuelata.

31 Illa, ex propria sententia, à suis Magistris edocta, protulit.

26 NEutiquam credunt cordati Viri, nec credendum putant, humillimam hanc, & sanctissimam fœminam, aliquando illam aperuisse, aut pro reuelatione venditasse confessario suo, aut alijs spiritualibus viris, quibus cæteras sibi cœlitus factas expandebat, & proponebat examinandas. Vnde nec vllum inuenire, aut videre licuit illorum sibi coæuorum, aut eorum, qui eius curam egerant, tam in religioso regimine, quam in confessionibus audiendis, qui vel verbum de huiusmodi fecerit reuelatione; qui tamen in vita eius describenda minutissimas res obseruarunt, nec vllum sanctæ fœminæ, aut deuotionis eius actum videntur prætermisisse, B. certè Raymundus Capuanus eius facta gestaque diffusius conscripsit: eiusdem vitam historiamque largè contexuêre Frater Thomas Senen. & Frater Steph. Cartusien. è quibus eam decerpsit Surius, apposuitque ad 29. Aprilis, & nihil huiusmodi in ea meminerunt. Reuelationes eius diligentissimè collegerunt prædictus Stephanus, dum eius esset amanuensis & alij; hanc vero non ad inuenerunt. Credendumne est hanc solam eis elapsam, hanc vnicam neglexisse, hanc quam modo tanti faciunt Aduersarij, vel tunc occultasse, vel pænitus ignorasse; erit qui dubitet, sollicite tunc publicaturos, & diligenter prædicaturos, si quid tale vel leuiter insinuatum ab ipsa sanctissima fœmina percepissent? *Nullus ex D. Catharinæ coæuis huius reuelationis meminit.*

27 In vnum conuenêre, in vno sæculo floruêre B. Brigitta, & hæc gloriosa Catharina, licet illi hæc aliquantisper superuixerit. Dum hæc Romæ degeret, familiaresque se ei præberent Gregor. II. & Vrban. VI. per hos ipsos Pontifices discutiebantur, & strictis adhibitis examinibus, quæ supra retulimus, agebatur in Vrbe de veritate, & certitudine reuelationum B. Brigittæ, quas publicis & irrefragabilibus testimonijs iudicarunt pro veris, Catholicis, & sanis tenendas & legendas. Credendumne erit, dum inter illas toties dicitur reuelatum, Mariam Virginem à peccato originali fuisse præseruatam, quod pro sua sententia gloriosè iactabant Immaculatæ Conceptionis defensores, quorum quosdam supra retulimus, eas publicè Romæ transcribi fecisse, tacituram hanc præclaram Virginem, quin humiliter vel secreto Sanctissimis Pontificibus exponeret contrarium sibi à Domino reuelatum, ne falsitatem pro veritate approbarent, vel sub specie verarum reuelationum, erroneum *Nec illa cuiquam eam aperuit.*

neum quid, aut falſa hominum figmenta, vel mulierum delyria pro ſana, & Catholica doctrina iudicarent admittenda. Per totum eius vitæ tempus continuis annis, & ſuccedentibus ſibi Pontificibus, ſemper rigorosè & diligenter de his Brigittianis actum eſt reuelationibus. Si hæc, quam Aduerſarij prætendunt illi factam fuiſſe, non euenerit præfatorum Pontificum tempore (per quod ad hanc obiectionem reſponderi potuit) nunquam per contrariarum diſcuſsiones publicas, & diſquiſitiones notorias, vel iam factas, vel quæ actualiter fiebant, ei defuit occaſio & cauſa (quod ſub graui conſcientiæ reatu tenebatur) eam vel Pontifici communicandi, vel hominibus peritis detegendi, aut ſuis Fratribus inculcandi. Nihil illa ſecundum Sanctorum conſuetudinem, & Sanctarum fœminarum, quæ ſibi de ſpiritu illuſore in huiuſmodi viſionibus & doctrina reuelata, prudenter timent, prætermiſit vel admiſit, quin ſtatim illud ſtricto examini ſui confeſſarij ſubijceret, nihil non ſuis Fratribus expandit. At ſi expandiſſet mirum eſſet, *Imo, & miraculum* (inquit Ambroſius Catharinus) *quod illi rem hanc prætermiſiſſent ad fulciendam opinionem ſuam; qui & quæ ſunt, & quæ non ſunt, vndique excauarunt, & collegerunt ad hoc ipſum:* ſed nec illi qui B. Catharinæ fuerunt familiares, nec qui cum ea vixerunt, nec qui ei ſucceſſerunt vſque ad B. Antonini tempus talem nobis reuelationem obiecère, aut Eccleſiæ Magiſtris propoſuerunt, vt Brigittianas non reciperent; ſicut modo nouiores & tanto tempore B. Catharinæ poſteriores inſudant & laborant, vt propter illam contrariæ non admittantur.

Cathar. lib. 1. de Concep. Virg. in expugnati vlt. articuli.

28 Iudicandum ſanè vel credendum, illos tempori B. Catharinæ viciniores, æquius, rectius, & ſine paſsione liberius iudicaſſe; verba ſanctiſsimæ fœminæ, ſuperius citata, non pro doctrina à Deo reuelata, ſed pro ſermocinatione ſimpliciter in oratione, ſecundum quod à ſuis audierat, prolata, indubitanter habenda. Præterquam enim quod plures habeantur huius aſſertionis vel iudicij fautores ſtatim referendi, illud non inane ſubeſt fundamentum, verba illa non inueniri inter reuelationes eiuſdem, quarum ſeparatim per ſe extat libellus, ſed ſolum inter orationes ſeponi, numero (vt dixi) ſextamdecimam.

Oratio potius quam reuelatio dicenda illa verba.

29 At ſi voluerint partis aduerſæ ſectatores obijcere orationes illas in extaſi, & raptu recitatas, aut factas, vnde & ab intellectu Deo coniuncto, & in veritatis abyſmo abſorpto, efformatas, & hinc

Volunt Aduerſarij hæc verba in extaſi fuiſſe prolata.

hinc pro omnino veris, aut reuelatis habendas, ſicut inter eos de hoc haberi dicitur traditio; plus æquo audacter hoc non negabo, nec dum de contrario mihi non conſtiterit, aliquid irreuerenter effundam, quod cæleſtibus, & inauditis tantæ Virginis detrahat gratijs, & ſingularibus obſiſtat priuilegijs.

Non exinde ſequitur fuiſſe reuelata.

30 Nec tamen ex eo quod hanc concedam vel in raptu prolatã, vel in extaſi recitatam (quod, & indicare videtur Surius dum ait, Stephanum eius amanuenſem, poſtea Carthuſiæ Ticinen. priorem, librum operum huius præclaræ Virginis biennio ante eius mortẽ, ex eius ore accepiſſe, cum mens illius extaſim pateretur) hinc ſtatim compellar, vt reuelatam admittere, dum non in omni, ſed ſolum in vehementiſsima extaſi (vt mihi author eſt Diuus Thomas) ita intellectus Deo adhæreat, vt nequaquam circa alia ſpeculari, & verſari poſsit, aut operari. Vnde ſolum in Dei viſione per eſſentiam, quæ eſt vehementiſsimus intellectus actus in extaſi, vt idem habet author, oportet, vt omnimoda fiat abſtractio à ſenſibus, in cæteris autem ad exteriora quantumlibet poteſt aduertere, & externos actus dirigere.

D.Tho. in diſput. q.13. de rapt. art.3 ad 3.

Illa, ex propria ſententia, à ſuis Magiſtris edocta, protulit.

31 Potuit ergo (ſi demus hanc orationem ſeu collocutionem in extaſi factam) glorioſa illa Virgo, quamuis aliquantum in Deum eleuata, interius de doctrina ſibi à ſuis Magiſtris indita, & illis communi, cogitare, & eam exterius proferre. Speculatiue vero in hoc erraſſe, non erat impoſsibile dum ſolum aut communiter cum ijs agebat, quibus hæc opinio valde placebat. quod nec illius detrahit Sanctitati, aut veris eius reuelationibus debitam ſubtrahit fidem. Ipſe mihi Antoninus exemplum dedit & modum, ita peregrinas & duræ fidei reuelationes, quæ à communi diſcedunt doctrina, explicandi. Cum etenim ageret de reuelatione quadam facta B. Elizabethæ Hungariæ præclariſsimæ Principi, & quam Gregorius IX. Sanctis adnumerauit; qua quidam volebant, illi cælitus dictum fuiſſe Virginis ſanctiſsimæ corpus poſt eius mortem per quadraginta dies in terra remanſiſſe, idque præclaro viro, & in Virginem propenſo durius videretur, & magis nouum, quam quod contra multorum Doctorum ſententiam de celeriori virginei corporis Aſſumptione fidem meretur, adiunxit; *Nec propterea detrahimus ſanctitati eius, quia non ſemper quæ Sancti viderunt in ſpiritu, eadem vt Prophetæ viderunt, ſed iuxta ſuas mente conceptas imaginationes.* Non ergo iniurij erimus nos in hanc præclaram Virginem,

Anton.3. p.tit.19. c.11. in fin.

Hh nec

nec eius detrahemus Sanctitati si similiter dciamus eam protulisse simpliciter in oratione opinionem suam, quam cum sui Ordinis viris omnino veram, & certam humanis tantum rationibus, & persuasionibus inducta putabat. Potuit facile hac in re, qua de Theologica quæstione naturali, non diuino lumine præeunte, disserebat, errare, quod humanum est. Quod ita accidisse communiter iudicant multi ex his, qui data opera de his eius verbis pertractant.

In oratione autem seu collocutione illam ex propria sententia verba illa effudisse, non cælestem reuelationem habuisse, sententia est multorum Sacræ Theologiæ Doctorum, Martini del Rio Iesuitæ lib. 4. mag. disquis. q. 1. sect. 4. ad finem. Ambros. Catharini Dominic. supra citati. Aegidij Lusit. Augustiniani lib. 3. de præseru. B. Virg. q. 6. art. 4. §. 2. n. 14. Ioannis Baptistæ Cecanæ Carmelitani in suo Apologet. pro immaculata Conceptione c. 10. Antonij Corduben. Franciscani lib. 1. quæst. Theolog. q. 44. §. etiam quod ibidem, vers. vel fortè, & aliorum.

Quam leui innitatur fundamento hæc prætensa reuelatio.

§. XIII.

32 Tota huius reuelationis fides refertur in D. Antoninum, dubiæ authoritatis historicum.

33 Hanc reuelationem tanquam confictam quidam reijciunt.

34 Voluerunt quidã per adiecta verba ei fidem conciliare.

Tota huius reuelationis veritas refertur in D. Antoninum.

32 SEd nec collocutionem aut orationem istam Sanctę Catharinæ tribuendam esse volunt alij, dum alio non conuincantur fundamento vel ratione, quam quod Caietanus, & alij perpauci eiusdem sodalitij homines, id retulerint ex Diuo Antonino, qui solus & primus reuelationem hanc, nescio à quibus accepit, vel quibus ex angulis aut schedulis eruit, & post scriptam Diuæ Catharinæ vitam offendit, siue adinuenit. Omne ergo testimonium, & si quod est huius orationis credendæ fundamentum ad Antoninum est reducendum, cum hi alij qui hanc ex eo nobis obiectant, nullum aliud suppeditent; nec aliam mereantur relatores alienæ historię fidem, quã quæ illi, qui eam primus concinnauit, & quem posteriores citant, debetur. Quanta vero in hac, vel in alijs historijs tribuenda sit huic sancto historiographo, scire possumus ex tertia

ex tertia illarum regularum, quas statuit Melchior Canus quibus historici cuiusque fides, ac veritas exploretur. Illa autem hæc est; *Quod qui solo auditu vel per opiniones scribunt, nec tanquam primati recipiendi sunt, nisi vbi à publica fide non dissentiunt.* Quantum autem in multis præcipue in hoc à publica, & communi fide dissentiat Antoninus plerique scriptis signarunt. Illum vero solo auditu, vel per opiniones & leuiusculis ex fundamentis, coniecturisque multa scripsisse, seu historiam suam contexuisse, ipse idem testis est Cano, qui libere de eodem & Vincentio Bellouacen. hanc dedit censuram. *De Vincentio Bellouacensi & Diuo Antonino liberius iudico, quorum vterque non tam dedit operam, vt res veras certasque describeret, quam ne nihil omnino preteriret, quod scriptum in schedulis, quibuslibet reperiretur. Ita ad historiam vnamquamque existimandam, momentoque vno ponderandam, non artificum statera, sed ne populari quidem trutina vsi sunt. Quamobrem boni licet ac minime fallaces Viri, quia tamen, nec authores eos, à quibus suos scripsere libros, diligenter examinarunt; nec res iustis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud Criticos graues, atque seueros, authoritate carent. Historicus autem, qui Theologiæ Decreto probandus erit, nec omnes schedas lectione etiam indignas excutiet, nec anilibus fabulis accommodabit operam, nec prius lecta auditaque describet, quam ea prudenti accuratoque iudicio expendat, ac seligat.* Similiter fermè, de Antonini opere historico testatus est Antonius Posseuinus in suo appar. dum dixit; *Antoninus non pauca corriuauerat in suos labores, quæ sine dubio si apud nos viueret modo, elimaret, & cum in cælis beatissima luce fruatur, haud dubium quin percupiat sua recognosci, & puriora, quam olim erant, tractari.* Qui & plura de eius incuria de seligendis & examinandis authoribus adnotauit. Aliud subnecto de controuersa, & subiecta materia Antonij Corduben. iudicium, quo quantum Antoninus aliorum rumoribus & fabulis deferebat, quod in eo Canus carpebat, facile videatur; *Dominus* (inquit) *Florentinus in suo historiali, dum eius* (*videlicet Diuæ Catharinæ*) *vitam perstringit, nihil eius rei meminit, nisi quod in vita Sanctæ Brigittæ, id quod ferebatur à Fratribus suis Dominicanis de Beata Catharina opposuit, contra illam reuelationem Sanctæ Brigittæ: nihil tamen producens certum, nisi rumorem quorundam qui id confinxerunt.* Grauiores in tanti Viri historia errores & leuiorem, quam deceret, discussionem adnotauit Petrus Maturus Gallus in Epistola dedicatoria ad Magistrum Generalem Prædicatorum, & notis ad Sancti Doctoris opus. Nolim ego ex his

Cano l. 11. de locis cap. 6. parum post princ.

Idem ibidem paulo ante finem § lex vero secunda.

Anton. Posseuin. in appar.

Cordub. citat.

tantorum hominum testimonijs inferre, Antoninum quippe Sanctum, quippiam in hac re finxisse, vel imponendi libidine scripsisse. Eo tamen asserere licet vitio laborasse, quod in historiographo magnum sanè est, quod plus æquo, quorundam rumoribus deferebat, & res plurimas sine delectu, & seueriori examine, hinc inde ex quibusdam authoribus, qui non ita accuratè veriores historias delibauerant, collegerit, & ex schedis & chartis lectione indignis multa accumularit.

Hanc reuelationem tanquam confictam quidam reijciunt.

33 In hunc ergo adeo dubiæ authoritatis (Cano ipso Dominicano iudicante) Historicum, tota reuelationis prætensæ authoritas & fides resoluitur. Quare nec tantopere admirer graues & doctos esse Viros qui prætensam hanc reuelationem nullo graui authore vel firmo assertore dignam, nullo solido fundamento stabilitam, aut ratione commendatam pænitus & libere reijciant, ac falsò confictam, excogitatamque dicant ab aliquibus maculatæ Conceptionis fautoribus, vt contrariarum reuelationum minuerent authoritatem, & reuelationem haberent, quam reuelationi opponerent. Ita præter alios Franciscus Suarez tom. 2. in 3. partem disputat. 3. sess. prima §. tertio augetur, Gabriel Vasquez tom. 2. in eandem partem disputatione 117. cap. 5. num. 80. Aegidius Lusit. supra citatus. Iacobus Granado disputat. 3. de essentia peccati, & iustit. orig. cap. 13. in fine. Antonius Cordubensis citatus, qui varios attingit modos hanc reuelationem refellendi, idemque habet supracitatus Ambrosius Catharinus dicens, se vidisse varios codices, variè super hac re se habentes; *Quare* (inquit) *mihi merito incessit suspicio quod zelator quidam paternarum traditionum caudam illam orationis, male superioribus cohærentem, & variè etiam in varijs libris se habentem, (si rectè memini) contulisse de suo. Quod & indicat friuolæ illius, & satis iam confutatæ rationis* (de qua & nos statim) *adiectio. Credo enim vt haberent nostri, quod contra Beatæ Brigittæ reuelationes afferrent, vt eas saltem hac via obscurarent, interim eiusmodi confictè opposuerunt, & vt proprium est famæ, quæ semper vires acquirit eundo, addiderunt. Quod tamen nusquam legitur ex eius ore testatum quod ipsa similiter habuit ex reuelatione; quibus parcat Deus.* Hæc ait Ambrosius Catharinus, hocque eius iudicium de illa orationis calce; *Tu scis Domine, quia ista est veritas*, quam per illud verbum subiunxit adglutinarunt cæteræ orationis parti.

Franc. Suarez. Gabriel Vasquez. Aegid. Lusit. Iacob. Gran. Anton. Cordub. Ambros. Cathar.

34 His

34 His vltimis verbis voluerunt fidem veritatis reuelatæ comparare eis, quæ Sanctam Virginem in oratione dixisse prætendunt. Nihil verò minus obtinuerunt, dum è contrario his superadditis, & orationi fidem subtrahant, & fictæ suspicionem ingerant. Quis enim vidit aliquando ita finiri orationem quampiam? Nec certè inter eas, quæ illius Beatæ Virginis circumferuntur aliquam ita terminare testantur, qui eas percurrerunt, nec per similia verba solet veritas doctrinæ reuelatæ declarari. Etenim qui alicuius Mysterij reuelationem accipit; ita de veritate rei reuelatæ diuino testimonio interne certificatur (vt rectè aduertit citatus Aegidius) vt non pendeat ab extrinseco Diuinæ scientiæ testimonio, vt illud ad confirmandam veritatem eius rei, de qua loquitur, imploret. Et lepidè sanè nec immerito, grauissimus & doctissimus quidam Præsul, de his verbis dixit (quod & post apud citatum Catharinum offendi) tantum abesse vt per illa videretur hæc doctrina à Domino Deo huic Sanctæ reuelata, vt potius illa videretur eam Domino reuelare, & vellet hoc eidem persuadere. Hoc tantorum hominum de hac re iudicium. *Voluerunt quidam, sed inaniter, per addita verba ei fidem conciliare.*

Quantum discrepet hæc reuelatio à prima regula veræ releuationis.

§. XIV.

35 Obiectam reuelationem non commendat Scriptura. *36 Non sufficit pro illa adducere loca vniuersalia vt dicatur Script. conformis.*

35 SEd adhuc contendentibus, & insistentibus Aduersarijs reuelationem esse; vel pro reuelatione orationem hanc habendam, videamus an cum illis Brigittianis sit comparanda, an propter illam hæ venerabilis Viduæ sint reijciendæ? Percurramus breuiter singulas illas reuelationum admittendarum regulas, quas largiùs ostendimus contrarijs conuenire. Quæ hujus (vt à prima incipiamus) cum Sacra Scriptura conformitas? dum iam ostendimus, contrariam locis Sacræ Scripturæ specialiter de Beata Virgine intellectis cohærere? Et si Oecumenicum Concilium Tridentinum vel Spiritus Sanctus per illius Concilij Patres noluerit eam sub regulis cõmunibus, de peccato originali statutis, comprehendere; quis audebit deinceps dicere eam sub ijsdem contineri? Non sufficit vt dicamus hanc reuelationem Scripturæ esse conformem, quod asignentur loci vniuersales, in quibus *Obiectam reuelationem non commendat Scriptura.*

 omnes

omnes peccatum dicantur originale contraxisse. Necesse est, vt etiam non contradicat alijs particularibus locis, in quibus vel litteraliter vel mysticè, sed secundum multorum Patrum, & Doctorum expositionem, Virgo prædicatur ab eodem præseruata.

Non sufficit pro illa adducere loca illa vniuersalia.

36 Genuina est illa explicatio Scripturæ authoritatis quæ alijs eiusdem locis non contrarietur. Non est ille verus modus Sacram Scripturam explicandi, ità nudè & dure dictum aliquod aut sententiam explicare, eiusque litterali sensui ità ieiune inhærere, vt nulla habeatur ratio cæteræ partis eiusdem Sacræ Paginæ, siue bene cohæreat cum ista expositione, siue manifeste illi contradicat. Vtrumque locum subtili, & docta explicatione concordare necesse est, ne dum nostris explicationibus tenaciter insistimus, in Sacra Scriptura contrarietatem, aut mendacium fateri cogamur. *Errant certè homines* (inquit doctissime Augustinus) *non seruantes in hac re modum, & cum in vnam partem procliuiter ire cœperint non respiciunt diuinæ authoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione reuocari, & in ea quæ ex vtriusque temperata est veritate, ac moderatione consistere.* In explicatione locorum generalium de contractione communi peccati originalis loquentium, non est ità procliuiter in vnam partem abeundem, vt non respiciantur alia diuinæ authoritatis testimonia: sed necessario ex istis, & particularibus illis de Virgine intellectis, quæ supra proposuimus, alijsque, quæ omisimus, (sed Doctores de eadem intelligunt) temperata ac moderata veritas est haurienda, ità vt illa de debito affirmatiue, hæc verò de contractione actuali negatiuè explicentur. Qua ratione, & quæ contraria videbantur conciliantur, & tanto Virginis honori, secundum ipsius Scripturæ sensum, optimè cauetur. At qui reuelationem hanc solum cum illis generalibus regulare voluerit, nec alia loca conciliat, nec se Scripturæ, vel saltim Concilij Patribus conformare videtur, dum iam sub illis (vt dixi) noluerint Virginem Mariam comprehendere.

August. li. de fide & oper. cap. 3. tom.4.

Quod si proteruierit, & durius institerit in dicendo Sacræ Scripturæ esse hanc reuelationem conformem, laboret quantum potuerit, & ad sudorem vsque, si placuerit, decertet, apud cordatos nostri sæculi Viros, Scripturæ interpretes, Theologiæ peritos, qui liuore aut passione non ducantur, oleum certe perdet, & operam. Putet demum se aliquid in hac re assequutum nunquid conformem dicet hanc reuelatiouem traditioni aut institutioni Ecclesia-

sticæ

ſticæ quas manifeſtè, & certo videt, & fatebitur ex dictis, & ipſius Eccleſiæ declaratione aut cultu tendere in contrarium?

Quantum aberret à ſecunda regula.

§. XV.

37 QVantum deuiet à ſecunda Regula iudicabunt omnes, qui nouerint aut iam audierint, quot excitauit tumultus, & ſcandala in diuerſis Regnis contraria opinio. Vnde reuelatio, quæ hanc commendat doctrinam, nullam vtilitatem ſpiritualem Eccleſiæ poteſt conferre, aut conducere fidelium deuotioni. Quæ turbulentos motus toties excitauit in Gallia, quæ tot lites generauit in Hiſpania, quæ tot diſsidia ſeminauit in Aragonia, quæ in ſui commendationem horrenda excogitauit ſacrilegia in Heluetia, quæ odium, & inimicitias inter multos peperit in Italia, quæ religiones arctiſsimo conſtrictas amoris vinculo diſſociauit, quæ publico, & notorio per orbem ſcandalo, compulit te Dei Vicarium, vt eam ab Eccleſiæ pulpitis, Academiarum cathedris relegares; an hanc opinionem vel de hac opinione reuelationem putabimus aliquam ſecum Eccleſiæ allaturam vtilitatem, propter quam debeat admitti? Quæ populos horrore concutit, aures perterrit, nunquid eorum inſeruiet ſpirituali ædificationi, aut iam firmiter fundatam deuotionem accendet? Quæ nihil modo habet roboris, aut vnde fermè commendetur vel firmiorem ſui ipſius fidem nobis faciat, quam ex eo ſolum quod in ſecreto permittatur defendi, & eius voluerit fautoribus Tua Beatitudo prudenter conniuere, vt maiorum malorum euitenter incommoda; cuius erit vtilitatis, Pater Sanctiſsime, *aut quale hoc bonum erit* (orare te liceat Tertulliani verbis) *quod mali comparatio commendat?* Propter maiora mala hoc bonum eſt; ad illa euitanda, hæc ſententia permittitur. *Poſſum dicere, quod permittitur non eſt bonum. Quod permittitur ſuſpectam habet ſuæ permiſſionis cauſam.* Demus ergo doctrinam hanc, aut reuelationem, eandem doctrinam continentem, vel bonam non eſſe, vel ſi tanquam bona permittitur, talem iudicari, maioris mali comparatione.

Tertull. lib. 1. ad Vxor. c. 3.

Ex tertia Regula infertur reuelationem non esse.

§. XVI.

38 CIrca tertiam regulam nihil velim dictum de persona, cuius reuelatio hæc esse asseritur, nisi præclarum, & magnum, exindeque negandum iudico hanc eius fuisse, vel eidem desuper à Domino factam. Cum etenim præclarissima fuerit inter fœminas Catharina, inter tertiarias sanctissima, inter Virgines notissima, inter Prophetissas laudatissima, inconsultum duxerim, & non sine magna eius iniuria hanc illi reuelationem adscribere. Aliter occasionem hinc sibi assument plerique, imo & assumpserunt, vt de qua aliunde nihil non laude dignum, & nihil non excellentissimum dici queat, asseratur eam in hac re deceptam fuisse, & ab Angelo impostore delusam. Cum etenim duas viderint inter se contrarias reuelationes, & illas in fauorem immaculatæ Conceptionis ab Ecclesia approbatas, reprobare non possint, necesse erit, vt hanc vel reuelationem esse negent (vt satius dicendum diximus supra) vel si reuelationem esse contendatur, firmiter asserant, quod in illa fuerit B. Catharina omnino decepta. Quod certè non poterit dici sine magno tantæ Virginis honoris dispendio, & fidei, veris ipsius reuelationibus debitæ, non parua iactura. Præclara certè Virgo, reuelatio vero vel dubia, vel falsa.

Petrus Celoyherius l. 4 de spectr. & alij.

Ex quarta Regula veræ reuelationis hæc venit reijcienda.

§. XVII.

39 Nulla est legitima huius reuelationis approbatio.
40 Nec aliunde est cælitus confirmata.
41 Periculosum est Brigittianas reprobare.

39 SVb quarta regula satis laboraui, & inuestigaui vt aliquem offenderem vel inuenirem, qui vel modice hanc mihi approbaret reuelationem. Solos ex Aduersarijs quosdam inueni, eosque paucos, non qui eam approbauerint aliquo adhibito vel præmisso examine, sed qui simpliciter eam referant, & alteri contentiose opponant. Nulla publica facta est huius, qua tantundem opus habet, per tot annos discussio, aut publicum examen per quod cogeremur ei fidem quantumcunque infirmam adhibere? Nullus eam Pontifex, nullum Concilium, nullum graue tribunal examinandam doctis commisit Viris, quorum sententia pro vera iudicaretur? Nec vidi, nec sensi: Nullum miraculum vel cæleste euenit

Nulla est legitima huius reuelationis approbatio.

euenit prodigium, quo cælitus confirmaretur? Nullum, quantumuis contrariæ tam patentibus, & veris sint obsignatæ, & re validatæ prodigijs.

40 At ego ab ipso Caietano, magno huius reuelationis præcone accepi nullam admittendam esse reuelationẽ grauem circa rem aliquam toti Ecclesię communem, vel in ea vniuersaliter prędicandã, nisi speciali Scripturę testimonio, vel aliquo miraculo confirmetur. Sed nec specialis Scripturæ locus, qui specialiter de Maria (ab humanis fæcibus, & culpis semper excipienda) intelligatur, hanc prętensam reuelationem confirmat, nec miraculo aliquo cælitus est comprobata. Cum igitur nulla est, vel cælestis, vel humana, grauis approbatio, quis eam approbatis audeat præferre, aut dicere, propter illã, alias contrarias, quæ toties approbatæ sunt, esse respuendas? Pro illa B. Catharinæ nec singulare aliquod hominis cuiuspiam sinceri, aut candidi à suspicione liberi circumfertur testimonium, quo eam vel leuiter approbet. Pro his alijs, est præter iam recitatas, totius Ecclesiæ approbatio, & communis omnium consensus, ita vt iuste & grauiter sit reprehendendus qui illas velit irreligiose reprobare.

Caiet. in 2.2.q.184 art.6. §.ad huius. *Nec abunde & cælitus confirmata.*

Hinc ergo manifestum est, singularem hanc, & suspectam reijciendam esse, & illas B. Brigittæ, & quæ cum illis cohærent esse admittendas. Quod dum fiat, nullus est error timendus, nullum erit errandi periculum, quod longe abesse ait Augustinus; *Cum hoc facimus quod vniuersa iam placuit Ecclesiæ.*

August. l.4. contr. Crescon. Gramat. c. vlt:

41 Illis non sine fundamento & exemplo dixerim imminere periculum qui eas reprobandas vel condemnandas esse contendunt. Quanto suo malo eas quidam ex Aduersarijs contempserint, qui scire voluerit, legat octauum & vltimum miraculum, quod refertur in fine vitæ abbreuiatæ B. Brigittæ ad calcem suarum reuelationũ, & vitam eius à Surio relatam. Circa alios plura & magna referuntur in vita eius præcitata, & lib. 6. Reuelat. c. 9. & 92. Diuinæ vltionis miracula, & non contemnenda cælestis animaduersionis signa in eos qui has reuelationes ita facile floccipenderant. Vnde non inepte sed sanè, consuluit Episcopus Giennen. c.6. sui Prologi ad finem; *Vt circa has reuelationes cedat temeritas suspicionis fallacis spiritus, ac detractio superba, & inuidia stulti iudicij, & detur locus gloriæ, & gratiæ Dei, quæ tanto maior esse dignoscitur, quanto ignorantiæ & modicæ fidei nostræ videbitur incredibilior.*

Periculosum Brigittianas reprobare reuelationes.

Apostro-

Apoſtrophe ad Sanct^mum Dominum.

42 TV ergo Pater Beatiſsime æquum in his, ſicut in omnibus, te nobis præbe iudicem, iuſtum à te expectamus pro B. Brigitta iudicium, & debitum deprecamur exhiberi Dei Genitrici fauorem. Iam vidiſti firma illarum reuelationum vt admittantur fundamenta; debilem, & confictam vides alterius oppoſitæ adinuentionem. Eorum, ipſum in eos contorque argumentum, non eſſe videlicet admittendas, nec introducendas in Eccleſiam contrarias reuelationes. Hinc vel maxime prætenſam hanc Catharinæ Senen. potes repellere, eoſque arguere quod non timuerint illã ſuperinducere probatiſsimis illis Brigittæ reuelationibus. Antequam illi tale quid ſomniauerint, iam illæ per vniuerſam Eccleſiã longe lateque pro approbatis, & veris lectæ & receptæ erant: ſi ergo grande illi piaculum iuſtè ducant, & dicant, contrarias dari in Eccleſia Dei reuelationes: vt quid illi ipſi auſi ſunt, vel religioſe non timuerunt antiquioribus approbatis, & commendatis D. Brigittæ, illam prætenſam Catharinæ Senen. ſuperinducere, & omnino oppoſitam cominùs publicare? Si aliqua eſt in hac re culpa, illorum eſt, qui contrarietatem hanc ſuperintroduxerunt. Pacatiſsime, & religioſa certitudine (non illa, quæ fidei articulis, vel declaratis myſterijs debetur, ſed certitudine quadam morali, & prudentiæ, quæ particularibus huiuſmodi reuelationibus conceditur) iam pro reuelato habuimus in Eccleſia Virginem fuiſſe ſine peccato originali conceptam, donec illi contrariam ſuam oppoſuerunt, vt hoc fundamentum negatiuę ſententiæ à reuelationibus petitum, vel infringerent vel labefactarent; quod tamen minime obtinuerunt. Nam, & reuelationes hæ, præcipuè Brigittianæ quo magis ab illis in dubium vocantur, eo maiorem aſſequuntur authoritatem, & fidem; dum ex contradictione, & moleſtia Aduerſariorum, occaſionem ſumunt grauiſsimi Viri eas validius defendendi, & firmius comprobandi. Firmiter hucuſque perſeuerat, & fortius quotidie inualeſcit fides reuelationum, & doctrinæ huius in illis reuelatæ, ita vt iam tam certam hanc eſſe ducant ſententiam Theologi, & grauiſsimi Viri, vt impoſsibile aſſerant ei poſſe falſum ſubeſſe.

Reprehendendi Aduerſarij. quod contrarias introduxerint reuelationes.

43 Magnum ergo Pater Beatiſsime, & ſatis ſufficiens habes fundamentum præter cætera, quæ in tractatu de diffinibilitate huius

contro-

controuersiæ Tuæ Beatitudini obtuli, vt iam litem istam terminare, & quæstionem hanc in laudem & honorem Deiparæ Virginis velis definire. Plures sunt ex tuis prædecessoribus, qui plures res statuerunt in Ecclesia priuatis partim innixi reuelationibus, quarum non maior fuit authoritas, quam istarum. Pius Papa I. grauissimam illam quæstionem de die quo celebrandum erat Domini Pascha, de quo quædam dubitabant Ecclesiæ, terminauit, tunc non leuiter commotus reuelatione facta fratri suo Hermeti, sicut ipse his verbis testatur. *Nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus Hermes Doctor fidei, & scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus Domini in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei, vt Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur. Vnde, & vos Apostolica authoritate instruimus, omnes eadem seruare debere, quia & nos eadem seruamus, nec debetis à capite quoquo modo dissidere.* Quibus verbis ostendit se tunc præcipuè ob reuelationem factam, statuisse, vt omnes eodem die Dominico Pascha celebrarent, & intimasse vt cæteræ Ecclesiæ cum Romana in cultu conuenirent. Sed alius Angelus (vt iam dixi) apparuit B. Brigittæ, qui Mariæ Virginis conceptum debuisse per orbem vniuersum celebrari docuerat. Qualis verò hic fuerit conceptus, in alijs pluribus apparitionibus ei fuerat reuelatum. Nullam aliam vidimus huius Hermetis approbationem aut discusionem, quam quod ipse eam fratri suo Pontifici retulerit, & Sanctus Pontifex eam referendo in hoc Decreto, & fidem adhibendo, probauerit. Et tamen propter eam, & vt conformarentur capiti & Apostolicæ traditioni, de qua dubitabant, iussit cæteras Ecclesias omne dubium in illa controuersia remouere. Quid ergo tollit, quo minus Tua Beatitudo quæstionem satis discussam, & consuetudine, & celebratione Ecclesiastica iam dudum firmatam contra quosdam dubitantes vel controuertentes velit dirimere, & in doctrina, & cultu non iubeat tecum & cum Apostolica Ecclesia conuenire?

Priuatæ innixus reuelationi Pius I controuersiam grauissimam diremit.

Pius I. epist. 1. Decret. & refertur de cõsec. d. 3. c. Nosse vos volumus vidẽ dæ notæ Seueri. Binij ad hanc epistolam, & ad vitam Pij & ad Cano. 8. Apostolorũ, quæ omnia habentur tom. 1. p. 1. Cõcil. edi. nouæ Colon.

44 Vrbanus IV. Sanctissimi Corporis Christi celebritatem instituit ad hæresim contrariam verbo simul & facto impugnandam, quæ sub illis temporibus augustissimo Sacramento cultum indebite adimebat. Commotum autem ad hanc celebritatem instituendam ait Molanus, imò & ipse Vrbanus clare insinuat in suo Diplo-

Per alias instituit Vrbanus Festum Corporis Christi.

Diplomate de institutione huius Festi, quod incipit *Transiturus*, religiosæ cuiusdam mulieris instinctu ac reuelatione. Totius rei principia referũtur à Ioanne Diestemio priore Sancti Iacobi Leodien. Alterius Tu habes Pater Beatissime religiosæ, & sanctæ mulieris non vnam, sed plures reuelationes, à Pontificibus approbatas aliasque plerisque Viris sanctis factas, vt Virginem sine peccato conceptam definias, & vniformem immaculatæ Conceptionis Festum in vniuersa Ecclesia instituas.

Molan. relatus à Seueri Bin. in vita Vrbani to. 4. conc. par. 1. Diestem. apud Bzou. to. 13. Ana-nal. ad an. 1230. n. 16.

45 Sanctũ esse decreuit Ecclesia Paulum primum heremitam, eum in Sanctorum numerum referendo, vel pro Sancto colendo, quia D. Antonius Abbas retulit se vidisse eius animam in cælos euolasse, & sibi eius sanctitatem fuisse reuelatam. Nec hoc ipsum ab Antonio accepit Ecclesia, sed à D. Hieronymo resciuit, cui hoc constitisse verosimile est ex quibusdam Antonij discipulis, vt innuere videtur in B. Pauli vita. Totum autem testimonium sanctitatis Pauli in Antonium refundendum esse constat manifestè, cum nullus alius quidquã de eius vita potuerit testificari; quippè mortalium nemo eum à 16. anno suæ ætatis, sub quo eremum petijt, vsque ad 113. quo obijt, præter Antonium viderat. Si ergo reuelatio illa Antonio facta de Pauli beatitudine, ab eius discipulis Hieronymo, & ab hoc Ecclesiæ relata, suffecerit, vt Paulus pro Beato ab Ecclesia decerneretur celebrandus; cur non & illa facta Helsimo apparitio ab Anselmo, tantæ authoritatis viro relata, & reuelationes B. Brigittæ ab ipsa tanta fide digna, enarratæ, satis abundare videbuntur, vt Dei Genitricis conceptus pro sancto, & immaculato ab vniuersis statuatur colendus?

Per alia canoniza-tus B. Paulus heremita.

Hieron. tom. 1. in vita B. Pauli post epistolam 199.

46 Sipontinorum Episcopi, & rudium quorundam armentariorum testimonium de reuelatione vel apparitione Michaëlis Archangeli in monte Gargano, in causa fuit, vt Festum Apparitionis eiusdem Archangeli fieret in Ecclesia; cur & Archiepiscopi illustris, aliorumque hominum, & præclaræ huius fœminæ testimonia, de factis sibi reuelationibus, non commouere Tuam Beatitudinem poterunt vt pro immaculato conceptu Virginis propter præclara quæ habes fundamenta vltimam feras sententiam, & ad solemnem eius solemnitatem non compellas vniuersos?

Breuiar. Rom. & Baron. in notis ad Martyrolog Rom.

Institutum etiam Festum apparitionis Michaëlis Archang.

47 Nec Pium magis pium aut propensum in Dominicum Pascha, quam te deuotum, & inclinatum in Dominicam Matrem crediderim; nec Vrbani affectum erga Christi Corpus, sua seruata propor-

Non minoris fides esse has reuelationes vt hæc controuersia dirimatur.

proportione, tuum in Christi Genitricem amorem superare putarim; nec alios Pontifices, Sanctos quosque velle magis honorare, quam Tua Beatitudo affectet Sanctissimam venerari Virginem Mariam. Ne ergo te in hoc superari permittas, vt leuioribus innixi fundamentis, illi suum affectum propalent, & Sanctæ Ecclesiæ Controuersias dirimere, vel exortas hæreses sopire voluerint, dum Tua Beatitudo tot tantisque firmissimis argumentis quæ in citato sæpius Tractatu recitaui, commoueri non possit, vt quod suo iam iure Virgini Deiparæ deberi videtur, velit concedere. Tantorum Pater Sanctissime miserere laborum, calamitates, & simultates populi Christiani inter se dissidentis tolle, Catholici regis de suis pacificandis regnis, iam tandem precibus te flecti permittas. Melius est vt in vnum coadunati cum hæreticis vndique insultantibus congredientur Orthodoxi, quam vt semetipsos inuicem lacerent, & expugnent. Molestum tolle vno verbo dubium, periculosam compone vltima sententia Controuersiam.

Opusculi Decimi Finis.

Continuatio Historiæ.

SEquentem hunc de scandalis Tractatum, ideo voluit Orator contexendum, quia erant qui negarent, quod negari non potuit, tanta tamque grauia ex hac Controuersia, præcipuè ex assertione affirmatiuæ, exorta esse scandala, & dissidia. Alij diligentiores historiarum, & antiquitatum obseruatores antiqua fatebantur, sed sopita dicebant; futuris etiam satis cautum esse per Apostolica Decreta, maximè vero per hoc nuperrimum: nec tanti momenti ea esse quæ modo obijciuntur, aut referuntur, vt propter illa opporteret, aut expediret quidquam innouari. Addiderunt; multo plura, grauiora, & vniuersaliora fuisse vetusta quam noua, nec tamen ob illa Pontificem quempiam partem vllam huius Controuersiæ explosisse. nec ob hæc, minoris ponderis, debere condemnari. Doluit certè vehementer Orator ministratam sibi occasionem, & se omninò coactum, vt referret quæ ex his concertationibus proruperunt damna, & tumultus. Maximo etenim

mo etenim in honore, ſicut decuit, habuit ſemper, & obſeruauit religioſos Viros Patres Prædicatores, optime de Sancta Eccleſia meritos, quos etiam dum hanc ageret cauſam, ſæpius inuiſebat, & dum noſtro Sodalitio præeſſet, voluit à noſtris tanquam veros Fratres amari. At dum ob ſcandala ſedanda pro Catholico Rege orabat, vt hæc Controuerſia decideretur, neceſſe habuit, quod alij negabant, euidenter probare, & clarè monſtrare plurima eueniſſe in hac cauſa ſcandala, tumultus, & moleſtias hæc etiam exorta, ex aſſertione affirmatiuæ, per continua ſæcula duraſſe; modo grauiſsima, & antiquis maiora, vigere, nec per edita Decreta futuris ſufficienter obuentum. Præterijt quædam quæ magis ad riſum, quam ad remedium excitant; multa ab infirmæ vel ſuſpectæ fidei authoribus relata tacuit, ſilere voluit multa recentiora, quæ propalari nec decebat, nec expediebat. Quæ ſola non potuit ſupprimere, & quæ ab alijs claſsicis authoribus, vel in grauioribus Tabularijs ſunt obſignata, & quæ publico examine, & authentico proceſſu ſunt comprobata, iuſsit per ſuas quæque Regiones diſtribui. Voluit etiam, vt amplius comprobarem inanem eſſe quorundam ſolutionem, vel effugium dicentium ſcandala hæc puſillorum eſſe, vel Phariſæorum, & qualiacumque, maturo remedio reſcindenda.

ORATIO

ORATIO VNDECIMA

AD S.NVM D.NVM

PAVLVM PAPAM V.

TRACTATVS XII.

Quanta, & quam grauia ſcandala euenerint, ex libertate ſentiendi in controuerſia de Conceptione Virginis Mariæ, & tolerantia opinionis affirmatiuæ; Sanctiſsimumque D. ex ſui muneris ratione, alijs quotidie exorientibus opportuno remedio obuenire teneri, vel vltima huius controuerſiæ deciſione, tantorum malorum radicem pænitus euellere.

§. I.

Quare præcipua ſcandala ex hac controuerſia orta referantur.

1. Proteſtatur orator ſe ſincero animo hac ſcandala referre. *2 Nollet Aduerſarios offendere.*

BEATISSIME PATER,

1 REm certe moleſtam, mihiq; ſatis ingratam aggredior, dum tot tamque grauia ſcandala, ſiue ab affirmatiuæ ſententiæ fautoribus adminiſtrata, ſiue à populo fideli ab illis accepta, extenſo ordine, ſed fideli & vera narratione Tuæ Beatitudini inuitus recenſere compellor. Vellem potius Aduerſariorum, quos maxime veneror, & affectuoſius obſeruo, in ſcandalis per illos excitatis, excuſandis, vel reſarciendis, defenſorem amicum; quam in illis recenſendis, quaſi perſonam agere relatoris aduerſarij. Non maleuolo, non liuido, non inuido animo, *teſtis eſt mihi Deus*, (vt in alia materia proteſtatus eſt Agatho Papa) *neque per elationem iactantiæ, neque per contentionis aduerſitatem, neque inaniter eorum cupiens doctrinam reprehendere, neque quamlibet quis ſuſpicetur humanæ delectationis arrogantiam, ſed pro ipſius veritatis*, aut cauſæ (quam pro Oratoris munere & fidelitate tractare teneor) iuſtitia, aut rectitudine, imo neceſsitate; quæ circa illam grauiora acciderunt; & iudicis animum magis poſſunt commouere, narrare conſtringor.

Proteſtatur Orator ſe ſincero animo hac ſcandala referre.

Agatho in Epiſt. ad Conſt. Pogon. in princ. 6. Synod.

Nollet Aduersarios offendere. 2 Non Aduersariorum offensam, sed negotij profectum; non contrariæ partis virorum, quos summe diligo, iniuriam, sed causę & partis, quam ago, fęlicem contendo successum. Qui ob id præcipuè controuersiæ efflagitat decisionem, vt tot tantisq; malis, & scandalis obueniatur, necesse habet ostendere, quam verum sit ex eadem ista suboriri. Ius est litigantiũ, hęc eis concessa licentia, vt quidquid pro illis facit, aut eorum adiuuat causam, illud pro se afferat; siue in Aduersarij tendat damnũ, siue illud censeat iniuriam. Bene Plato, *Lites vbi multæ, ibi iniuriæ multæ.* Nam quod pro suę partis veritate probanda alteruter litigantium profert argumenta, tot sibi illatas Aduersarius reputat iniurias. Quod meæ petitionis præcipuũ est fundamentum, in meum affero fauorem, illorum nollem offensam. Silere tamen non debeo, quod prætermittere non possum; nec omnino tacere licet, qui pro tot regnis à tãto Rege sum missus, vt loquar.

Plato de Legibus Dialog. 3

Si citra notam silere (vt ad Cœlest. Papam in alia controuersia de hac eadem Virgine inquit Cyrillus) *& cuncta quæ hactenus mota, agitataque sunt, citra morositatis vitium pietatem tuam celare licuisset, dixissem vtiq; mihi. Bona ac periculi expers res est silentium. Et illud rursum. Præstat quietam vitam agere, quam turbis operam dare. Quoniam vero Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaq; Ecclesiarum consuetudo suadet, vt eiusmodi res Sanctitati Tuæ communicentur, non possum equidem quod apertũ est, nempe Satanam pessimamq; illam infrænem bestiã, quæ ab impietatis studio nunquam desistit, in præsentia omnia miscere, contraq; Dei Ecclesias magna vi insanire, ad pietatem tuam non expãdere.* Ecclesias omnes Hispan. & catholica regna tumultibus perturbat, dissidentium molestia non leuiter offendit, & scandalis, ijsq; magnis per multos annos & sęcula, rabidus infestat. *At quia nunc* (vt subnectit Cyrill.) *ad extremũ propemodum malorum deuenisse videmur, operæpretiũ existimaui, rupto silentio, ordine omnia, quæ acciderũt, exponere.* Regna catholica percurrã, & quæ grauiora in illis euenêre, perstringã.

Cyrillus Epist. ad Cœlestinum, & habetur in 1. part. Concil. Ephesin. c. 14. ad initium tom. 1. Concil. Græco-lat.

„ AB hoc §. vsque ad §. 9. vera & fideli narratione recensebantur potiora & notoria scandala, quæ ex affirmatiuæ sententiæ assertione oriebantur, & obseruata temporis Chronologia ostendebatur fuisse continua in præcipuis Europæ regionibus. Omnia referebantur ex probatis & classicis authoribus ex notissimis archiuijs & tabularijs, ex authenticis processibus publica authoritate compactis; ita vt nequaquam negari potuerit perpetua, & continua fuisse scandala quantumcumque ea sopire laborauerint Pontifices suis Constitutionibus, Reges suis Decretis, Academiæ,

demiæ, & Prælati Ecclesiastici varijs edictis. Qui tumultus, & " scandala in Gallia exorta quæ sub §. 2. referebantur scire voluerit, consulat Iacobum Christopolitanum in Canticum *Magnificat* " ad illa verba. *Quia fecit mihi magna*; & Ambrosium Catharinum " lib. 2. de Concept. persuas. 19. & quid circa annum Domini 1322. " acciderit Auinione, percipiet. Quid Lutetiæ Parisiorum ad ann. " Dom. 1380. euenerit, habetur in excerptis principalium articulorum Ioannis de Montesono, quæ circumferuntur in fine librorum Sententiarum Magistri Petri Lombardi Parisijs excusorum " ann. Domin. 1558. Cuius etiam mentionem faciunt Gersonius " Epist. ad studentes Collegij Nauarræ tom. 1. & Guaguinus lib. 9. " de gest. Franc. à fol. 189. qui hoc ipsum repetit, aliaque adiungit in " Epist. Dedicat. sui Tractatus aduersus Bandellum ad Collegium " vel Academiam Theologorum Parisiensium. "

Ad ann. Dom. 1389. dum Prælati ecclesiastici, & Iudices sæculares compescere non potuerint tumultus Galliæ, quam seuerum " interposuerit Decretum contra assertores affirmatiuæ sententiæ " Rex Carolus Quintus, refert Thomas VValsinghamus monachus, " Benedictinus circa eundem annum in sua Historia Anglicana. "

Circa ann. Dom. 1497. quas turbas sopierit Deppe, Rhotomagi, & Parisijs facultas Theologica latâ in Ioannem Veri sententia, " refert verbatim ex authentico processu Antonius Corduben: in " suis quæstionibus Theologicis q. 44. §. nouerint vniuersi, & summatim Aegidius do præsentatione, lib. 3. de præseruatione Virginis " q. 6. art. 4. §. 2. num. 4. "

Multa etiam sui temporis scandala insinuat Ioannes Maior in " c. 1. Lucæ, & in 3. d. 3. q. 1. nec aliquando cessarunt donec per omnes Galliæ regiones præualuit & sola inualuit pia de immaculata " Conceptione opinio. "

Scandala Italiæ, quæ referebantur §. 3. mouerunt Sixtum IV. " vt publicam indiceret in Vrbe disputationem & vnam ac alteram " ederet extrauagantem. Turbulentos motus ciuitatis Ferrariensis " sub eodem Pontifice, vel ipse Vincentius Bandellus refert in Epistola, qua dedicauit suum librum de singulari puritate & prærogatiua Conceptionis Saluatoris Nostri IESV Christi Excellentissimo Duci Herculi Estensi eiusdem ciuitatis & Dominij Principi, " circa quod tempus commotæ sunt, & aliæ ciuitates Lombardiæ. " Alias deinde turbas excitatas in prædicta ciuitate Ferrariæ ad an- "

„ num 1512. Refert Petrus Rodulphus lib. 2. suæ historiæ Seraphicæ,
„ & Franciscus à Sosa Episcopus Oxomensis in defensorio Oratio-
„ nis Mexiæ de la Cerda habitæ Vallisoleti.

„ Contentiones & dissidia Ciuitatis Senarum ad annum 1530.
„ circa celebrandam ab omnibus puram & immaculatam Conce-
„ ptionem, largius narrat oculatus testis, ipsius vrbis ciuis & incola
„ Ambrosius Catharinus in Epistola ad generale Capitulum Ordi-
„ nis Prædicatorum, quæ habetur ad initium suorum librorum de
„ Conceptione Virginis Mariæ. Nec pacari potuit Ciuitas donec
„ ab omni hominum genere vnanimiter admissa est, Conceptionis
„ Festiuitas.

„ Sub §. 4. habebantur scandala Germaniæ, quæ partim refert
„ Trithemius in Chronico Spanhemen. ad annum 1494. eiusque di-
„ scipulus Paulus Langius in Chronico Citizen. ad ann. 1509. quæ
„ compulerunt Alexandrum Sextum vt ederet illam constitutio-
„ nem *Illius qui se* ad ann. 1502. quibus Sixtinas, additis pænis, con-
„ firmabat.

„ Scandalum graue Heluetiorum sub §. 5. referebatur ex Lau-
„ rentio Surio in Supplem. Chronici Hauel. & Nicolao Baselio in
„ additione ad eundem sub anno 1509. ex Paulo Langio citato, ex
„ Ambrosio Catharino lib. 3. disput. pro immacul. Concept. §. 1.
„ versic. octauum Testimonium; ex continuatione Chronicorum
„ Palmerij ad citatum annum; ex Martino del Rio lib. 4. magic. di-
„ squisit. q. 2. Sect. 4.

„ Recitabantur multa & magna scandala Hispaniæ sub §. 6. Pri-
„ mo, illa quæ euenerunt in ciuitate & regno Valentiæ ad ann. 1344.
„ ex libro priuilegiorum eiusdem Regni sub Ioanne I. Rege Arago-
„ num. Deinde scandala regni Aragonensis ad annum 1398. ex libro
„ viridi (ita cognominato) priuilegiorum regaliũ; Comitatus Bar-
„ chinonensis, sub Martino primo Rege Aragoniæ, & ex libro litera-
„ rum regalium, qui seruatur in regio Archiuio regni Balearici seu
„ Maioricarum ad annum 1408. sub eodem Rege. Tertio, scandala
„ Comitatus Barchinonen. in villa Podyceritaniæ sub Alphonso IV.
„ & Maria Regina, ex regio Archiuio Barchinonen. ad ann. 1435. &
„ 1437. Item in vniuerso principatu Catoloniæ ad annum 1451. sub
„ Ioanne Rege Nauarræ, Ferdinandi Quinti Regis Aragonũ locum-
„ tenente ex eodem Archiuio, & postea ad annum 1461. sub eodem
„ Ioanne iam sui fratris Ferdinandi in regno successore, ex libro 13.

tropheo-

tropheorum regni Aragonum, & ex Marineo Siculo lib. 12. rerum " Hispan. Neque vllus fuit ex his Regibus cui opus non esset, grauissimis pœnis & minis obuiare futuris grauioribus tumultibus, & omni solertia sopire quotidie exorientes. "

Quarto, in regno Murciæ graue eueniſſe ſcandalum ad annum " 1507. probabatur ex originali proceſſu extracto ex quodam illius " ciuitatis Murcianæ Archiuio. Demum, in regno Caſtellæ alia exorta fuiſſe circa annum 1480. probatum eſt ex Petro de Montes libro conſcripto de hac re ad Reginam Eliſabetham Ferdinandi Catholici conſortem; tandem in prouincia Bœthica multa fuiſſe etiam " ſcandala circa ann. 1503. docet Ludouicus de las Caſas in Tractatu de Conceptione, quem ad ſedanda eadem ſcandala ſcripſit, & " in defenſorio eiuſdem tractatus. Vltimo per varias Hiſpaniæ Prouincias ſuo etiam tempore viguiſſe ſcandala indicat Abulen. Parad. " 1. c. 21. addens probabiliter non poſſe omnino reſcindi niſi ſolo vltimo ſupremi Iudicis interpoſito iudicio. "

Sub §. 7. recenſebantur fideliter, & compendioſe recentiores " Hiſpaniarum tumultus, vltra quam credi poteſt turbulenti, & " ſcandaloſi, extracti ex authenticis proceſsibus, qui ad Regem ex " diuerſis Ciuitatibus ſunt deſtinati, & à Rege ad ipſum Pontificem " tranſmiſsi, in quibus tot & talia continebantur qualia ſola ſufficerent ad commouendam Sanctam Sedem Apoſtolicam vt quantumuis grauiſsimam modo aliunde non impediretur controuerſiam diffiniret. "

Sub §. 8. ex actis quam plurimis, ſolemni iuris obſeruato ordine coram Iudicibus & Notarijs congeſtis, oſtendebatur adhuc " duraſſe hæc ſcandala etiam poſt Sanctiſs. Dom. Pauli V. Decretum; neque vllum ſupereſſe continui & perpetui mali remedium " niſi definitionem. Quæ omnia ad longum ad manifeſtam rei " euidentiam ex ipſis probatis authoribus, notiſsimis Archiuis, & authenticis ſcripturis tranſcripta ſunt, ita vt plene conſtiterit à ter " centum annis ſemper ſcandala duraſſe. Seriam autem horum ſcandalorum narrationem ad ſuas claſſes clarius & diffuſius redactam, " quæ Pontifici oblata eſt, nunc prætermittere viſum eſt, pacis & " charitatis ſtudio, ſinceroque affectu erga contrariæ ſententiæ tutelares, (quorum ſumma ſemper fuit apud Epiſcopum veneratio, & " quos ſæpius in ſuis ædibus viſebat) ne quicquam in hac Hiſtoria " occurrat, quo iuſtè poſsint offendi. Omnino autem neceſſarium "

„ apparuit, ſaltem inſinuare breuiter, quanta fide & claritate perpetuitas hæc ſcandalorum eſt comprobata, & quam præ oculis Sanctiſsimi Domini poſitæ ſunt res Hiſpaniæ, vt quàm pro ſuo munere & debito pro obtinenda rei definitione Rex Catholicus hucuſque inſtiterit, omnibus conſtaret.

Omnia hæc ſcandala aiunt Aduerſarij eſſe puſillorum vel Phariſæorum.

§. IX.

43 Quare non curent hæc ſcandala Aduerſarij.

44 Iniuria eſt multorum dici illa eſſe vel puſillorum vel Phariſæorum.

Quare non curent hæc ſcandala.

43 HAec & his grauiora ſcandala ex aſſertione affirmatiuæ ſententiæ quotidie oriuntur in populo. Quæ tamen ſe negligere aſſerunt Aduerſarij, minimeque curaturos, vt per ſuæ opinionis ſilentium tollantur. Omnia enim aiunt prouenire vel ex malitia Phariſaica vel ex ignorantia, & inſcitia puſillorum, qui eam ſententiam non rectè percipiunt; ſeque, facturos vt plene ab omnibus intelligatur, quod quantocius ſe præſtituros pollicentur; ſtatimque in priſtinum ſtatum ſententiam ſuam reuocaturos, libereque prædicaturos. Quod ſi tunc poſt declaratam doctrinam aliqui ſcandalizentur ob illorum ſuæ opinionis prædicationem; vitium hoc hominum malitiæ, non opinionis aſſertioni tribuendum affirmant, ſcandalumque illud non cordatorum Chriſtianorum, ſed male affectorum Phariſeorum eſſe dicendum. Ita in huiuſmodi controuerſijs conſuluiſſe D. Thomam obiectant, dum ait. *Quando ſcandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, huiuſmodi ſcandalum eſt puſillorum; propter quod ſunt ſpiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet, quo vſque reddita ratione huiuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem poſt redditam rationem huiuſmodi ſcandalum duret, iam videtur ex malitia eſſe, & ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia bona dimittenda.*

D.Tho. 2.2.q.43. art.3. in corp.

Offendunt multos dū aiunt ſcandala eſſe puſillorum vel Phariſæorum.

44 Ex hac ipſa Aduerſariorum doctrinâ ſeu aſſertione non leuiter ſcandalizantur, & excandeſcunt quorum pulſat auditum, dum vniuerſus ferè orbis ignorantiæ, & inſcitiæ ab Aduerſarijs arguitur. Qui ſi Doctores aut Viros ſapientiores ab ignorantium ſorte diſcriminent, non tamen à Phariſaica excuſant malitia. Non eſt enim doctus ferme vel indoctus, qui ad prædicationem vel inculcationem affirmatiuæ non ſcandalizetur. Cum ergo omnes ſcandalizentur, Aduerſarijque dicant, totum huius controuerſiæ ſcandalum

lum vel ignorantium esse vel Pharisæorum, omnes argui necesse est vel ignorantiæ vel malitiæ. Quod, præterquam quod iniuriosum sit & falsum, vt breuiter perstringam; videndum paulo fusius an ob illa tollenda scandala, suam debeant Aduersarij omninò relegare sententiam.

Actiua, & data esse hæc scandala.

§. X.

45 Multifariam suadetur non esse hæc scandala Pharisaica.

46 Licet non dicatur in se affirmatiua scandalosa, potest tamen talis esse ex circumstantijs.

47 Vnde potissime ei prouenit hæc scandali ratio.

48 Confirmatur vlterius scandala hæc non esse Pharisaica.

45 Scandala hæc non esse accepta sed data non Pharisaica sed ministratâ occasione pænè necessario exorta; non denique pusillorum & infirmorum, sed prouectorum, & Doctorum facillime admittet qui ea, quæ retuli superius diligentius considerauerit. Quomodo etenim accepta, & Pharisaica dicet quispiam, quæ omnium sunt Regnorum, & præcipuarum Academiarum? quomodo Pharisaicæ malitiæ adscribentur, dum & impingunt in hunc lapidem optimæ notæ & magnæ probitatis viri? quomodo non dari & præberi dicetur offendiculũ, dum & circumspecti & timorati homines ferè inuiti commouentur, & spiritualiter ruunt? Datum certè & non acceptum declarauit Vniuersitas Parisien: semel ac iterum in duabus sententijs quas supra retulimus latas in Ioannem à Montesono & Ioannem Veri, Patres Ord. Prædicatorum. Datum certè non acceptum confirmat Academiarum consuetudo, nullas admittentium super hac controuersia disputationes, propter scandalum vt ait Cordub: ex affirmatiua procedens. *Multa argumenta suadent nõ esse Pharisaica hæc scandala.*

46 Datum profectò, non Pharisaica malitia acceptum est quod à prædicatione opinionis probabiliter scandalosæ (non dico in se nec ratione doctrinæ, quam continet, sed temporis & circumstantiarũ) procedit. Verum fateor cum Corduba & alijs, quod quamuis ex parte veritatis vel falsitatis huius vel illius opinionis, fuerit hucusque licitum seu toleratum tenere & dicere hoc vel illud: tamen potuit fieri illicitum mortaliter vel venialiter ex circumstantia scandali, probabiliter imminentis, affirmatiuam docere. Quod etiam contingit in omni alio actu morali, ex suo genere licito, qui per *Affirmatiua, sicut & alia res, ex circumstantijs potest esse scandalosa.* Cordub. q. 44. & alij.

per circumstiam scandali vitiari potest; vt expressè docuit Apostolus, loquens de idolothytis, his verbis; *Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.* Et 1. Cor. 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Hanc autem circumstantiam scandali, & piarum aurium offensionis, ita annexam esse huic opinioni (quam ex rei natura & ex suo genere non ausim, nec velim condemnare) docent cum eodem Corduba plures Doctores, vt iam nequaquam prædicari aut communicari possit, quin scandalum, & offendiculum præbeat, præcipuè in vniuersis Galliæ & Hispaniæ regionibus. Quod ita exploratum & certum habuit perdoctus sane vir Dominicus à Soto Ordin. Prædic. vt, cum occasio ei incidit de hac controuersia tractandi, suique Ordinis sententiam inculcandi, dum illa verba Pauli ad Rom. c. 5. *In quo omnes peccauerunt* explicaret, suisque commentarijs illustraret, noluerit de hac re disputationem instituere. *Absit* (inquit) *vt vllum hic verbum faciam de Virgine Sacratissima Dei Genitrice Maria, vtrum videlicet hac sententia Pauli concludatur nec ne? nam etsi Concilium Tridentinum Decretum Sixti innouando, libertatem fecerit sentiendi in vtramque partem; est tamen exceptio V. ab hac vniuersali sententia Pauli vsque adeo celebris, non modo intra plebes, sed etiam intra bonos Doctores, quales præcipuè sunt Illustrissimi Parisien. vt si qui hanc sibi exceptionem persuadere non possunt, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere disputationem, adeo id absque odio & inuidia nequeunt facere.* Quod & alius eiusdem instituti vir omniũ calculo doctus Melchior Cano l. 12. de locis c. 11. breuius & clarius pestrinxit dum dixit quod auditâ hac sententiâ vulgus sine dubio perstringitur, percutitur, torquetur.

Rom. 14. nu. 20. 1. Cor. 10. 23. Cordub. cit. Moral. in c. 1. Math. l. 3 tract. 1. de præser. Virg. Suar. to. 2. in 3. p. q. 27. disp 3. sect. 6. in fin. Ægid. l. 3 q. 9 ar. un. & alij. Soto in c. 5. Epist. ad Rom.

47 Inde autem opinionem istam, circumstantiam hanc scandali actiui, & odij induisse aduertunt qui accuratius hanc rem expendunt: quod non parum diminuat piorum in Virginem deuotionem. Quod occasionem præbeat populo, etsi bene instructo, de authoritate Ecclesiæ in celebrandorum propositione Festorum dubitandi, dum non sine fundamento ansam & non leue motiuum sumere possunt, vt credant Eccl. Rom. in celebratione Festorũ errare, quando illa (vt in peculiari de hoc Tractatu ostendi) immacul. Conceptionem celebrat, Aduersarij autem maculatã contendant. Contra communem orbis Christiani, tam in scholis, quam in cathedris doctrinam, contra etiam ipsam parvulorum catecheticam instructionẽ Aduersarij suam opinionem ab omnibus ferme Academijs explosam, velint persuadere. Non

Vnde preuenit potissime affirmatiua hæc circumstantia scandali.

Non esse solum scandala pusillorum.

49 Scandalizantur etiam cum indoctis docti.

50 Etiam post emissum postremum Decretum.

49 NEc esse scandala hæc solum pusillorum nec ex ignorantia prouenire, clarius est, quã vt probatione egeat, quam tamen propter quotidianum Aduersariorum murmur, iniustamque censuram, qua omnes negatiuæ adhærentes, vel ægre, & cum scandalo affirmatiuam audientes, afficiunt; breuiter, sed efficaciter subijcio. Non scandalizari solum indoctos & idiotas, sed & literatos, sapientesque viros testis, est primarius Theologiæ in Salmanticensi Academia Professor, qui in publico grauiq; Concilio doctissimorum Hispaniæ Virorum, super hac Controuersia à Catholico Rege coacto, omnes vtique Doctos scandalizari dixit, seque semper vt alteram prædicari, doceriue audierat sententiam, non leuiter scandalo percussum. Testes sunt alij plures, qui idipsum testantur. Testesque celeberrimæ Academiæ, in quibus per multos annos, nunquam permissum fuit, vt eius vel minima fieret mentio. Testem etiã pro millibus vnam Tuam habemus Beatitudinem, dum non solum prohibuit eam populis prædicari è pulpitis, sed nec coram Theologis & in scientia prouectis voluit disputari in cathedris. Qua prohibitione non solum ostendit in concionibus rude vulgus, sed etiam doctos viros scandalizari in Academijs; idque constare potest ex eodem Tuæ Beatitudinis Decreto. Ad lectiones etenim atque alios actus scholasticos non concurrunt infirmi & idiotæ, qui specie pietatis propter ignorantiam facile decipi possunt; sed viri docti, aut iam introducti in Sacra Theologia, & scientijs, qui aut ipsi per se facile videre possunt, aut à doctioribus discere probabilitatem opinionis, & consequenter deposita ignorantia scandalum euadere. Sed quia in his, & in omnis generis viris vigere scandala hæc, cognouit Tua Beatitudo, prouide, & prudenter præcepit vt exularet scandalorum occasio tam à plebeiorum cætu, quam à Doctorum concessu.

Doctos quoque scandalizari ostenditur.

50 Perseuerant tamen adhuc, vt superius ostendi, & grauius in dies increscunt hæc scandala in magnam animarum ruinam, tam ex publica prædicatione, siue palliata, & artificiosa è suggestis insinuatione affirmatiuæ, contra Apostolicum Decretum, quam secreta communicatione & familiari confabulatione de eadem. Plura certè

Etiam post nouissimum Decretum.

certè & liberius effutiuntur in angulis, quàm liceret publicè prædicari è suggestis. Suam sententiam etiam sollicitius inculcant, & quidquid in alterius opinionis fauorem & Virginis deuotionem impenditur, acrius reprehendunt. Ad tot vero occasiones, si contrarij exasperantur, aut scandalizantur, totum esse fingunt scandalum pusillorum.

Dato quod pusilli tantum scandalizarentur ex assertione affirmatiuæ, esse tamen reticendam.

§. XII.

51 Quando debet taceri aliqua doctrina etsi ex se bona.

52 A licitis etiam abstinendum est propter infirmorum scandalum.

Hieron. in c. 15. Matth. *Quando tacenda aliqua doctrina.* Thom. in c. 14. ad Roman. lect. 13.

51 DEmus ita esse sicut ferunt, an non etiam ob infirmorum scandalum omne remouendum est offendiculum, & cessandum ab opere quod scandalizat, dummodo (secundum Hieronymi cautionem) veritas non lædatur vitæ, doctrinæ, vel iustitiæ? In eo quod doctrina hæc vel sententia taceatur nec iustitia minuitur, nec vita deperditur, nec doctrina deprauatur. Tunc vt explicat D. Thom. peccatur in veritatem doctrinæ quando quæ per Ecclesiam definita est, & ad articulos fidei spectat negatur vel omnino reprimitur. In alijs vero veritatibus, quæ licet fidei obscure sint, siue ad fidem accedant, non tamen definitæ sunt, sed controuersæ (quales erant illæ, an Iudæi conuersi ad fidem tenerentur legalia obseruare in primitiua Ecclesia, & an anima erat ex traduce, vt Augustini tempore altercabatur) in his ait Angelicus Doctor, sufficere homini quod fidem habeat coram Deo, nec oportere quod fidem suam propalet, cum scandalo proximorum, nisi forte apud eos, qui habent de fide determinare. Vnde & ad illa verba D. Pauli (de sana fide illorum, qui iudicabant licere idolothyta manducare, per manducationem tamen infirmos & pusillos scandalizabant, loquentis) *Fidem habes? penes te ipsum habe &c.* ait. *Fidem habes rectam apud temetipsum, per quam constat licitum esse his cibis uti. Bona quidem, & laudabilis est fides ista; sed habe eam in occulto. Coram Deo cui talis fides placet*, Eccl. 1. *Beneplacitum est Deo fides, & mansuetudo; quasi dicat. non oportet, quod fidem illam manifestes per operis executionem, vbi hoc fit cum scandalo proximorum.* Paucis verbis rem omnem comprehendit, sufficientemq; , imo efficacem rationem interserit glossa interlinealis huius secretæ fidei retentionis, in huiusmodi sententijs silentij. *Hoc*

Rom. 14. 22. Tho. citat. Ecc. 1. 35 Gloss. interl. in c. 14. ad Rom.

(inquit)

inquit) *bene potes, quia de tuo bono nihil perdis, coram Deo hanc fidem habe, non coram abstinente, ne ei noceas.*

52 Quod sine suo damno potest quis silere, & non nisi cum proximi detrimento propalare, vel extrinsecus efferre; ab illo certè debet abstinere. *Quapropter* (inquit Paulus) *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Licitum erat Paulo carnem illam manducare, suo iure vtebatur in illo esu carnium, quibus vesci non erat peccatum ex ipsa comestionis natura; attamen ab illis abstinebat ne pusillos, & infirmos, ignorantes an legis cæremonialia adhuc obligabant, quibus idolathytis vesci prohibebatur, scandalizaret. Cuius de salute proximorum, licet infirmorum, curam ex se summe laudabilem, maximopere extollit eius Encomiaster. Ioan. Chrysost. dicens. *Paulus non disputat more nostro; non enim dicit; quare sunt tam infirmi? quare tam stupidi? quare affectiones illas admittunt? sed ea de causa ipsis potissimum parcit, quia ob rationis penuriam ita se habent, & ita infirmi sunt. Dic enim qualem excusationem ille habet, qui scandalizatur in comedente carnem & vinum bibente? an non hanc legem nobis Deus ipse permittit? Verumtamen si in his aliquis scandalizetur, abstinet Paulus. nunquam enim carnem comedam* (*inquit*) *ne scandalizem fratrem. Et non dixit, sicut nos; subijciendus ne ego sum alienæ insipientiæ? num quia alicui simpliciori videtur esse scandalum, egone dignus supplicium luam? Quamuis si etiam dixißet, multo tamen iustius dixisset, quam nos; & potuißet alias iustas causas dicere, si voluisset. At non dixit, sed ad vnum solum spectauit, proximi scilicet salutem. Non enim dixit, semel aut bis, vel tanto ac tanto tempore, sed in æternum ait, non comedam, si scandalizatur alius.* Hactenus Chrysostomus, qui præclaris suis verbis, & Pauli zelum de proximorum ædificatione, & sententiam hanc nostram de pusillorum remouendo scandalo, satis dilucidauit.

A licitis etiam abstinendum propter infirmorum scandalū.

1. Cor. 8. 13.

Chrys. serm. contra cohab. puel. parum post princ. tom. 5.

Licet etiam Pharisaica essent hæc scandala, esse tamen curanda.

§. XIII.

53 Quando curanda scandala Pharisaica. *54 Cauenda esse confirmatur Christi exemplo.*

53 NOdum vlterius stringamus, admittamusque scandalum non solum pusillorū esse, sed & Pharisæorum virorumq; prouectorum qui bene norint, doctrinam illam non esse damnatā, sed permissam & toleratam in Ecclesia, & patrocinatam à Pontifi-

Quando curanda scandala Pharisaica.

cibus ne graui censura afficeretur, qui ebinde iniustè, & malitiosè scandalizentur. Etiam si talia cum Aduersarijs scandala hæc esse diceremus, adhuc tollenda esse multorum est doctrina, quando nec detrimentum sequitur ex omisione operis, quod fit, vel doctrinæ, quæ prædicatur; nec de profectu illius qui scandalizatur, omnino desperatur. Quam limitationem adhibent ad verba quæ supra §. 9. retuli ex D. Thoma, iuxta quæ dixi absolute §. 10. non esse curandũ de scandalis Pharisaicis, nec Sanctitatem Tuam teneri ad illa curanda. Quod intelligendum volunt hi Doctores, dum ex facti omisione periculum aliquod sequitur, nec spes aliqua sit, eum qui scandalizatur à suo cessaturum peccato: Ita expresè docuit grauissimus vir Petrus Lorca Ord. S. Bernardi olim doctiss. Theologiæ Professor in Vniuersitate Complutensi, dum illam regulã D. Thomæ, videlicet, non teneri quempiam ad dimittenda bona spiritualia ad vitandum scandalum Pharisæorum, explicaret. *Limito* (inquit) *hanc regulam, vt non habeat locum, quando spirituale aut temporale quod omittitur, non est magnæ vtilitatis, & sperari potest eum, qui ex malitia scandalum sumit, cessaturum à peccato. Tunc enim abstinendum est, quia quilibet tenetur impedire peccatum alterius, quacunque ratione peccet, si id potest commode, & sine aliquo detrimento, & cum spe fructus præstare.* Et Gregorius de Valencia ad eundem locum & regulam Diui Thomæ. *Existimo* (inquit) *si quis cum nullo suo, vel penè nullo detrimento posset impedire scandalum proximi Pharisaicum, aliquid faciendo vel omittendo, illud debere facere.*

Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. in corp. Lorca ibidem in summa quæstionis.

Valencia to. 3. di. 3. quæst 18. punct. 4. §. existimo etia.

54 Explicationem hanc confirmant alij ex illo Christi Domini factô, qui cum nouerat eos, qui didrachma tributi accipiebãt, apud Petrum conquestos quod magister eius non soluebat quantocius tributum, præueniens Petrum, dixit; *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs suis an ab alienis? & ille dixit: Ab alienis. Dixit illi* IESVS: *ergo liberi sunt filij. vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare &c. inuenies staterẽ, illum sumens da eis pro me & te.* Qua interrogatione Christi & ex responsione Petri, nobis declarauit se nullatenus obligatũ ad soluenda illa didrachmata; soluisse tamen, vt scandalo obuiaret. Illud autem Pharisaicum esse quis non iudicabit, dum non ex ignorantia, sed ex malitia scandalizarentur, qui per tot patrata miracula, & cœlestem reuelatam doctrinã potuerunt cognoscere eum Filium Dei, & immunem à solutione tributi, vt cum glossa ordinaria colligunt quidam, ex eo quod malitiosè

Cauenda esse confirmatur Christi exemplo. Matth. 17. 25.

tiosè de hoc tributo dando non ipsum Christum, sed Petrum conuenerant census exactores? vel si cum Lyra, & alijs placet dicere exactores hos ex gentilibus fuisse, vel etiam ex Iudæis, qui adhuc non credebant Christum, vel à Patre æterno, vel Dauid Rege progenitũ, & ex vtroq; patre libertate gauisum; vnde & iustè posse scandalizari ad tributi negationem. Potuit tamen Christus tunc, sicut & Petrum instruxit eos docere, & erudire se ex duplici capite libertate potitum, nec ad census solutionem teneri. Noluit tamen, præcauens illorum scandalum, probabiliter ex illorum malitia oriturũ; quantumcunque eorum releuatur ignorantia, per eius doctrinam. Rectè ad hunc sensum concordat Episcopus Iansenius hunc locum cum alio illo Matth. 15. Vbi Christus docuit contemnendum esse Pharisæorum scandalum, infertq;. *Docemur itaq; ex hac diuersitate, obseruare tempora, & loca secundum quæ oportet non contemnere eos, qui scandalizantur, & secundum quæ oportet contemnere. Docemur in hoc Domini facto quiduis & facere & pati pro vitando ac subtrahendo scandalo proximorũ, quod salua iustitia, & veritate licet, idq; etiam aliquando quando non esset alioqui scandalum datum, sed acceptum.* Argumentum etiam hoc latius prosequitur Chrysost. serm. contra concub. tom. 5. Cum igitur nullum sit periculum tacendæ affirmatiuę sententię, nullumq; exinde adueniat Ecclesiæ detrimẽtum, nec magnæ, imo nullæ vtilitatis sit eam populo aut prædicari publice, aut communicari secreto; magnaq; sit spes, imo certa, scandala hęc multa & magna in populo Christiano cessatura; debẽt certè eius fautores se cohibere, vel ab alijs cohiberi, ab illa inculcanda.

Lyra in cap. 17. Matthei.

Iansen. c. 69 in concor. Euang.

Tres potiores rationes propter quas affirmatiuæ fautores insinuant nequaquam se debere cessare ab illa inculcanda.

§. XIV.

55 VErùm tres communiter asignant Aduersarij rationes ob quas à suâ inculcanda sententia non debeant desistere. Primam, quia aiunt sibi ex silentio imminere honoris detrimentum, dum faciliter, qui tacet, vincitur. Secundam, doctrinam etiam quã veram, vel saltem probabilem dicunt, dispendium ex taciturnitate passuram, dum contraria prædicatione continua Christianorum cordibus altius infigitur. Tertiam, damna hęc non esse sibi contemnenda ob ignari vulgi & ignobilis turbæ, sutorum, sartorum, textorumque, &c. (quos solos scandalizari dicunt) tumultus aut scandala, quæ nihili facienda affirmant.

 Expen-

Expenditur prima Ratio.

§. XV.

56 Non est tanti faciendus proprius honor, vt ob illum conseruandum scandalizentur alij.

57 Honorabilius est cum vniuerso fermè cætu fidelium sentire.

58 Illa vera est scientia quæ proximos ædificat.

Pro honore conseruando non est contemnendum scandalum. 56 AD primam ego responderim rationem, non tanti faciendam inanem hominum opinionem, propriamue reputationem, vt propter eam tot hominum conscientiæ percutiantur infirmæ: *Percutientes conscientiam infirmam hominũ in Christum peccare*, dixit Paulus. *Quomodo enim* (interrogat. August.) *non peccat in Christum, qui peccat in membrum Christi?* Aequius, & magis hominum infirmitati compatiens, D. Thom. censuit, multa alias iniusta, & iniqua tolerãda propter scandalum vitandum & cedendum esse iuri proprio, legesq; iniustas in conscientia hominem obligare, quando ex illarum contemptu offenditur in conscientia proximus; ita habet 1.2.q.96. a.4. in corp. vbi in huius rei comprobationem adducit illud Christi Domini. *Qui angariauerit te mille passus, vade cum eo, alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da & pallium.* Quicquid tolerandum, vel aspernendum iudicat Sanctus Doctor, ne proximus scandalizetur, & debere hominem iuri suo vel honoris, vel alterius boni cedere, ne alter offendatur. Nequaquã licet, propter honorem, aut aliud, quodcunq; lucrum temporarium, in casum, aut ruinam hominem quemquã pellere, aut prouocare ad scandali peccatum. *Scandalum enim passiuum* (vt docet D. Thom.) *semper est peccatum in eo, qui scandalizatur. Non enim scandalizatur, nisi in quantum aliqualiter ruit spirituali ruina.* Vnde consequenter ad hanc metaphoram destructionis, aut ruinæ spiritualis Paulus. *Noli propter escam destruere opus Dei.* In quæ verba Chrysostomus. *Nam si sacram aliquam ædem subuertis, graue & nefarium existimatur: quanto magis spirituale hoc templum, si ruinam patiatur, cum & homines constet, sanctitate sacris ædibus longè præstare: quippe non parietum gratia sed nostri huius templi mortem Christus oppetijt.* Tot ergo templa totque ædes spirituales pro quibus ædificandis & reparandis Christus mortem subiuit, tanta facilitate propter contemptibilẽ conseruandum honorem, veniunt diruenda?

1. Corin. 8. 12.

August. serm. 26. de Verb. Dom.

D. Tho.

Matth. 5. 41.

Thom. 2. 2. q. 43. a. 2. in corp.

Rom. 19. 20.

Chryso. de non scand. fratr. to. 5 & refertur in Glos. ord.

Honorabilius erat cũ vniuersali Ecclesia sentire. 57 Maiorem certè sibi quis conciliat honorẽ si cum multis ijsq; doctis intrepidè sentiat, quam si singularem, cæterisq; ingratam doctrinam non plena securitate defendat. Laudabiliùs Academicos

clasi-

claſsicoſq; viros ſuæ ſententię habere aſſenſores, quam oppugnatores. Honorificentius adoleſcenté, in melius quotidiano augmento proficiſcentem amplecti diſciplinam, quam defloreſcentem, ſeneſcentemq; opinationé, quæ tandem marceſcat, nolle deſerere. Non erit inglorioſum à ſingulari vnius, nec integræ, familiæ aſſertione ad communiorem Eccleſiæ tranſire: laudabiliter deſeritur, quod propter verum, dicam etiam probabilé Eccleſiæ aſſenſum deſtituitur. In alijs certaminibus laureas referunt qui victores redeunt; at in diſputationibus diuinis, ſolis debetur corona, qui ſe rei magnitudine victos, ingenuè fatétur, nec quidpiã iam vltro defendunt, quã, quod quantumlibet placuiſſe vidét Eccleſię. Verè ita licitũ eſt Aduerſarijs per Eccleſiam ſentire, ſed cum Eccleſia aliter ſentire religioſius.

58 Neq; hinc putent ſuam ſe commendare ſcientiam, quod vulgaris minimè ſit, ſed à communiori diſcrepet hominum opinione; nam quantum à Doctorum fermè omnium, Catholicarumque Academiarum recedit ſententia, tantum aliena eſt à verâ ſcientia, & quod ſine ſcandalo non poteſt obtrudi, modum neſcit veræ doctrinæ. Cum D. Paulus cum ijs ageret, qui rectè ſciebant ſe potuiſſe manducare, quæ idolis ſacrificabantur, & obinde idolothytis cum proximorum & infirmorũ ſcandalo veſcebantur, inſufficientem, & planè imperfectam illorum ſcientiam dixit, his verbis. *Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire.* In quem locum D. Thom. *Hic oſtendit Paulus à quibus hæc ſcientia habetur inſufficienter: quia ab illis qui ea vtuntur in nocumentum proximi, eſt & ſua ratio talis. Quicunq; habet ſcientiam & non modum vtendi ea, habet ſcientiam inſufficienter, ſed qui habet ſcientiam ſine charitate eſt huiuſmodi, ergo.* Inferius ſubiungit gloſſam hanc Bernardi. *Hic non approbat Apoſtolus multa ſcientem, ſi modum ſciendi neſcierit. Modus enim ſciendi eſt, vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine, ſcire quæq; oporteat. Quo ordine, vt id prius quod maturius ad ſalutem: quo ſtudio, vt id ardentius, quod efficacius eſt ad amorem; quo fine, vt non ad inanem gloriam, vel curioſitatem velle aliquid, ſed ad ædificationem tui & proximi. Sunt namq; qui ſcire volunt eo fine tantum, vt ſciant, & curioſitas eſt; quidam vt ſciantur & vanitas eſt; quidam vt ſcientiam vendant & turpis quæſtus eſt; quidam vt ædificentur & prudentia eſt, quidam vt ædificent & charitas eſt.* Ille commendandus à doctrina, ille laudandus in populo, qui ſcientiæ charitatem adiungit; ille vero nec ſuſpiciendus nec reſpiciendus, qui quantumuis ſe doctum oſtentet, ſuâ doctrinâ etiam pupillos ex infima plebe, ſciens & lubens ſcandalizat.

Illa vera eſt ſcientia quæ ædificat.

1. Corin. 8. 2.

S. Thom. lect. 1. in c. 8. Epiſt. 1. ad Cor.

Bernard. ſerm. 36. in Cant. ante med.

Examinatur ſecunda Aduerſariorum ratio.

§. XVI.

59 Ob defendendas proprias ſententias non debent Doctores populos ſcandalizare.

60 Nec licita vtendum eſt poteſtate cum ſcandalo proximorum.

61 Nunquam vt offerunt poterunt Aduerſarij hanc ſententiam populis perſuadere.

Ob defendendas proprias ſententias non debent Doctores populos ſcandalizare.

59 ILlud vero quo ſecundo hanc ſuam tenacitatem defendunt, nimirum ſententiam illam ſuam ſui taciturnitate & ſilentio obſcurandam, quod innoxiè conſentire non poſſe putant, ob idq; ſemper eis incumbere vt acrius eam reijcientibus Aduerſarijs, eo ſollicitius ſtudeant eius veritatem defendere aut probabilitatem monſtrare; hoc (inquam) facillime refellitur, & inane eſſe probatur, grauiſsima illa inſtantia, & Doctrina Chriſti Domini; qui ne exactores tributi tribunum vel Rectores illius Prouinciæ ſcandalizaret paſſus eſt obſcurari gloriam ſuam, ſeq; tacuit eſſe Filium Dei; cum tamen tunc ſe obtulerit magna occaſio ſemetipſum manifeſtandi, ne per ſolutionem tributi teſtimonium videretur perhibere falſitati, & ſe nec Filium Dei eſſe, nec à Dauid vere & legitime deſcendere, inſinuaret. Omnia tamen hæc neglexit, vt ſcandalum auerteret. *Vides* (inquit Chryſoſt.) *quo modo ſcandali curam habet. ſi enim non ſoluiſſet tributum nata fuiſſent mala. nam vt tyrannum, & obluctantem, & ciuitatis vniuerſæ inimicum, & in extrema pericula inijcientem, vtique auerſati fuiſſent.* Veritatem illam certiſsimam, omnium maximam, & ſummè in fide noſtra neceſſariam obſcurari permiſit Chriſtus, eamque altè tacuit, ne maligni ſcandalizarentur. Et religioſi viri, Chriſti ſectatores, ſententiam minimè neceſſariam, nullius vtilitatis, non permittent ſilere, ne Chriſtiani tantopere offendantur, & ſpiritualiter ruant? Iterum & ob eandem rationem ipſe Chriſtus Dominus non ſolum permiſit gloriam ſuam obſcurari, ſed ſtuduit eam adumbrare, præcepitque multis, ne cui dicerent, quod ipſe eſſet Chriſtus, *ac propterea ipſos, qui eum rapere volebant, & facere Regem* (ait Chryſoſt.) *longius fugit, eamque opinionem à multis, qui circa ipſum erant, repulit.* Nedum ſe Chriſtum dici, & prædicari permitteret, vel tumultus orirentur in Hieruſalem, vel ſeditiones fierent in Iudæa iubet veritatē taceri, & iuſtè oblatum Regnum reſpuit noſter legiſlator. Vt tot, tantæque ſimultates florentiſsimorum Regnorum auerterentur; vt tot tantiq; tumultus ampliſsimarum ciuitatum iam ceſſent, vt ſeditiones è medijs populis tollantur, opinionē quam docti ferè

Chryſo. ſerm. contra cohab. pnel. tom. 5.

Chryſo. citatus aliquanto poſt initium.

ferè omnes silentio perpetuo,& totali dignam dicunt,quam Academiæ suos magistros non permittunt docere, nec discipulos audire, non tacebunt,& silentio honorifice inuoluent,qui Christianorum saluti destinati sunt Prædicatores, & qui secundum magni illius Prędicatoris Pauli exemplum, Per omnia omnibus placere debent, non quærentes quod sibi conducit, sed quod multis, vt saluentur?

1. Cor. 10. 33.

60 Potuisse hucusque eam prædicare,& modo adhuc eis tolerari de ea loqui,& confabulari non diffiteor,attamen non vtendum esse hac potestate, qui cordatè sentiunt,dijudicant. Egregiè magnus notat Basilius licuisse Paulo & Barnabæ non operari, vt ipse gentiũ prædicator expresit ita interrogando. *An ego solus, & Barnabas non habemus potestatem non operandi?* & tamen aduertit propter scandalum euitandum, eos hac potestate vti noluisse, vt & ipse Paulus dicit. *Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.* Subiungit Basilius. *Rem formidabilem esse in ijs quæ in nostra potestate posita sunt, fratrem scandalizare.* Tolerantur adhuc Aduersarij de maculatę loqui conceptu, hac vero tolerantia seu potestate vti in certam proximorum offensionem,nequaquam licet. In illorum potestate est, hanc tacere doctrinam,quam nulla fidei veritas exposcit, nulla salutis expostulat necessitas. *Circa doctrinam duo sunt consideranda* (inquit S. Thomas) *veritas scilicet quæ docetur, & ipse actus docendi; quorum primum est de necessitate salutis, vt scilicet contrarium veritati non doceat; sed veritatem secundum congruentiam temporis & personarum proponat ille, cui incumbit docendi officium.* Licet sententiam suam certissimam esse, summæq; veritatis doctrinam sibi persuaderent, secundũ tamen calamitosi, & turbulẽti huius temporis necessitatẽ, & populorum infirmitatem, vel pronitatem ad impingendum in hoc offendiculum, ab ea proponenda & docenda debent abstinere.

Nec licita vtendũ est potestate cum scandalo proximi.

Basyl. in reg. breuior in resp. ad interrog. 69

1. Cor. 9. 6.

1. Cor. 9. 12.

S. Thom. 2. 2. q. 43. ar. 7. ad 2.

61 Nec quod supra §. 9. secundum D. Thomæ doctrinam dixi eos polliceri vel intentare velle per quotidianam suæ sententiæ inculcationem, exposituros scilicet vel declaraturos ignorantibus, & infirmis suæ sententiæ veritatem,de qua cum rationem reddiderint liberari se à culpa scandalorum, quæ tunc ex malitia procedent. Nec hoc (inquam) eos ab hoc tacendi debito absoluit, cum iam pro comperto habeant, neminem hanc eorum velle acceptare doctrinam, iamque sua spe frustrentur per continuam tercentùm annorum prædicationem, lectionem, & inculcationem eiusdem sententiæ, quam vel hucusque noluerunt populi percipere, vel si perce-

Nunquam vt offerunt poterunt hanc sententiam populo persuadere.

perunt non tamen acceperunt; nec vniuersitates admittere voluerunt. Post tria integra elapsa sæcula volunt suę doctrinę reddere rationem. Vel certe illa inintelligibilis est, quæ per trecentos annos non potuit intelligi; vel minus vera est; quæ iam intellecta, & post redditam rationem, à doctis exploditur, ab Academijs relegatur, à pulpitis exulat, à populo repellitur, à nullo admittitur, & omnes scandalizat.

Tertiæ rationi Aduersariorum satisfit.

§. XVII.

62 Charitas Christiana ad omnes se extendit neminem scandalizans.
63 Non despiciendum scandalum pusillorum & ignobilium.
64 Tacenda iam tandē hæc opinio quæ vel mala est, vel mali speciem habet.

Charitas Christiana ad omnes se extendit, neminem scandalizans.

62 QVod vltimo loco dicunt, damnum proprium, non esse contemnendum, propter sutorum, & sartorum tumultus, aut scandala, imo istorum (quos solos scandalizari asserunt) scandalum esse contemnendum; præterquam quod falsò supponat, solos pusillos, vel plebeios scandalizari, vt supra ostendi, non adeò accedit ad Christianam charitatem, quæ in diuites, & pauperes, in heroes, & plebeios, in doctos, & indoctos, in nobiles, & ignobiles, opifices, siue sartores, siue sutores, siue laniarij, sint &c. se extendit. Charitas Christiana ad omnes se diffundit; non est acceptio nec exceptio personę. Omnes voluit Christus saluos fieri, pro omnibus dedit semetipsum in pretium. *Si propter cibum tuum* (inquit Paulus, loquens de eo qui bonus & licitus erat) *frater tuus contristatur iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* In quem locum Gloss. interl. nomine Pauli aduertit. *Non dico scandalizatur, sed quod minus est; caue ne contristes cibo tuo; plus autem caue, ne perdas; quia debes confirmare, non scandalizare. Ex Christi morte cognoscitur quantum valeat salus fratris.* Apud Christum non fuit acceptio personarum, nec vllum excepit, nec seclusit à suæ passionis pretio. Sanguinem saluificum pro omnibus fudit. Tam huius particeps est lauacri famelicus pauper, quam heluo diues, tam miser egenus, quam locuples heros, tam qui iacet in stramine, quam qui dormit in serico. Mortuus est Christus, vt vitam daret tam sutori, quam Principi.

Rom. 14. 15.

Non despiciendum scandalum pusillorum & ignobilium.

63 Etsi pusilli & miseri, non propterea despiciendi. Magnis adiectis minis horum prohibuit scandalum ipse legislator Christus. *Videte*

Videte (inquit) *ne contemnatis vnum ex pusillis istis. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur, &c.* In quæ verba Ioannes Maior vetustus & versatus in omni Theologia Doctor. *Diligenter* (inquit) *animaduerte, ne contemnatis vnum ex his pusillis, dicendo parum est de multis fratribus; inopes & parui momenti sunt. est ignobilis idiota, sutor, aut faber:* quod tamen quotidie nostris dicunt Aduersarij à tempore Vincentij Bandelli, à quo huiusmodi Phrases loquendi, & despicabilia verba acceperunt. In Glossa ord. egregius est ille locus Ioan. Chrysost. in illa verba Pauli. *Non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Præter alia præclara hæc in nostrum intentum singularia habet verba. *Etenim vltimæ amentiæ est, quæ Christo pretiosissima sunt, & talia vt eorum gratia mortem obire non recusauerit, ita nos despicatissima arbitrari, vt ab escis propter ea non abstineamus. Hæc autem non ad illos tantum, sed ad nos, tempus esset vt dicerentur, qui proximi salutem despicimus, & illa Sathanæ verba proferimus. Dicere enim quid mihi curandum est, si ille scandalizatur, & ille perit? crudelitatis illius & inhumanitatis est. Neque mihi dixeris illum calceorum sutorem esse, alterum coriarium, statuarium vero alium; sed considera fidelem illum esse, & fratrem. Illorum namque sumus discipuli piscatorum, publicanorum, tentoriorum, opificum. Christus autem in fabrili domo educatus est, & fabri sponsam matrem habere non est dedignatus.* Animam habet, & sutor; & sartor, quam vel ædificatus saluet; vel scandalizatus perdat. Non est gratis præbendum offendiculum vt spiritualiter cadat, vel quod moueat ad ruinam.

Math. 18. 6.

Maior in cap. 18. Math.

1. Corin. 8. 13.

Chryso. in Glos.

64 Dimittenda iam tandem, hæc opinio, quæ licet admittatur in se mala non esse, mali speciem tamen habet, dum ad eam hi pusilli cum cæteris offenduntur. Quod omnes scandalizat, vndequaque bonum non videtur. Ex bono & perfecto tot Christianorum millia tanquam varia hominum genera offendi non possunt. Bonum non videtur, quod tam vniuersale generat scandalum. *Scandalum* (ni fallor inquit Tertull.) *non bonæ rei sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant nisi malam mentem.* At quis audebit dicere vniuersum populum doctum & indoctum, omnes vndique, malas habere mentes? nemo vtique. At, vt optime D. Thom. dixit, non solum à rebus, quæ vere malę sunt, abstinendum est, vt scandalum euitetur, sed ab eis etiam quæ habent speciem mali respectu infirmorum & pusillorum, licet in se bona sint. Ideoque Apostolum dixisse ait. *Ab omni specie mali abstinete vos.* Et pro-

Tacenda iam hæc opinio.

Tertull. li. de vel. Virg. c. 3. tom. 3.

1. Thess. 5. 22.

S. Thom. citat. ar. 1. ad 2. & lect. 2. in cap. 1. 1. ad Corinth.

Et propterea conuenienter positum fuisse in definitione scandali, *dictum vel factum*, non solum, *sed minus rectum*, *vt comprehendantur* (inquit) *tam illa quæ sunt secundum se peccata, quam illa, quæ habent speciem mali.* Cum ergo sententia hæc affirmatiua, etsi in se mala non sit, mali tamen speciem præ se ferat, per quam omnes scandalizat, abstinendum certe erat ab ea, & qui eam nollent tacere, vel inuiti erant cogendi vltima & diffinitiua eius explosione; cum nulla ex ea resultet Ecclesiæ vtilitas, sed innumera dissidia, iurgia quotidiana, scandala perpetua.

Humilis ad Tuam Beatitudinem supplicatio, vt pro tui muneris debito his tantis malis digneris obuenire.

§. XVIII.

65 Nunquam à sua sententia inculcanda desistent Aduersarij, donec definiatur controuersia.
66 Debere Sanctissimum Dominum hanc difficultatem tandem aperire.
67 Ad consolidandum, & consolandum populum Christianum.
68 Ad pacem comparandam.
69 Ad scandala remouenda.
70 Ad varia denique emolumenta.

Nunquam à sua sententia inculcanda desistent Aduersarij nisi controuersia definiatur.

65 AD te ergo (Pater Sanctissime) à quo tantæ cladis pendet remedium, orationem & vultus conuertimus, ad tuum solium confugimus, rogantes & deprecantes, vt tantis malis obuenire dignetur declarando clarè & apertè quid in tam longa concertatione, certo tenendum sit, & in tam molesta controuersia, ab omnibus sit credendum. Vltimum hoc solum est efficax tantorum malorum remedium. Quanta enim, & quam grauia adhibuerint consilia Pontifices Tui Prædecessores, quam varias statuerint leges Christiani Principes in suis Regnis, quibus pœnis terruerint Aduersarios multi ex orthodoxis Regibus, vt grassantibus, & quotidie exorientibus scandalis prouideretur, ex superioribus liquet perspicere, & quam parum profecerint licet iudicare. Nec Pontificum fulmina censurarum, nec Regum edicta, nec Principum minæ, nec à Prælatis pœnæ statutæ ab Aduersarijs potuit extorquere silentiũ, dum per Pontificiam tolerantiam eis loqui licuit, varias & sinistras literis Apostolicis adhibere explicationes, & sinuosis interpretationibus ad suam mentem adducere. Ita omnia testantur sæcula, ex quo hæc cæpit controuersia. Ita monstrant interpretationes Vincentij Bandelli aliorumque ad extrauag. Sixti IV. ita confirmant aliorum explicationes ad motum proprium Alexandri VI. ita palam

Iam docent glossæ modernæ, quas in primo Tractatu dixi Tuæ Beatitudini omnes fermè Aduersarios adhibuisse tuis de hac re constitutionibus. Dum ad huiusmodi interpretationes & effugia, vel minima patet rimula, nunquam à sua opinione inculcanda desistent. Eadem est omnium vox, eadem semita, & modus loquendi priorum ac posteriorum, præteritorum ac præsentium huius sententiæ fautorum; vno ore tenaciter dicunt suam sententiam veriorem, saniorem & tutiorem, alteram è regione falsam, erroneam, imo & hæreticam plurimi dixerunt, aliaque adiungunt per quæ tantos tumultus excitarunt vt verè eis accommodem illud Iuuenalis:

Nil erit vlterius quod eorum moribus addat — Iuuen. Satyr. 1.
Posteritas: eadem capient facientque minores.

Sola ergo tantorum malorum medela est, vt Tua Beatitudo libertatem hanc sentiendi pænitus auferat, & etiam quæ Spiritu Sancto dictante verior apparuerit sententia, populo fideli dignetur proponere credendam. Iam tempus est, vt non fluctuet amplius Christianus populus inter has vndas variarum opinionum, & in tot scopulos dissidentium collisi fideles quotidie non pereant.

66 Tu verus nauis Petri nauclerus quassatæ puppis membra cōsolidato, nostri maris fidelis Neptunus, motos compone fluctus, electus Dominici gregis pastor salutifero & sano pastu pasce oues tibi commissas. Inferiores pastores dubitant quæ sint salutifera pascua, nesciunt quidā an lateat anguis in herba, ferme hæsitabundi dubitant quo suos greges ducant, si hanc doctrinam propinent, si contrariam subtrahant. Nesciunt quomodo vniuersalia Decreta Conciliorum, & loca Sacræ Scripturæ de peccato originali explicent, nesciunt indubitanter quid in hac re fideles doceant. — *Debere Sanctissimum Dom. hanc difficultatē tandem aperire.*

67 Tuum ergo est, te decet pastorem supremum alios instruere, & quid doceant, ostendere. Tuo prædecessori, & in illo cæteris Pontificibus præcepit Christus, vt salutari doctrina fideles pascerent, dicens; *Pasce oues meas*, quod cum præceptum sit affirmatiuum, & in re graui, obligat oblata occasione. Sed magna prorsus nunc offertur, cum multi fideles in re tam graui vacillent, alij fluctuent, alij asserant, alij negent; nihilque certum in tanta putent controuersia. Cum cogeretur Constantinopoli 7. Synodus, vt de veneratione sacrarum imaginum tractaretur, in variasque opiniones distraherentur fideles, Imperator Constantinus, eiusque mater Irene Adrianum Pontificem per literas satis in Ecclesia laudatas rogarunt, vt adesse — *Ad consolidandum & consolandum populum.* — Ioan. 21. 18.

adesse vellet Concilio, vt sua præsentia, & sententia in re incertâ, certa doctrina proponeretur Christianis; debitumque eius in hac difficultate aperienda, modestè proposuerunt Pontifici. *Debitum enim* (inquiunt) *est Tuæ paternæ Beatitudini hoc facere. Agnoscit vero quia scriptum est, Consolamini, consolamini populum meum sacerdotes, dicit Dominus. Et labia sacerdotum custodiunt scientiā, & de ore eius egreditur lex, quoniā Angelus Domini exercituum est. Et iterum diuinus & veritatis prædicator Apostolus, qui ab Hierusalem, & circuitu vsque Illiricum prædicauit Euangelium, sic mandauit. Pascite gregem Domini, cum disciplina.* In tanta necessitate per Sacræ Scripturæ auctoritates Pontificem ad suum debitum exequendum adhortatur, in illa controuersia de cultu venerabilium imaginum meminerunt Pontifici debiti sui, esse consolari populum contentionibus afflictum, ex labijs eius promendam sententiam, ex ore eius egredi debere legem, per quam pascendus esset grex dominicus verâ disciplinâ. Hoc ipso nunc indigemus nos in controuersia graui, peruetusta, & molestiori, cultus, imaginum, festi, & mysterij Conceptionis Dei Genitricis. Consolari debes Pater Sanctissime populum fidelem, aperire digneris labia tua ad eructandam scienciam, quam custodiunt; fac nos audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus nostris, quia eloquium tuum salutiferum, & certum, per quod certa disciplina pascentur greges fidelium, & certo cognoscent quod teneant.

Constāt. & Iren epist ad Adrian. in princ. 7. Synod. tom. 3. p. 1. Conc. edit. Colon. Isaiæ 40. 1. Malach. 2. 7.

68 Ad Tuam etiam Beatitudinem spectat pacem Ecclesiæ procurare, quæ tam necessaria est his calamitosis temporibus, quibus cum hæreticis vndique confligatur, vt in vnum coadunati filij Ecclesiæ, eius inimicis se valeant opponere. Aliter namque timeri potest, quod & B. Gregor. suo tempore timuit, *Ne detrimentum aliquod (quod absit) sacerdotibus inter se discrepantibus sentiat.* Vnde Pontifices dixit vehementer Ecclesiæ paci debere incumbere. *In eius* (inquit alibi) *dilectione nos decet persistere, vt locum præbere discordiæ nullo modo debeamus.* Cum tanta ergo vigeat discordia in Ecclesia, & tantopere sancta pax perturbetur, tuum est (Pater Sanctissime) collapsam reparare, in vnum membra Ecclesiæ coadunare, vt vna & firma in eâdem sit compago concordiæ.

Ad pacem comparandam.

Gregor. epist. 5 ad Cyriacū Patriach. Constāt. tom 4. Idem epist. 47. ad eund.

69 Scandala etiam tanta tamque varia ad hoc Tuæ Beatitudinis animum inclinare debent, ad quæ resarcienda, vel ab Ecclesia tollenda ipsimet Summi Pontifices se teneri fassi sunt. Ita dixerunt in suis Diplomatibus plures Tui prædecessores in alijs materijs, sed

Ad scandala remouenda.

præcipuè

præcipuè in hac noſtra Alexander VI. dum pro ſui temporis ſedã-
dis ſcandalis, ex hac controuerſia orientibus conſtitutionẽ, *illius qui* Alexan.
ſe, ederet, ſuamq; obligationem ita faſſus ſit. *Nos* (inquit) *ad quos ex* VI. in Bulla
debito paſtoralis officij pertinet à S. Dei Eccleſia quantum nobis ex alto concedi- illius qui ſe.
tur, ſcandala remouere, volentes ſcandalis huiuſmodi (vt tenemur) opportunis remedijs occurrere. Nec obligationem hanc Tua negauit Beatitudo, ſed in vtraq; Tua conſtitutione ex debito Tui Paſtoralis officij, & muneris, ſcandalis huiuſmodi Te prouidere voluiſſe affirmas. Sed, proh dolor, Beatiſsime Pater, adhuc durant, vt experientiâ ipsâ manifeſtat, & ſine dubio perſeuerabunt, & grauiora in dies exorientur, niſi vlteriori remedio reſcindantur, & diſcordiarum radices penitus euellantur, quam Deus inſpirat, ſententiam definiendo, & libertatem ſentiendi vel loquendi vni ex duabus partibus auferendo.

70 Quod vt Tua Beatitudo faciat, commouere debent ſecreta & Ad alia
inteſtina Eccleſiæ exoriẽtia & pullulantia pericula. nam vt Concil. varia emolumenta.
Trid. ait; *Rom. Pontifex ſollicitudinem vniuerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui ratione* Trid. ſeſ.
habere debet, & ſollicite eius diſſentionibus & periculis obuenire, *Pa-* 24. c. 1.
cis & diſcordiæ remedij neceſſitatem patientibus, Pontificale conuenit adeſſe ſub- Gregr. Epiſt. 18.
ſidium. Hæretici etiã in Beatiſs. Virginem temerarij, vt eius honori ad Candidum
in omnibus detrahant hanc illi, non ſolum opinatiuè, vt Catholici tom. 4.
aduerſarij, ſed & aſſertiuè & diffinitiuè negãt, vt ſuperius retuli, quibus iuſta & laudabilis fiet oppoſitio, ſi ſecundũ communẽ Cathol. Eccleſiæ mentem, contrariũ Tua Beatitudo diffinierit, & Dei ſponſam à tanta liberet maculæ ignominia. *Tu amice ſponſi, prouidebis quo* Bernard.
modo liberes ſponſam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Periculum auertes Epi. 189. ad Inno-
etiã in varias, circa hanc materiam, erroneas, temerariaſq; propoſi- cent.
tiones incidendi circa cultum eiuſdem Virginis per quam pax Dei facta eſt in terris. Regem Cathol. Philippum humilem tuum filiũ, optimè de Eccleſia meritũ ſummopere conſolaberis, & ingenti afficies gaudio, ſi in honorẽ Virginis, quod orat, obtineat, & confidentiam adijcies vt pro Eccleſiarum ſui Regni neceſsitatibus ad hanc Sedem ſemper recurrat. Satis per tot ſæcula in hac controuerſia pugnatum, ſatis hinc inde perpeſſum eſt laborum, & moleſtiarũ, quin ad deſideratum exitum in hac re poſsit perueniri. *Ego pro tantis malis* Bernard.
(vt verbis Bernardi iam tandem prolixam orationem claudã) *tan-* Epi. 256. ad Euge-
quam Chriſtianus & fidelis, meliora ſperabo, & omne gaudium æſtimabo quod in nium.
varias tentationes incidimus. Reuera panem doloris comedimus, & potati ſumus vino compunctionis. quid diffidis amice ſponſi, quaſi non more ſuo vinum bonum

seruauerit vsq; adhuc benignus & sapiens sponsus? quando magna bona mortalibus prouenerunt, quæ non magna præuenerunt mala? nam vt cætera taceã, nonne
Ioan. 21. *illud vnicum & singulare beneficium nostræ salutis præcessit mors Saluatoris? Tu ergo amice sponsi, amicum te in necessitate probato; si triplici illo amore, de quo interrogatus est prædecessor, tu quoq; toto corde, tota anima, tota virtute Christũ diligis, vt oportet. nihil seruabis, nihil dissimulabis in tanto periculo sponsæ eius, sed quicquid habes viriũ, quicquid zeli, quicquid sollicitudinis, quicquid authoritatis, quicquid potestatis impendes. singulare periculum singularem exigit operam.* Consideret, oro, Tua Beatitudo qualis & quam magna sit præsens necessitas, cuius sit negotium secum contempletur, & iam tandem per Te amice Sponsæ (Pater Beatissime) Maria Dei Genitrix debito, & digno post tot sæcula gaudeat honore.

Tractatus Doudecimi Finis.

Continuatio Historiæ.

PRopter crebra, & solemnia vota ac iuraméta quibus se obstringebant illustr. Hispaniarum Academiæ, opulentæ & populosæ Ciuitates, Catholica atq; integra Regna ad tenendam, & tuendam opinionem de immacul. Concept. Mariæ quidam ex affirmatiuæ sententię fautoribus dolétes eam ita publice, & irreuocabiliter à tot Communitatibus & populis relegari, statim voluerunt in dubium vocare horum votorum valoré, & qua potuerunt arte irrita reddere, demum & nulla esse persuadere. His adfuit dentata charta, sed anonyma, & absque liminari pagina vespertilio quidam Aesopicus Cæsaraugustanus, qui neq; in muribus plane, neque in volucribus erat aperte, qui ita se fingebat immaculatam probare Virginis conceptionem, vt tamen secreto quicquid in eius commendationé, & obsequium præstaretur ab Hispanis, improbaret, & tam alienum à sua sententia scriptum ediderit, vt merito dixeris Γραφὴ τε καὶ Λευκαῖος οὐ ταὐτόν quod Scriptura & Leucæus non sint idem; & hominem modo palliatũ, modo togatum in vtraq; nutare sententia. Sed agnito ex vngue leone è fimbria detecto, iudicarunt, qui edentulis scriptis, & temperatis calamo & atramento, quiue asperius in hominem scripserunt. Commota est Ciuitas, vt supra dictum est inter nuperiora scandala, & contendentibus inter se Gubernaarchis ad quodnam spectabat tribunal, lites componere, & de egregio hominis opusculo sententiam dicere, consuluntur supremi Iudices Maioriti, & de votis non nuncupandis in Aragoniæ Ecclesijs (quibus

Vide Varon in Agathone apud Nonium

Vide Manut. adagia.

bus edendis fermè omnes, earumque Rectores præcipuè Cæsaraugustanus inhiabant) egerunt quidam per internuncios apud Sanctissimum Dominum. Alij contra iam præstita obloquebantur in Vrbe, & an obligabant ventilare, imò & audentius intentare cæperunt vt Sanctissimus Dominus, & promenda vetaret, & nuncupata annullaret. Quibus sequenti Tractatu obuenit Episcopus, & inanes illorum rationes cogitatusque dissoluit.

ORATIO DVODECIMA
AD S.MVM D.NVM
PAVLVM PAPAM V.
TRACTATVS XIII.

Pia iuramenta, & vota, quæ hoc nostro sæculo fiunt de tuenda, & tenenda immunitate V. Mariæ ob originali peccato, licita esse, & laudabilia, & à S. R. Eccl. debere omnino opprobari, & stabiliri.

BEATISSIME PATER,

1 REm claram, & manifestam amplius probare non erat necesse, nisi quidam nuperrimè eam vellent in dubium vocare. Hi sibi firmiter proposuerunt nihil admittere, per quod vel à propria deijciantur sententia, vel contraria aliquantulum commendetur doctrina. Vident grauissimorum Doctorum assensum, illustrium Academiarum conspirationem, amplorum Regnorum subscriptionem, & totius ferme Christiani orbis consensum, plurimum tribuere authoritatis, & firmitatis opinioni neganti Virginem originale aliquando contraxisse peccatum: quod dum impedire non possunt, saltem obuiare conantur, ne generalis hęc omnium sententia iuramento firmetur, aut emisso voto in sempiternum stabiliatur; vana spe ducti, fieri aliquando posse, vt populus Christianus à pio, & vero hoc sensu discedat, & illi contrariam publicis locis interdictam, introducant doctrinam. Quare sibi instandum, & laborandum censuerunt, vt emissa vota irritentur, & emittenda præpediantur, ne vniuersus orbis in tantam iuret sententiam, & illorum ab omni terræ angulo exulet opinio.

Studium Aduersar. in his votis irritandis.

Sed vt videat Tua Beatitudo, quam iniusta sit hæc eorum suggestio, quam inania, & nulla illorum fundamenta, quibus piam, & laudabilem hanc fidelium in Virginem suæ deuotionis demon-

ſtrationem è medio tollere, vel calumniari contendunt, rem omnem vetuſtate laudatam, pietate commendatam, multarum communitatum exemplis probatam, & ritui, regulisque Eccleſiaſticis conformem eſſe oſtendam, & quod in contrarium obijci poteſt, clarè diſſoluam.

Antiquam eſſe conſuetudinem in plurimus Regnis, & Communitatibus hæc vota emittendi.

§. I.

2 Antiquam eſſe conſuetudinẽ hac vota emittendi in Academia Pariſien.
3 In Colonien.
4 In Valentina, & Vrſanen.
5 In Catalonia, & Aragonia Vniuerſitatibus.
6 In Moguntina.
7 Idem vouerunt ciuitas Senarum & Reges Catholici.
8 Aliæ pleræque Communitates, Religioneſque integræ Fratrum, & Monachorum.

Academia Pariſien. votum hoc emiſit. Et exigit à promouendis.

2 MAgna eſt rei cuiuſpiam, vel facti commendatio, à maioribus, vel priſcis temporibus in vſu, vel obſeruatione fuiſſe; nec vllus reſtat iunioribus ſcrupuli locus, dum maiores, ſeu priſci Doctores, ac præclariores Academiæ omne errandi periculum ſuo exemplo remouerunt. Circa annum 1388. vt putant quidem Chronographi Gallorum, quibus ſubſcribit Iacobus Bordanus tom. 2. ſuæ Chronologiæ, vel circa ann. 1383. vt habent Ioan. à Lapide Carthuſien. in præmonition. ad ſerm. Meffret. & Bernard. de Buſtis ſerm. 8. de Concept. p. 2. ſiue quod verius iudicant alij. ad annum Dom. 1330. ſiue paulo ante, & propius ad Scoti tempora, vt ſubindicat Ioann. Baccon. in 4. diſp. 2. quæſt. 4. art. 3. qui circa idem tempus floruit, quod & alij volunt, præclariſsima Academia Pariſienſium voto publico, & ſolemni emiſſo de ſectanda ſemper, & docenda hac opinione, ſtatuit ne in poſterum contraria ſuis propinaretur alumnis, & ad annum Dom. 1388. vt habet citatus Bondanus, ob coërcendam nimiam quorundam Prædicatorum, & Magiſtrorum licentiam in docenda, & inculcanda affirmatiua, & condemnandâ negatiuâ, legem tulit, ne vllus ad Magiſterij, aut Doctoratus, vel alios quoſcumque Litterariæ dignitatis gradus admitteretur, niſi prius publicè voueat, ſe nullo vnquam tempore docturum Mariam in peccato fuiſſe conceptam. Quod infallibiter ad vſque hæc noſtra tempora obſeruatur, per quod euenit, vt moleſtè, & grauiter feratur per florentiſsimum Galliæ Regnum, rem hanc in controuerſiam deduci.

3 Paulo

3 Paulo poſt publicam illam diſputationem Lutetiæ Pariſiorum habitam, aliam habuit Ioannes Scotus Coloniæ Agrippinæ cum diſcipulis Alberti Magni congreſsionem de Virginis Conceptione, in qua tanta dexteritate, & laude ſe geſsit, vt ibidem ſubtilis Doctoris cognomen aſſequutus ſit, vt Petrus Rodulphus teſtatur lib. 2. ſuæ hiſtor. & obinde, vel circa illud tempus crediderim apud Colonienſes inualuiſſe hanc opinionem, circa quam poſtea fecerant illud ſuum de hac re ſtatutum, idem cum Pariſienſ. vt de eiſdẽ referunt, & indicant Trithem. in ſuo Chron. Spanhem. ad ann. Dom. 1494. & ad ann. Dom. 1501. Lauren. Surius in ſuis Comment. & conſtat ex actis ſiue ſtatutis ipſius Vniuerſitatis ad ann. Dom. 1496. & 1469.

Colonien. idem vouit.

4 Vniuerſitas Valentina in Hiſpania idem votum à multis retro annis à ſuis exigit alumnis, dummodo ad Doctoratus apicem velint conſcendere; vt teſtantur præ cæteris Franciſcus Suarez. tom. 2. in 3. par. diſp. 3. ſect. 5. §. ſecundum fundamentum. Gabr. Vaſq. in 3. par. diſp. 117. cap. 6. §. Dico autem, & alij; quod etiam vt obſeruaretur in Academia Vrſanen. Statuerunt ante centum annos eiuſdem Duces & Patroni.

Valentina, & Vrſanen.

5 Sub annum Dom. 1394. in Cataloniæ Principatu, & Regno Aragoniæ, (vt in alio Tractatu relatum eſt) ſub Ioanne primo Rege, & ſæpius poſtea ſub ſuccedentibus Principibus, ſtatutum eſt Immaculatæ Conceptionis refragantes, non ſolum cathedris, vel officijs, ſed & ipſo Regni incolatu indignos eſſe cenſendos. Et ſpecialiter Academiam Barchinonenſem priſcis illis temporibus votum hoc emiſiſſe, & in futura ſæcula obſtrinxiſſe, vt ſui Doctores, Cathedratici & Magiſtri idem emitterent (quamuis aliquorum incuria, vel aliorum induſtria, conſuetudo hæc per aliquot anteriores annos exciderit) teſtis eſt publica relatio de iuramento facto anno Domini 1618. ad Regem Catholicum miſſa, & typis data, in qua Regij Conſules, & Miniſtri; & Academiæ Doctores admonent, ſe non nouum, nec apud ſe inauditum edere votum, ſed antiquum, & multis ante actis annis emiſſum renouare, & reiterare. Idem etiam prænotatur in authentico teſtimonio Apoſtolici, & Regij Notarij, & Barchinonenſ. Archiuarij de vetuſta, & memorabili tabella, in antiquæ deuotionis illius Ciuitatis commendationem ex illius Archiuo extracta, anno proxime citato.

Principatus Cataloniæ, & Regnum Aragoniæ.

Academia Barchinonen.

Academia Moguntina. 6 Academiam etiam Moguntinã anno 1501. idem vouisse, testis est illustris Chronologus Lauren. Surius supra citatus, quam ait, *imitatam Parisienses, & Colonienses Theologos, omnino decreuisse, & statuisse sentiendum Beatissimam Dei Genitricem semperque Virginem Mariam, quam ex omni æternitate sibi matrem delegit filius Dei, sine labe originalis peccati conceptam, idque singulari quodam priuilegio.* Et quibusdam interiectis rationibus, addit. *His atque alijs permota facultas Theologica Moguntinæ Vniuersitatis, grauiter sanciuit, deinceps neminem in ea Academia promoueri debere in Sacra Theologia, nisi iuramento interposito, prius fidem dederit, se diuersam opinionem, neque animo retenturum, neque quouis modo approbaturum.* Hæc Surius; cuius verba placuit referre, vt ex eis pateret vis & forma iuramenti præstandi à promouendis in illa Academia Doctoribus, de, non solum in publico, non docenda opinione affirmatiua, sed nec in secreto mentis arcano credenda, vel tenenda.

Ciuitas Senarum. 7 Circa ann. 1520. Ciues Senatumque Senarum in Italia in magna duraq; hostium obsidione Sanctissimam Dei Genitricem sub Immaculatæ Conceptionis honore inuocasse, votumque emisisse de celebrando festiuius eius immaculatum conceptum; testis est Ambros. Cathar. Ordin. Prædic. Senen. vt in Tract. de scandalis Tuæ Beatitudini retuli.

Idem sub voto promisisse in expugnatione Granaten. Catholicos Reges Ferdinandum, & Elizabetham commemorant quidam, qui eorum res gestas posteris tradiderunt. Ita præ cæteris refert Bernard. à Bust. serm. 9. de conc. par. 3.

Aliæ Academiæ & Ciuitates. 8 Alias præter iam relatas Vniuersitates ferunt antiquitus idem iureiurando obfirmasse, de quibus nihil certo affirmandum duxi, dum firmũm, aut graue classici auctoris non suppetat testimoniũ, ob quam etiam causam, pleraque non refero de alijs Regnis, & Ciuitatibus: *Quædam Religiones.* quamuis prætereundum non censeam sanctam, & laudabilem in quibusdam Religionibus morem, in ipsa solemni professione vouendi, de immaculata Conceptione Virginis sectanda, & tenenda. *Sanctimoniales Conceptionis.* Expresse hoc promittũt Sanctimoniales Ordinis Conceptionis, dum ex approbatione Ecclesiæ vouent semet sub eo victuras, & vitam illam obseruaturas ob amorem, & seruitium Sanctæ Conceptionis absque vlla macula, Dei Genitricis. Fratres etiam Præmonstraten. *Fratres Premonstraten.* id suo habitu, & vitæ genere spondent, quæ in huius veritatis attestationem in Ecclesiam sunt introducta, & ab eadem admissa, vt latius aliàs Tuæ Beatitudini ostensum est.

Aliæ

Aliæ ſunt etiam Religiones, in quibus eadem opinio ſpeciali voto, ſeu ſtatuto cauetur firmiter tenenda.

Hinc colligere licet, & manifeſte videre, quam antiqua conſuetudine ſit hæc norma votorum commendata, quanto grauiſsimarum Academiarum, & religionum exemplo firmata, & priſcorum ſtatutis corroborata, vt nulla modò adeſſe poſsit præſumptuoſæ nouitatis ſuſpicio, nec indiſcretæ, aut ſuperſtitioſæ deuotionis formido.

Quantum expedierit Chriſtianæ deuotioni, pietati, & paci priſcis illis temporibus hæc vota emiſiſſe.

§. II.

9 Vota hæc deuotionem auxerunt.
10 Pietatem aluerunt.
11 Pacem ſtabilierunt.
12 Quales ante vota antiquæ ſimultates.

IN Tractatu de ſcandalis plura grauiſsima hoc vnico remedio ſedata fuiſſe oſtendi Tuæ Beatitudini, eaque per longos annos viguiſſe ante facta ab Academijs ſtatuta. Experientia ipſa poſtea comprobatum eſt, & compertum in ijs regionibus, in quibus ex data fide ſola opinio negatiua docebatur, nec tot exorta ſcandala, nec excitatos tumultus, nec paululum in Virginis Deiparæ deuotione populos profeciſſe.

9 Non parum profecto iuuat cuiuſque populi, ciuitatis, vel regni *Vota hæc deuotionē auxerunt.* deuotionem in re quapiam celebranda, aut Sancto quouis colendo, quod videat à doctiſsimis Academiarum Viris, vel à primoribus Regnorum monarchis, aut ſpectatis Ciuitatum proceribus, præſtito iuramento firmiter credi, & tenendum mandari, quod eo vſque ſub pietate quadam, probabiliter tantum, abſque omnimoda, de non errando, ſecuritate vel certitudine ſunt amplexati. Libentius celebrant, quod ſecurius iudicant; dum ad ſapientum, & Doctorum hominum ſponſionem publico iuramento firmatam metum omnẽ excutiunt erroris. Ante prima illa vota Pariſienſiũ, & Colonien. ſub magno dubio res verſabatur, & ſub ancipiti iudice erat controuerſia, tot hinc inde obloquentibus immunitati Virginis, alijs è regione ſuffragantibus, & in multis Eccleſijs eandem colentibus. Non quieſcebant animi, nec tam certi reddebantur de Myſterio colendo, vt intrepidi abſq; deceptionis formidine ad eius cultum accederent fideles, donec facultatis Theologicæ proceres nuncupato iuramento ſpoponderunt pro veritate, ſeque ei firmiter

adhæsisse, suosq; in æuum posteros indubitanter adhæsuros. Idemque euenit in cæteris locis, ac oppidis, in quibus primitus hæc vota effundebantur, per quæ in Virginem affecti, iam non sibi videbantur fluctuare inter res vndequaque dubias, sed quam sapientiores, & primores in republica certo, & indubitanter sectabantur sententiam, iudicarunt esse intrepide amplexandam, & deuotius colendam. Euenitq; ita vt tanto feruore, & deuotione hoc Mysterium frequentaretur in illis regionibus, vt breui aliæ nationes illarum allecti exemplis, idem sibi statuerint celebrandum. Tantus fuit deuotionis cumulus, vt altaria, templa, delubra extruerentur in Conceptionis Immaculatæ testimonium, donec in ipsa Romana arce, & Ecclesiæ vertice eadem admitteretur festiuitas. Magnum & præcipuum huius deuotionis, si non principium, saltem incrementum in hæc vota referendum est, per quæ populus de veritate reddebatur securior, & in cultum fiebat propensior.

Pietatem aluerunt

Nyssen. in exposit. Ora. Dom. orat. 2. in princ.

10 Pietatem etiam aluisse hæc iuramenta, & vota ex ipsa eorum natura, & essentia facile est ostendere, quàm hac definitione exprimit Gregor. Nyssen. *Votum est promissio alicuius rei, quæ pietatis nomine dedicetur, & sacris destinetur.* Qui vouent ergo, se semper de Virginis Mariæ conceptione piè, & benè sensuros, & absq; originalis culpæ fœditate factam esse credituros, eoque sensu eius festum solemnius celebraturos, pietatem in se fouent, suum sensum & assensum sub pietatis nomine, & incremento Deo dedicant, & sacris destinant. Certè *familiaritatem quandam cum Deo sibi conciliare*, eos qui sua vota ei nuncupabant, docuit Chrysost. Qui obinde asserit Prophetam Dei nomine hominibus dixisse. *Redde altissimo vota tua, & inuoca me, &c. Volens, inquit, in nobis efficere maiorem familiaritatem, & vehementiorem, quæ cum eo intercedat amicitiam, dando, inuocando, & accipiendo.* Hinc collegit D. Thom. illius sui articuli solutionem. *An expediat aliquid vouere?* cui respondit affirmatiuè, *quia promissionem*, inquit, *Deo facimus non propter eius vtilitatem, sed propter nostrã,* quod probat ex Augustino, dicente; *Benignus exactor, & non egenus est Deus & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores.* Et subiungit; *Sicut id quod damus Deo, non est ei vtile, sed nobis, quia quod ei redditur, reddenti additur:* (quod item confirmari ex Augustino citato docet) *ita & promissio*, inquit, *qua Deo aliquid vouemus non cedit in eius vtilitatem, qui à nobis certificari non indiget, sed ad vtilitatem nostram,* vtilitatem ergo magnam, & non exiguum pietatis incrementum eos, qui hæc tam pia vota in Virginis hono-

Chryso. hom. in Psal. 49. tom. 1.

Ps. 49. 14.

S. Thom. 2. 1. q. 88. art. 4. in cor.

August. epist. 45. post. med. to. 2

honorem,& cultum emiserunt,accepisse credendum est,dum suam pietatem in Dei matrem ostendentibus, & piè sua vota reddentibus, magnum pietatis cumulum reddere, & addere soleat Deus, qui in se crescere votorum facit redditores. Dando Deo vota sua, & spiritualem accipiendo pietatis profectum in retributionem, cum Deo contrahunt familiaritatem maiorem, & vehementiorem amicitiam.

11 Pacem etiam hæc vota stabilierunt in illis Regnis, nam dum libere cuiq; siue Doctori,siue Magistro,aut Magistratui quamlibet opinionem sectari licebat,inter diuersa opinantes,variæ oriebantur contentiones & rixæ. Vitia hæc esse disputantium, & inter se de aliqua re concertantium,docuit August. ad Paulinam, scribens se propter illa tunc abstinuisse ab exactiori discussioné, de modo quo Deus videatur à Beatis, vel ea conditione disputationem aggressurum; *Si de hac re* (inquit) *disputantes illis vitijs carere possumus, quæ plerumque studijs humanis, & concertationibus excitantur, dum supra quam scriptum est, vnus pro altero infletur aduersus alterum, ne dum altercando quærimus vestigare quomodo possit videri Deus, ipsam pacem Sanctificationemque perdamus, sine qua nemo poterit videre Deum.* Et Epist. 174. ad Pascatiũ, & l. de Agone Christia. c. 17. repetit in disputationibus vitium illud commune esse; sed in disciplina Christiana maxime fugiendum,quod & D. Ambr. l. 1. de offic. c. 21. tom. 4. inculcat.

Pacem stabilierunt.

Vitia disputantium.

August. Epistol. 112. ad Paul. tom. 2.

12 In Parisien. vero Academia,in Aragoniæ Regno in alijs etiam plerisque Regionibus quot fuerint simultates, & efferbuerint contentiones, & rixæ in magnum animarum scandalum & iacturam, ante vota emissa, & statutas leges de non defendenda, aut inculcanda affirmatiua sententia,in Tractatu de Scandalo Tuæ Beatitudini ostendi,experientia etiam ipsa comprobauit,& illorum temporum referunt historiæ. Vt autem nuncupato voto de tuenda semper sola negatiua, Decretum emiserunt vel Academiæ, vel Regna, ne ad cuiusuis dignitatis, vel facultatis gradum conscendere cuipiam liceret, qui præmisso iuramento fidem non daret de affirmatiua deinceps non defendenda; & in vnam sententiam præcipui Magistri,& omnes Laureati, & consequenter eorum discipuli abierunt,sublata est omnis discordiæ causa. Quo optimo & facili remedio inter orthodoxos Magistros, & Doctores firmata est pax, & stabilita concordia, quod & quotidie ex votis, quæ nunc emittuntur, cernimus euenire, vt amplius ostendam inferius. His certè votis accreuit

Quales ante vota antiquæ simultates.

deuotio,

deuotio, incrementum accepit pietas, & augmentum non modicum ſortita eſt Chriſtiana concordia.

Quot & quales Academiæ, Prouinciæ, Ciuitates, & Communitates his annis proximè elapſis prudenter, & piè hæc vota emiſerunt.

§. III.

13 Tumultus Hiſpaniæ aliquantum ſopiti per hæc vota.
14 Vouent Luſitaniæ Regnum, Principatus Cataloniæ, & multæ integræ Ciuitates.
15 Eccleſiæ etiam cathedrales mult. aliæque inferiores.
16 Præclariores demum Academiæ.

Tumultus Hiſpaniæ aliquantū ſopiti per hæc vota.

13 QVinq; ab hinc annis noui illi & moleſti tumultus à malo genio excitati ſunt in Hiſpania de hac controuerſia, qui indies excreſcentes, & per plurima Regna ad remotiſsimos Indos vſque periculosè graſſantes aliter ſopiri, vel tantillum leniri non poterant quam per huiuſmodi votorū emiſsionem. Multi ergo conſiderantes infælicem, & dirum illorum Regnorum ſtatum, & turbulentos diſsidij euentus, propriamque calamitatem comparantes cum Gallorum aliorumq; tranquillitate, qui eam adepti ſunt non aliter, quam per vota, & ſtatuta relata, ſecum & cum ſuorum locorum Prælatis, & Doctoribus conſilium inierunt de ijſdem votis edendis, & legibus ferendis, vt infirmiori, minus piâ, & improbabiliori reiecta ſententia, omnes abirent in vnam, circa quam omnis ceſſaret controuerſia, & populorum tollerentur diſsidia. Bonum viſum eſt in oculis cordatorum hominum conſilium hoc, & quantocius opere exequendum. Cœperunt quidam ex tempore, tam propter ingruentem neceſsitatē, quam propter laudabilem in Virginem affectum ſua vota depromere, quos breui imitati ſunt alij, donec præcipuæ Ciuitates, Academiæ, & Regna hoc idem ſuorum malorū remedium aſſumpſerant, per quod, & ſuis cauebant alumnis, & pia ſua obſequia expandebant in Virginem.

Vouet Luſitaniæ Regnum.

Renouet Cataloniæ ann. 1618.

14 Regnum integrū Luſitaniæ, amplum & pium, præſente Catholico Rege in generalibus comitijs iſthoc iurauit anno proximè elapſo. Principatus Cataloniæ adſtante Prorege, Proceribus, Prælatis, & Clero idem votum antiquitus emiſſum redintegrauit. Caſtellæ Regna Regem Catholicum in Luſitania degentem, per litteras rogarunt, vt ſuis plenis Comitijs vellet intereſſe, in quibus idem ſtatuerant vouere pro ſe ſuiſque longe lateque patentibus ditionibus. Quo fiet, vt iam in Hiſpania hic erit vnus omnium ſenſus, &

conſen-

conſenſus in regimine, & ſtatu ſæculari. Iam multæ integræ iurarunt Ciuitates, nec earum deuotionis feruor permittebat, vt votum ab vniuerſo Regno nuncupandum expectarent. *Multæ vouerunt Ciuitates.*

15 In multis etiam grauiſsimis Eccleſijs cathedralibus ſancitum eſt, negatiuam ſententiam teneri, & defendi. Anno 1617. ita ſtatuit, & vouit Hiſpalen. cum ſuo Archiepiſcopo, & toto Clero Beneficiatorum. Anno 1618. Barcinonen. præſentibus Archiepiſcopo, & omnibus ferme Epiſcopis tractus Tarraconen. Anno 1619. Compoſtellana in plena totius Archiepiſcopatus Synodo. Cæſarauguſtæ Eccleſia Sanctæ Mariæ del Pilar, ſua vetuſtate, & fundatione ſatis commendata Olmedo totum grauiſsimæ Eccleſiæ præſbyterium eandem ſententiam ſe defenſurum iureiurando promiſit. Eandem dederunt fidem ſub illis annis plurimæ Eccleſiæ particulares oppidorum, villarum, præſidiorum, Parochiarum, monaſteriorum, tam monachorum, tam ſanctimonialium: multæ etiam confraternitates, & congregationes quorum nomina, & votorum forma, & tempus in promptu ſunt, quæ in tanta multitudine non licet ſpeciatim referre. *Eccleſiæ Cathedral. & aliæ Inferiores.*

16 Academiæ demum, quarum ſententia in re Scholaſtica, & Theologica pluris eſt facienda, idem vouerunt. hoc omniũ fermè grauiſsimarum, & præclariorum Vniuerſitatum eſt votum de Maria ab originali labe vendicanda, & de ſuis imbuendis alumnis hac pia, & grata doctrina. Ita ſtatuerunt ſub an. 1617. Hiſpalen. Compluten. Eboren. Baëſen. an. 1618. Salmanticen. Granaten. Valliſoletana, Neapolitana, Panormitana, Barcinonen. cum annexis ſuis Collegijs, & 1619. Seriden. cum alijs pleriſque intra, & extra Hiſpaniam, in Inſulis, & apud vtroſque Indos occidentales, & orientales, ita vt iam omnium ferme Vniuerſitatum, quæ Hiſpaniarum ſubiacent Imperio hæc vna ſit ſententia, de qua defendenda, tenenda, & docenda, qui prius præſtito iuramento fidem non dederint, in ijs ad gradus quoſcumque facultatum non poterunt aſcendere. Quibus ſi annumeremus Vniuerſitates Galliæ, & Germaniæ, paucæ ſupererunt, quæ ſimile non ediderint ſtatutum, ſaltem nulla ferme erit in qua affirmatiua doceatur, dum omnes teſte ipſo Barthol. Medina Ordin. Præd. ad 3. p. q. 27. huic ſententiæ ſuffragentur, in ijſque Viri docti, & magni eam ſequantur. *Præclariores Academiæ.*

Sæculares ergo Principes conuenerunt in vnum cum Eccleſiaſticis, & Eccleſiæ cum Academijs in voto hoc nuncupando, vt iam dubitari

dubitari non poſsit, Deo beneplacitum eſſe, & acceptum, & vndequaque licitum, & quod iuratur à tantis orthodoxæ fidei Doctoribus, & Magiſtris, eſſe omnino verum, & certum. Vota quæ diſtinxerunt labia tantorum, tanta tamque matura conſideratione præmiſſa, non veniunt facile irritanda.

Quam ægrè tulerint hæc vota Aduerſarij, & quanto conatu quibuſq; argumentis ea ſtuduerint irritare.

§. IIII.

17 Infringere curant hæc vota Aduerſarij.
18 Inuehuntur in Academias, & in eos, qui hoc ſæculo vouerunt.
19 Quanta induſtria, & quibus rationibus ſtuduerunt hæc vota irritare.

Refragantur his votis Aduerſarij.

17 FAcilè perſpexerunt affirmatiuæ ſententiæ fautores nihil ſibi tunc deterius potuiſſe euenire, nec alia quapiam arte magis ſuæ opinioni præiudicari, quam per illa vota & ſtatuta Academiarum, quæ dum impedire non poterant ne fierent, iam facta calumniari & irritare ſtudioſius intentarunt. Prima illa Pariſienſia ſæpè ſæpius irrita reddere, & floxipendere voluerunt, contra leges latas ab Academia, & præſtita à ſemet iuramenta prædicantes, & inculcantes abiuratam ſententiam, vt ex actis, & ſententijs latis in votifragos Ioannem à Monteſono, & Ioannem Veri, & ſeueriſsimo Regis Galliarum edicto in Conceptionis Immaculatæ refragatores, quorum ampliorem feci mentionem in Tractatu de ſcandalis, clarè conſtat. Fidem etiam datam Pariſienſibus de colenda, & celebranda Immaculata Conceptione in ipſo ritu, celebrationeque tanti Myſterij non ſemel fregerunt, vt Ambroſio Catharino ſuos ex ipſo eorum cultu in Gallia conuincere conanti, obiecit ille, qui pro Magiſtro generali Prouinciam ſibi arrogauit ad rationes Catharini reſpndendi. Verba eius ſunt; *De rebus Pariſinis nemo eſt, qui melius loqui ſciat, quam ego, & ſcio vobis dicere, quod in tali ſolemnitate aliqui non celebrant; Aliqui, quando non eſt qui videat, id eſt, quando nullus adſtat, celebrant ſub titulo Sanctificationis; Alij tuſſiunt, & loquuntur intra dentes, ac nihil exprimunt; Alij pro meliori affectione, qua ad illud gymnaſium tenentur, quod decoxit ad ſæcem, celebrant ſecundum intentionem illorum capitoſorum. Et hæc ſatis ad illa, quæ dicitis de more Pariſino.* In quibus verbis quid magis notandum aduertam neſcio, ſi varium, & periculoſum modum celebrandi, ſi incompoſita, & iniurioſa verba referentis.

Videnda præfatio Cathar. ad capit. generale Prædicatorum ad med.

Referuntur à Cathar. in explan. controu. exortæ inter Senen. & Præd. §. defenſ. 3.

18 Alijs

18 Alijs ſimilibus loquelis, & duris verbis inuecti ſunt in Academias, quæ vota hæc emiſerunt, vel admiſerunt: Vinc. Bandelus Pariſienſes temerarios, & præſumptuoſos appellat, & Caietan. cæteras Vniuerſitates (quas multas eſſe fatetur) quæ aliquid contra ſuam ſententiam ſtatuerunt, dicit *contra Sanctorum, & communem priſcorum Doctorum doctrinam in his, quæ ſunt fidei præſumptuoſas eſſe.* Alij alias his addiderunt calumnias, quas doctè, & chriſtianè multi refellunt ex recentioribus, & quam longe recedat à mente Sanctorum ſententia affirmatiua, contra Caiet. oſtendunt. Grauiora paſſi ſunt, qui his proximis annis pro negatiua iurarunt. Multa in eos dixerunt Aduerſarij, Caietani aliorumque iam ſatis notam, ſed falſam, cantilenam reaſſumentes, aſſeuerabant temerariè, & præſumptuosè, imo & erroneè rem hanc aggreſſos, fuiſſe contra Sanctos Patres, & Doctorum torrentem, contra Scripturas, & Concilia. Plurimos Epiſcopos, Prælatos, & alios quoſcunque qui his votis emittendis fauebant vel aſtabant, iniuſtè carpentes. Ex ſuo penu quidquid latebat, extraxerunt, vt his votis opponerent, & populos à ſua deuotione retraherent.

Inuehuntur in Academias.

Bandel. tract. 2. contra Concep. Immac. Virgin. part. 2. rat. 12. Caietan. tract. de Conc. c. 5 §. quia ſcandaloſa.

Et in eos qui hoc ſæculo vouerunt.

19 Cum verò nihil ſe profeciſſe intellexerint, & iam vltima manus in hoc negotio edendorum votorum videretur apponi in generali Caſtellæ regnorum voto, in Comitijs pleniſsimis emittendo, omnem mouendum lapidem iudicarunt, & laborem omnem impendendum, ne nuncuparetur, nec in Ciuitatibus, aut Academijs, quæ superſunt ſtatueretur, quod in ſuprarelatis. Rationes ſatis debiles, aut futiles hinc inde collegerunt, ex quibus, quas ab ipſis, vel ab illorum fautoribus, & à quodam Cæſarauguſtano qui noſtrorum caſtrorum ſe fingit, audire, vel excipere licuit, ſubiungo.

Quibus rationibus hæc vota irritare ſtuduerũt.

Vota emiſſa inualida dicunt, & nulla de nouo taliter nuncupanda; quia votum vt obliget, & veri voti rationem ſortiatur, neceſsè requirit, vt ſit ſpontaneum, & voluntariũ, vt communiter docent Theologi, ſed vota hæc de tuenda Concept. Immaculata, violenta aiunt, & extorta, tum nimia quorundam diligentia, tum Epiſcoporũ, vel Prælatorum induſtria, qui Regi Catholico in Virginis Conceptionem Immacul. ſumme propenſo gratiã, vel obſequium velint præſtare, vt illius ſibi animum concilient; ipſumq; Regis deſideriũ de his votis nuncupandis vim plurimis intuliſſe, animoſque nolentium flexiſſe ferunt, dum nullus ſibi velit offenſum monarcham, Regiſq; voluntatis inſinuationem ſubditi reputent pro præcepto.

1. Argument.

Theologi ad diſt. 38. libr. 4. ſent. & ad 2. 2. D. Tho. q. 88.

2. Argument. Secundo, Contrairi dicunt Tuæ Beatitudinis Decretis in quibus liberam relinquis cuique facultatem, vt quam velit ſectetur ſententiam; in Academijs verò, & multis Eccleſijs, & Congregationibus ſancitum eſt, vt nullus ad earum gradus, vel dignitates admittatur, qui priùs non iurauerit ſe defenſurum Virginem fuiſſe ab originali reatu præſeruatam, per quod libertatem tollunt ſentiendi, & contrariam ſententiam, quàm Tua Beatitudo noluit reprobare, videntur penitus condemnare.

3. Argument. S.Thom. cit. art. 2. Tertio, Votum ſemper debet fieri de re meliori, vt cum cæteris Theologis docet D.Thomas, ſed non eſt melius voto ſe obſtringere ad credendum opinioni negatiuæ, quæ forſan eſt falſa (nec enim infallibiliter omnino eſt vera, cum non ſit determinata de fide) ſed ſatius eſt ei adhærere aſſenſu probabili, & opinatiuo, paratumque ſemper eſſe & liberum, vt Eccleſiæ proponenti quamcumque ex duabus opinionibus libenter credat.

4. Argument. Quarto, Qui vouent ſe ſemper credituros Virginis præſeruationem magnis ſe exponunt periculis, & ſcrupulorum cauſis: ex voto etenim tenentur eam credere quotieſcumque ſe occaſio obtulerit. Cùm autem hic actus credendi eliciendus, ſit circa myſterium ſupernaturale, auxilio indiget ſupernaturali, vt eliciatur. Hoc autem non ſemper habet homo certum, nec enim ex præcipiti hominis voto in re dubia, & quæ poteſt non eſſe vera, tenetur Deus illud ei ſemper quoties voluerit elargiri. Nec habitus fidei ſupernaturalis ad hos actus concurrit, cum ſint de re ancipiti, & forſan falſa; ille autem non poteſt intellectum inclinare, nec coadiuuare ad aſſenſum rei falſæ; quo fiet vt dum ex defectu auxilij ſupernaturalis credere non poſsit, facilè, & ſæpè euadat votifragus, & mendax.

5. Argument. Quinto, In rebus credendis, & doctrinis fidei, regna, & gymnaſia Catholica ſe debent conformare cum Eccleſia, & Vrbe Romana, vbi fidei ſedes eſt, & magiſter; nec terminos à Rom. Pontifice conſtitutos in doctrina quapiam, licet tranſilire: ſed nec Romæ, nec in eius ditione hęc iuramenta, aut vota præſtantur, nec Tua Beatitudo expreſſam dedit licentiam, aut facultatem, vt præſtarentur. Quare temerè ſine exemplo, aut licentia Romanæ fiunt Eccleſiæ.

6. Argument. Sexto, & vltimo. Votum eſt actus perſonalis, & eam perſonam obligat, quæ illud emittit; ſed in multis Eccleſijs, & Communitatibus non ſolum obſtrinxerunt ſe præſentes, ſed obſtrictos volunt futuros, & ſuccedentes in ijſdem congregationibus, pro præſentibus, &

bus, & futuris vota reddentes, & volentes, nolentes cogent adhærere negatiuæ tanquam certæ, & infallibili, tanquam si Tua Beatitudo non reliquerit affirmatiuam in statu, & terminis; in quibus ante vltimum Decretum vigebat, exceptis ijs, quæ in eodem sunt obseruata.

Hæ sunt potiores rationes, quibus retrahere conabantur fideles ab horum votorum nuncupatione, & Tuæ Beatitudini persuadere volebant, vt vota hæc nulla esse declaret, & præcipiat, ne alia fiant in posterum. Sed adhibitis responsionibus, videbit Tua Beatitudo quam inanes sint iudicandæ, & leuiores esse, quam vt propter eas aliquid vel minimum in tanta re sit innouandum.

Hanc vouendi consuetudinem iam olim ab Ecclesia approbatam fuisse ostenditur, & satis fit Aduersariorum rationibus.

§. V.

20 Plures Pontifices hæc vota patrocinati sunt.

21 Respondetur obiectionibus Aduersariorum.

20 QVi tot, ac tantas diligentias adhibuerant ne opinio negatiua tantopere præualeret, & tam acriter instant, ne hæc huius temporis vota fiant, illaque tot modis præpedire curarunt, credibile est laborasse cum Romanis Pontificibus cum prima illa vota emitterentur, vt prohiberentur, vel annullarentur; nihil tamen profecisse constat, quum eodem rigore, & integritate, qua facta sunt, in hunc diem obseruantur, & perseuerant. Præterea iudicandum est sincere, Academias illas, vel tunc Romanos consuluisse Pontifices de his votis promendis, vel saltem facta esse illis scientibus, & consentientibus; nec enim vllum ex ipsis ea reuocasse, vel irrita declarasse, aut commotum vel offensum, quia emissa sunt, aliquando dixit quispiam etiam ex ipsis Aduersarijs.

Vota hæc à Pontificibus patrocinata.

Nouimus etiam Innocentium VII. ad annum 1360. approbasse sententiam Academiæ Parisiensis latam in supra nominatum Ioannem Montesonum de retractando quod perperam de B. Virginis Conceptione prædicauerat, aduersus votum, & fidem datam in eadem Vniuersitate ex illius statuto. Eum ex Vrbe Parisios redire, & quæ contra Beatæ Virginis Conceptionem prædicauerat, reuocare compulit Pontifex, vt author est Rob.

Vide Gerson Epist. ad studentes Collegij Nauar. to. 1.

Rob. Guagninus lib. 9. de Francor. Regum gestis. Ioannes etiam Veri ad Summum Pontificem appellauit in alia simili lite cum eadem vniuersitate, vt referunt alij cum Corduba l.1. q.44. §. Nouerint vniuersi, & mihi ex processu authentico, quem apud me habeo in Vrbe constat, nec tamen à Pontifice exauditum, aut protectum contra Academia votum legitur, aut auditur. Cum Senenses votum illud superius relatum emiserunt de celebranda festiua Concept. Virginis in omni sua iurisdictione, & Dominio, ab omnibus in eo commorantibus, annuit, & consensit Summus Pontifex per Diploma Apostolicum, vt & ipsi Prædicatores votum hoc obseruarent, & vnanimiter cum Ciuitate celebrarent. Quod & fecerunt, vt refert oculatus testis Ambros. Cathar. in Præfatione ad Capitulum Generale sui Ordinis, & in explanatione controuersiæ exortæ inter Senen. & Prædicatores ad finem defensionis rationis secundæ; votum etiam Sanctimonialium de credenda, & tenenda semper Virginis præseruatione in ipsa publica, & solemni professione quatuor approbarunt Pontifices, vt sæpius Tuæ Beatitudini adnotaui, ex quibus patet Summos Pontifices hæc vota semper approbasse, & quoties occasio se offerebat iussisse vt nullatenus violarentur.

Salazar c.42. sub fine circa li 15.

21 Iniustè ergo maculati Conceptus assertores apud Tuam Beatitudinem instant de ijs modo reuocandis, vel prohibendis, sed & rationes, quas afferunt infirmæ sunt, & inanes. Ad primam ergo respondetur vota illa omnia quantum sciri, vel videri potuit, fuisse maximè spontanea, & voluntaria, nec vllum compulisse communitates illas ad ea emittenda. Quod manifestè patuit ex summa hilaritate, iubilo, & alacritate vouentium, libentissime ad vota sua nuncupanda accedentium: nec fuit notæ litteraturæ, aut probitatis Vir, qui reclamaret, aut vim sibi, vel suæ communitati inferri protestaretur. Nec facilè certè erat tot, ac tantas communitates, & adeo varias in diuersis Prouincijs hominum ætate, ac litteris prouectorum conditiones induci ad vouendum inuitos. Potuit vero fieri (quod non negabo) aliquos locorum Prælatos suos subditos ad hoc persuasisse, & leniter hortatos esse, vt in vnam sententiam piam, rationabilem, veram, ab Ecclesia tot modis, signis, voce, & cultu approbatam, omnes abirent, & iurarent; vt vel hoc remedio, & remouendo offendiculá, scandala tolerentur, pacarentur populi, & sedarentur dissidia.

Responde- tur argumentis Aduersariorum. Ad 1 Argument.

Libera hæc vota fuisse.

ſidia. Quod non eſt vota violenta, ſed rationabilia, & iuſta reddere. Quippe præmiſſa conſideratione, & ex rationabili, imo pænè neceſſaria cauſa, diſcuſsis, & agnitis commodis, & bonis exinde emergendis, facta ſunt, vel condita ſtatuta.

Ob Regis autem propenſionem, & affectum in Immaculatam Conceptionẽ impulſos, vel coactos fuiſſe Academicos eius timentes offenſionem, calumnia eſt in Regem & Academias. Nec enim Rex circumſpectiſsimus, & in fidei, & Eccleſiaſticis rebus moderatiſsimus, vllum in hac materia cogendum cenſuit, nec quicquam per literas vel per ſuos miniſtros præcepit, imo quando controuerſia hæc in Hiſpania cœpit acrius agitari, conſuluit omnes Vniuerſitates quid in hac materia faciendum iudicarent, quorũ arbitria ad Tuam Beatitudinem tranſmiſit; nec poſtea præceptiue, ſi ſuaſorie, cum Academijs quidquam de votis vel iuramentis præſtandis egit. Eius licentiam poſtulantibus, vel voluntatem explorantibus facile annuebat, & rem ſibi gratam præſtituros reſpondebat. Sed nec grauiſsimæ Academiæ tam facile ſe duci permittunt, vt contra rationem, vel ſuam ſententiam aut ſenſum, quippiam promittant ſub iuramento, aut lege lata ſtatuant irrefragabiliter docendum. Plus quam centum anni elapſi ſunt, in quibus permittere noluerunt omnes ferè, quæ modo vouerunt, Academiæ, vt vocetur in dubium Virginis ab originali præſeruatio. Et generalem, ſeu communem omnium Vniuerſitatum hanc fuiſſe ſententiam ab hinc 200. annis, publice & priuatim ex omnibus noſtri temporis ſcriptoribus aſſerit Eegid. Luſit. l. 3. de præſeru. Virg. q. 6. ar. 4. §. 2. Quæ ergo coactio aut violentia neceſſaria fuit, vt quod tam firmiter, & indubitanter per tot annos credunt, iubeant doceri, & voueant ſe credituros?

Rex nullũ cõpulit ad vouendũ.

Sed dato, quod tamen verum nullatenus eſt, Rectorum, vel Prælatorum perſuaſiones, & Regis deſiderium, aut tacitum, vel interpretatum præceptum vota hæc extorſiſſe, non aliter emittenda, niſi Regis timeretur diſplicentia, an obinde dicenda ſunt inuoluntaria omnino, & inualida? Nequaquam, cum plena libertas, & deliberatio, ſaltem ea, quæ ad voti valorem requiritur, in ijs votis non defuerit; nec coactio, quæ nulla fuit, fuerit magna, aut metus grauis cadens in conſtantes Viros. Imo plures ſunt grauiſsimi Doctores, qui vota tali metu extorta, quamuis adhunc ipſum finẽ timor incutiatur, valida, & rata eſſe dicant iure naturæ, & diuino.

Ex defectu libertatis non ſunt hæc vota inualida.

 Ita

Ita Siluester ver. Metus. q. 8. Sot. in 4. d. 29. q. 1. ar. 3. Medina 1. 2. q. 6. ar. 6. Aragon. de iust. & iure q. 88. ar. 3. & alij plures ex Theologis & Iurisperitis quos refert, & sequitur Franciscus Suarez tom. 1. de relig. lib. de essentia, & honestate voti c. 7. §. Nihil. & c. 8. conclus. 2. probaturque vel sumitur ex Aug. Epist. 48. & 50.

Ad 2. Argument. *Non aduersantur Decretis Apostolicis.*

Ad secundum, de obseruantia Tuæ Beatitudinis Decretorum facilè respondetur, vota hæc plurimum conducere, vt illa obseruentur; nec aliquid in illis contineri, quod Apostolicis sanctionibus aduersetur. Duo Tua Beatitudo decreuit, vnum ne opinio affirmatiua in publicis proponatur actibus: alterum ne impugnetur, aut vllum de ea verbum fiat. vtrumque in his votis strictissimè obseruatur. Nulla fit mentio affirmatiuæ; & negatiua, quàm publicè iubes doceri, promittitur teneri, & iuratur, quod nullo vnquam tempore affirmatiua, quam Decretum à publicis relegauit actibus, in illis Academijs, aut Communitatibus docebitur. Quod si ad illud, quod in Decreto iubetur, additur; nec etiam priuatim se de affirmatiua acturos, aut eam secreto amplexuros; supererogationis opus est & laudabile: si enim doctrinam quampiam, quam Ecclesia Romana interdicit publicis actibus, noluerit aliquis ob promptum, & magnum affectum obedientiæ erga eandem Ecclesiam admittere vel amplexari in priuatis, laudandus certè venit, quia plus aliquid erogat obedientiæ, quam ex præcepto, vel prohibitione tenebatur; & si doctrinam, vel sententiam, in quam Ecclesia vehementer inclinat, & quam à fidelibus teneri, & coli, multis adhibitis indicijs, peroptat, & solam iusserit in publico doceri; vouerit semper in publico, & in secreto tenere, & credere, quid non conforme, & consonum ad mentem, & intentionem Ecclesiæ promittit? Præterea licitum erat, & pium in secreto, & priuatim credere Beatissimam Virginem à peccato originali fuisse præseruatam, nihil ergo prohibet quo minus possim illud quod licitè & pie in obsequium, & cultum eiusdem Virginis semper credidi, in posterum me crediturum voto firmare. In nullo proinde obuiat hoc votum vltimo Decreto, dum liberè eligitur sequenda opinio negatiua, & affirmatiua non condemnatur, sed sub suo bono omine, & in illis qualibuscumque suis terminis, & statu in quibus eam permisit Decretum, relinquitur. Imo potius addiderim ferme necessariam esse hanc vouendi formulam ad Decreti obseruantiam; si enim in priuatis collocutionibus assuescat quis affirmatiuæ, eiq; adhereat, facilè

facilè in publicis interdictis actibus, quod ex consuetudine in secretis familiare nimis factum est, excidet verbum, vel laudabitur sententia in aperto, quam frequentius approbauit in occulto.

Possunt Academiæ hæc vota à suis alumnis exigere.

Quod autem Academiæ, vel Ecclesię obligent in se promouendos hoc etiam vouere, vtuntur iure suo, dum nolunt sua beneficia, vel honores conferre nisi secum sentientibus, & suam doctrinam admittentibus; sicut & religio sanctimonialium Conceptionis, & aliæ in se non admittunt nisi sub hac etiam conditione. Quod ob eam præcipuè rationem faciunt Academiæ, quia suam doctrinam volunt esse in Virginis obsequium piam, & vnanimem, & omnem tollere cupiunt antiquarum, & molestarum rixarum occasionem. Nullum violenter cogunt, vt abiuret alteram opinionem, cuius sequendæ potestatem facit Decretum; sed sponte, & vltro accedentibus, & ad honores aspirantibus hanc apponunt conditionẽ, quam si spontanee admiserint, votis potiuntur. Licita autem esse in Ecclesia huiusmodi vota conditionata, vel honores, aut dignitates Ecclesiasticas sub tali, vel tali conditione, vel onere conferre, probant latè Theologi, præcipuè de sacris ordinibus, de quo Scot. in 4.d.28. q. vnic. in corp. latè Michaël de Medina lib. 1. de Continentia a.;c. 49. in finem libri, & l.4. Controu.11. c.1. Illustr. Card. Bellarm. to.1. lib.1. de Cleric. c. 18. Clichtouæus in propugnaculo de continentia Sacerdotum c. 6. 7. 21. & 22. Gabr. Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 247. & 248. per totas.

Ad 3. Argument. *Sunt hæc vota de re meliori.*

Ad tertium dicitur, vota hæc de re meliori fieri, dum in illis promittitur teneri & credi illud, quod secundum communem Doctorum & Academiarũ opinionem magis cedit in laudem, & honorẽ Dei Genitricis, quod magis pietatem, & deuotionẽ fouet, in quod tam manifestè propendunt Pontifices, & inclinat Ecclesia; quod sufficit vt maius bonum reputetur, quam non ita credere, vel contrarium tenere. Vt etenim bonitatis excessus percipiatur, vel melius bonum aliquod esse dicatur, comparandum non est cum alio quocumq; opere, vel cum alia quauis re meliori, sed cum suo contrario, quod si in bonitate excedat, melius bonum reputandum est, & sufficiens erit voti materia, vt docuerunt D. Bon. in. 4. d. 38. ar. 1. q. 2. Ioan. Gerson in Tract. de Consil. Euang. alphab. 67. lib. 5. & ex illis recentiores. Sed præter Aduersarios non erit qui non concedat melius esse adhærere sententiæ negatiuæ, & in ea credenda, & colenda conformari Ecclesiæ Romanæ, & vniuersis ferme Docto-

Videndi Tolet. l.4 sum. c.17 n.6. Suarez l.2. de materia voti c. 7. & Vasq. cit.

ribus quam paucorum ex aduerso sequi sententiam. Omitto plura esse bona, quæ ex vniuersali hoc consensu, & in hanc vnam sententiam conspiratione proueniunt, quæ supra leuiter delibata sunt, & cultum huius opinionis, vel mysterij ad perfectissimam virtutem pertinere Religionis, vt longe melius bonum censeatur, quam contrariam sectari, ex qua nihil horum sequi speratur.

Quo sensu nuncupantur. Quando verò votum emittitur de hac opinione credenda, non promittitur, aut iuratur, quod pro infallibili omnino & de fide terminata credatur, sed quod tenebitur in eo gradu certitudinis, & veritatis quam modo habet, & obtinuit ex tot fundamentis & capitibus, quæ Tuæ Beatitudini obtuli in Tractatibus de statu, & definibilitate huius opinionis. Nec absolutè absque omni conditione vouet quisquam semper, & pro omni tempore se hanc opinionem amplexurum in quocumque euentu, sed sub conditione hac implicita, *nisi Tua Beatitudo, vel Ecclesia Catholica aliter dignetur statuere, vel declarare.* Quod licet nouerint omnes, & certo præsentiant te non facturum, tamen ex promptitudine obedientiæ, quam Ecclesiæ debent, & præstant, hanc conditionem velint semper subintellectam, per quam semper parati erunt ad sequendum, quod Ecclesia ordinauerit, nec per votum præstitum, quod in eo euentu non obligat, impedientur à maiori bono sectando. Conditionem hanc, licet eam illi non exprimerent vel inter vouendum apponerent, ita votis annexam docent Doctores, vt in illis intrinsecè inclusam esse affirment, & votum quodcumque sub hac distinctione vel declaratione proferri, *faciam hoc nisi aliud melius occurrerit faciendum*, vnde si impossibilis daretur euentus, in quo Ecclesia reprobaret, quod tantopere approbauit, & credi iuberet quod à suis suggestis, & cathedris explosit, cum melius sit credere quod Pontifex iubet, ex propria voluntate vouentis absque alia dispensatione, cum ei de hoc bonitatis excessu constiterit, poterit libere, & inculpabiliter negatiuæ valedicere, & contrariæ adhærere. Viden. Suarez cit. §. aduertendū autem.

Ad 4 Argument. *Non sint periculosa.* Ad quartum, satis sit dicendo non esse necesse ex parte obiecti formalis fidei, vt actus credendi præseruationem Virginis sit formaliter, & secundum substantiam supernaturalis, cum non habeat obiectum formale supernaturale, nec innitatur reuelationi diuinæ, dum adhuc controuersia non sit determinata, nec definita ab Ecclesia, & proinde ex hac parte non timetur illud periculum, quod indicit, vel suggerit argumentum. Nec si supernaturalis omnino esset

esset illa credulitas, & licet aliunde censeatur necessarium auxilium supernaturale ex motiuo supernaturali, & ex virtute Religionis, ex qua hoc votum, & eius actus eliciuntur, ad huc tamen non immineret illud discrimen, vel timor, ne Deus velit auxilium conferre; cum omnibus sane vouentibus auxilium præstet, vt quod promiserunt soluere posint & exequi. Doctrina hæc est inconcussa Augustini, qui multoties hortatur fideles, vt confidenter, & absque huiusmodi timore voueant. *Non sitis* (inquit) *pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis.* Et subnectit; *Deficietis, si de vobis præsumitis, si autem de illo, cui vouetis, vouete; secure reddite.* Et in Psalm. 131. non longe ab initio. *Nemo præsumat viribus suis reddere, quod vouerit: qui te hortatur vt voueas, ipse te adiuuat, vt reddas.* Et in Psal. 132. prope initium. *Debet esse impiger animus vt & voueat & reddat, ne cum se minus idoneum putat ad reddendum, piger sit ad vouendum. Plane nunquam reddet, si de suo se putauerit redditurum.* Et serm. 7. de temp. qui est tertius in Nat. Dom. an. med. tom. 10. *Nos dulciter, & confidenter voueamus, ille dabit possibilitatem, vt reddere possimus.* Alia habet in hanc sententiam præclara l. 17. de ciuit. Dei c. 4. post med. & in pluribus locis suæ doctrinæ. Quantumcumq; ergo vt votum hoc eliciatur, supernaturale desideretur auxilium, vt de omnibus ad pietatem conducentibus docet August. loco proximè citato, & Conc. Aurasic. 2. c. 4. can. 1. & actus ex illo eliciendi idem requirant Dei iuuamen, non est cur proinde dicatur se periculo, & occasioni scrupulorum exponere, qui illud determinauit emittere. *Non enim* (inquit August.) *Domino quisquam quicquam rectum voueret, nisi qui ab illo acciperet, quod voueret.* Quod quisquam vouit facere, à Domino accipiet illud quo indiget vt faciat.

Ad 22 complendu

Deus necessarium præstat auxilium.

August. in Psalm. 75. to. 8.

Ad illud vero quod in argumento dicitur inde certius instare hoc periculum, quia Deus licet ad vera, & certa credenda conferat auxilium, non vero vt credantur dubia & falsa, respondetur; adeo veram, & certam esse opinionem de præseruatione Virginis, vt iam falsa esse non posit, vt sæpius in alijs Tractatibus probatum est, & supposito vel dato casu imposibili, quod contrarium post hac definiretur, non proinde actus quo modò creditur negatiua opinio esset practice falsus, cum iuxta fundamenta, quibus fulcitur, & à tota ferme creditur Ecclesia, iudicetur summe probabilis; nec falsa practice vllo vnquam tempore poterit esse, dum tantis non destituatur fundamentis. Appositum est illud exemplum de adora-

Opinio.

adoratione hostiæ non consecratæ, quam prudenter quis credit consecratam; qui actus adorandi vel credendi, licet speculatiue falsus sit, non tamen practice, sed est meritorius, & supernaturalis, & per Dei auxilium elicitus. Et potest quispiam vouere quotidie se illam hostiam in quacumque Ecclesia repositam visitaturum, & adoraturum, nec vnquam ex hoc capite ei deerit diuinum auxilium. Et licet postea sacerdos declaret nullam se habuisse intentionem consecrandi, vel ex alio defectu non esse consecratam illam hostiam, non erant proinde præteriti actus odorationis practice falsi, vel idololatriæ, sed meritorij, & ex Dei gratia eliciti.

Vnde periculum in votu. S.Thom. 2.2. q.88. ar.4.ad 2. Nullum ergo periculum est in voto propter quod debeat homo ab illo reddendo abstinere, vt docet D.Thom. quodcumque enim periculum imminet, non prouenit ex voto, sed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat, transgrediens votum, propter quod non desinit ipsum votum esse expediens. Alioquin oportet ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidens ex aliquo euentu possunt esse periculosa; vel recte certe nobis obijcietur, quod S. Ambros. in hac re intulit; *Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur, nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat, nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum.* (Ambrof. lib.de viduis ad fin.to 4.) Nec si ad hoc attendatur periculum, erit, qui religionis votis se velit obstringere, nec virtutem aliquam, aut opus quodcumque morale sub iuramento promittere. Recte profecto ad hanc rem accommodauit D.Thom. illud Ecclesiast. *Qui obseruat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet*, (Eccles. 11.4.) qui enim plus de sua fragilitate timet, quam de diuino adiutorio confidit, nihil vnquam boni promittet.

Ad 5.Argument. *Conformãtur hæc vota doctrinæ Rom. Ecclesiæ.* Ad 5. dico in substantia, & materia voti, conformari illa Regna & Academias cum Romana Ecclesia, quæ idem profitetur, & celebrat quod illæ vouent se credituras. Si vero Romæ non præstantur hæc vota, & in Vniuersitatibus eliciuntur, non prouenit ex difformitate, aut disconuenientia fidei; sed quia hîc non se offerunt, quas illæ habent votorum rationes. Non est passa Roma, nec Romanæ ditionis amplitudo, tumultus, rixas, discordias, scandala, & calamitates, quas sensimus (proh dolor) in Hispania, quas si Tua Beatitudo præ oculis videret, & præsens in tumultuanti populo sentiret, non dubium quin definitionis vltimum, vel aliud efficax adhiberet remedium; vel si differetur, credibile satis est populum ipsum, & Academias ad hoc votorum refugium declinaturum;

quod

vt & modo fieret in ipſa Vrbe ſatis expediret, & laudaretur; per quod forſitan tumultus quidam, & ſimultates in aliquibus partibus Italiæ exortæ, & quæ Tuam Beatitudinem non latent, ſopirentur. Differtur nimis calamitati, & tumultibus Hiſpaniæ, iam tribus annis deſideratum, & expectatum efficax definitionis remedium; confugiunt ad illud quod penes ſe habent & licet, quod tamen non ſufficit. Vlteriori adhoc non indigent licentia, cum votum circa res, quæ ad pietatem fidei ſpectant, liberis quibuſcumq; hominibus, & communitatibus ſemper ſit licitum, ſi ex fine, vel alio quopiam capite non vitietur. Licentiam etiam Apoſtolicæ Sedis ſuppoſuerunt ad pietatem hanc in Virginem ſectandã, & tacitam ſibi concedi viderunt, dum referentibus, & ſcribentibus Tuæ Beatitudini prælatis Hiſpaniæ, hæc vota à multis emiſſa, nec minimum commouerent, aut aliquantulum contradiceres.

Multa ſunt quæ laudantur in alijs Regnis deuotionis & pietatis indicia, quæ Romæ non habentur in vſu, aut recipiuntur publica auctoritate, vel vniuerſaliter in Eccleſia. Multos habent Regiones variæ particulares Sanctos, quibus varia offeruntur vota, & deuotiones, qui tamen Romæ non honorantur; multas celebrarunt alia Regna feſtiuitates, quę Romanum non agnouit Kalendariũ. Apud Gallos celebria erant Trinitatis, & Transfigurationis feſta antequam Romæ colerentur, vt innuit vetuſtus Preſbyter Potho. S[mi] Sacramenti apud Leodien. in Germania antiquior erat ſolemnitas, quam apud Romanos, vt author eſt Iacobus Dieſtemius, & alij. Expectationis partus Virginis apud Hiſpanos ſolũ, ſolemnis eſt cultus, vt ex Sanctorum Hiſpaniæ Kalendario, & officijs conſtat. Nonne licitum erat pro his myſterijs venerandis, vota effundere, & vouere, credere Sanctos illos tales eſſe, quantumcumque Romæ non venerarentur, nec ſimilia vota nuncuparentur? Nullus negabit. Nonne ergo multo magis licitum erit vouere, credere id quod Romæ, & vbicumq; celebratur? Suum etiam votũ quodammodo ſolemne, & vniuerſale Rom. viſa eſt Eccleſia emiſiſſe, quando hoc feſtum, vel myſterium celebrandum propoſuit. Quid enim tunc aliud egit, quam ſtatuere, & firmiter promittere in æternum illud ſe veneraturam, & credituram? Rectè ergo in his votis edendis conformantur cum Romana cæteræ Eccleſiæ & Academiæ.

Multa coluntur extra Romã, quæ in eadem non honorantur.

Potho. l. 3. de ſtatu domus Dei ſub finem, & habetur t. 12. p. 1. edit. Colon. Bibliot. vet. Patrum. Dieſtem. apud Bzou. ad an. 1230. n. 16.

Ad ſextum & vltimum occurritur dicendo Communitates, & Reſpublicas poſſe tam præſentes, quam futuros obligare ſub voto

Ad 6 Argument.

à ſe

à se emisso, vt aliquid obseruent, vt exactè docét recentiores Theologi. Quia penes communitates potestas est ad obligandum singulos præsentes, & futuros successores ex vi præcepti humani, vt vel acceptent tale votum quoad voti obligationem, vel saltem obseruent actum promissum. Vnde eo ipso quod populorum Rectores in tale votum sufficienter consentiant, consequenter imponunt alijs præceptum obseruandi illud, & ideo grauiter peccabunt, illi non obediendo. Quando verò vota fiunt circa res spirituales, vel de pertinentibus ad cultum diuinum, doctrinam, aut bonos mores, interueniente auctoritate, vel approbatione, & præcepto Episcopi, aut Prælati; obligabuntur illius Communitatis membra præsentia, & futura ad acceptandum votum emissum à tota, vel maiori parte Communitatis vel ad obseruandũ actum in eo promissum, ex vi præcepti Ecclesiastici. Cùm igitur vota hæc facta sunt consentientibus, volentibus, & præsentibus Episcopis, vel Communitatum Rectoribus, poterunt cogi futuri, & si qui essent pauci præsentes, qui contradicant; vt vota emissa de Virginis præseruatione tenenda, & colenda, obseruent. Dum proinde vouent licite populi se ex duabus, quas sequi permittuntur, opinionibus, vnam piam, in quam vehementer se flectit Ecclesia, semper tenere & defendere; & libertati illi sentiendi, à Sua Beatitudine concessæ, vel toleratæ, velint renuntiare propter instantes necessitates, & varia incommoda ad pacatiorem Reipublicæ gubernationem; iustè poterunt omnes eiusdem Communitatis subditos, etiam inuitos, si qui nollent, compellere ad obseruantiam rei vel actus promissi. Quamuis ego facilè credam nullum expectaturum, vt compellatur, & sponsorem me libenter exhibebo, omnes alacriter tam præsentes, quam futuros, vota in hac materia prçstita à suis Communitatibus, accepturos, & seruaturos, in tantum Virginis obsequium.

Possunt Communitates suos compellere ad voti obseruantiam.

Vota hæc non posse irritari, & deberi indulgentijs, & gratijs Apostolicis commendari.

§. VI.

22 Non possunt hæc vota irritari.

23 Nihil in his votis interuenit per quod reddantur inualida.

24 Circumstantiæ omnes, quæ in his votis edendis occurrerunt, fuerunt legitimæ.

25 Non facilè possunt irritari vota tot modis stabilita.

26 Debent à Sanctissimo Domino indulgentijs superadditis commendari.

22 Cum

22 Cum tam leuia sint fundamenta hæc vota calumniantium, non est cur Tua Beatitudo commoueatur vt aliquid in hac re innouet. Bonum est, & meritorium quod fit, promittitur firmiter Deo, coli quod colit Ecclesia, & semper credi, quod illa veneratur. Nemo malũ dicet, cum Ecclesia in cultu conuenire; nec idipsum, quod homo colit, religiosè amplexari. Primum ad veram Religionem, & debitam erga Romanam Ecclesiam reuerentiam spectat, vt capite *Nosse nos*, & cap. *Celebritatem*, de consecr. disput. 3. docent Pius & Victor Pontifices, & passim inculcatur in iure, & apud sacros authores. Secundum; ad fidelitatem, & veracitatem spectat; & nihil turpius est quam Deo mentiri in ipsa oratione, & cultu. Si verò vtrumque bonum est & laudabile, & bene facit homo, dum ita credit, & colit; quod nec ipsi Aduersarij inficiabuntur: melius faciet, si vtrumque fecerit ex voto. Magis enim laudabile, & meritorium, cum D. Thom. citato docent Theologi, esse facere aliquid ex voto, quam sine voto, quod varijs, & præclaris probant rationibus. *Ni possunt hæc vota inuari.*

23 Nihil præterea occurrit in hoc actu, per quod vitietur. Ipsa namque forma, & substantia voti, licet varia fuerit in varijs Communitatibus, quam proinde non subnectimus, semper moderata fuit, & rectè perpensa, & hoc vnum sub modica varietate verborum continebat, Virginis Mariæ præseruationem à peccato originali esse celandam, & tenendam, tanquam Sacræ Scripturæ, Ecclesiastico ritui Sanctorum Patrum doctrinæ, & pietati conformiorem. In quo nihil potest esse, quod reprobetur. Dubium namque aut scrupulum parere non potest cultus, nec sententia, cum tam receptum & commendatum sit vtrumque inter fideles: nec ipsum votum defectando vtroque; vt huc vsque ostensum est: sed nec ratio assignata de conformitate cum Scriptura, ritu Ecclesiæ, doctrina Sanctorum Patrum, & pietate; vt in varijs Tractatibus Tuæ Beatitudini probaui, neque vllus sit qui hanc sequatur sententiam, cui non liceat idem opinari. Reddimus per hoc rationabile obsequium nostrum in Virginem, cum illud de ea sentire, & celebrare dicimus Ecclesiam, quod magis cohæret cum Sacra Scriptura, & Patribus. Qui defendit, quod patulum est, & manifestum (sicut speciali de hac re Tractatu Tuæ Beatitudini ostendi) Ecclesiam ita celebrare, & suo cultu profiteri de Virgine, necesse habet consequenter asserere conformius hoc esse Canonicorum *Nihil in eo interuenit illicitum.*

Scriptorum, & Sanctorum doctrinæ, ne fateri cogamur contra Scripturam, & Patres, Romanos Pontifices aliquid statuere, vel quod minus conforme est illis, populo proponere. Non tamen ex hoc inferri potest, contrariam damnari; cum nec ex eo quod Aduersarij idem vel similiter asserant de suâ, sequatur nostram esse hæreticam.

Circumstantiæ omnes votorũ licitæ. Concil. Mediol. 5. par. 5. tit. de votis tom. 4. par. 2. cõciliorum nouioris edit. Colon.

24 Circumstantiæ etiam, quæ in edendis votis occurrerant, erant legitimæ, & laudabiles, eæque ipsæ, quæ in Concilio Mediolanensi sub D. Carolo Borromæo statutæ sunt obseruari. In Ecclesijs maioribus vel principalioribus ad altaria maiora, vel celebriora consentientibus, imo & volentibus, & præsentibus Episcopis, & Communitatum Rectoribus, processione, & longa consideratione antea præmissis, in missarum solemnibus, adstantibus Clero, & Reipubl. Proceribus, sua vota nuncupauerunt, magnis postea superadditis in Virginis honorem festis, & iubilationibus. Omnia iuxta statutas regulas Ecclesiæ, & Conciliorum facta sunt in Virginei obsequij incrementum, in magnam populorum ædificationem, & spiritualem lætitiam. Iniustè ergo talibus votis contradicitur, periculosumque est eis detrahere vel ne reddantur impedire: *Dominus enim* (inquit Augustinus) *infirmum faciet aduersarium eius, illum scilicet, qui homini vouenti inuidet, & resistit, ne valeat implere quod vouit.*

Aug. l. 17. de Ciuit. c. 4. Post med. to. 5

Non irritantur vota tantoperestabilita.

25 Nescio certè, quomodo apud Tuam Beatitudinem de hac re condemnanda instent. Velle videntur, quod Ecclesia in votis irritandis condemnet, quod in publicis, & ecclesiasticis actibus commendat; quod Tua Beatitudo reprobet; quod hucusque voluit; quod impediatur affectus erga sententiam, quam Vestra Sanctitas tanto prosequitur affectu; quod à tantis Communitatibus fieri his annis elapsis permisisti sciens, & lubens, vellent à te modo prohiberi; quod antiquitus Romani Pontifices approbauerunt, & tot sæculis licuit, cupiunt vt modo ad paucorum instantiam contra Christiani orbis iudicium, & sententiam annulletur. Non possunt irritari vota à tot tantisque nuncupata, ab innumeris Episcopis approbata & à grauioribus Doctoribus commendata, à florentissimis mundi Academijs stabilita. Non potest ita facilè floccipendi tantorum authoritas, & reijci communis Orbis consensus, & sententia. Non ita leuiter potest euelli, quod tam longâ annorum serie altas egit radices.

26 Restat

Mouentur à Sanctissimo Domino commendari Indulgentijs.

26 Restat proinde, vt Tua Beatitudo contra iniustam Aduersariorum contradictioně, te benignum, & placidum præbeas in his votis patrocinandis; in quibus & tuis fauebis Decretis, & in ijs laudandis, & commendandis Christianorum deuotioně, & spontaneam fidelium voluntatum consecrationem in tantæ Dei Matris obsequium adiuuabis; populos ad maiora inuitabis, & excitabis. Digni sunt, qui ita se obstringunt Deiparæ Virgini, vt à te laudentur, & superadditis præmijs remunerentur. Iurant, quod Tua Beatitudo cupit teneri, & credi in Mariæ honorem, captiuarunt suum intellectum in obsequium Dei Genitricis. Humilem Mariæ seruum se prædicat Tua Beatitudo, gloriosè hoc elogio lapidibus quadratis in publico loco, insculpto: qui seruos se profitentur, & captiuos suos reddunt intellectus, vt nihil non pium de illa tua, & nostra præclarissima Domina sentiant; in his laudabilibus actibus à te laudentur, & larga Indulgentiarum concessione præmientur, atque ad illorum exemplar alij inuitentur. Inter cæteras rationes quibus D. Thom. probauit, laudabilius esse, & magis meritorium aliquid facere ex voto, quam sine voto; illam assignauit, quod promittentibus gratiæ aguntur, & art. 5. ad secundum ait, non solum danti, sed & promittenti gratiæ aguntur. Tua ergo Beatitudo nomine Beatissimæ Dei Genitricis, cuius tam laudabiliter & gloriosè te seruum gloriaris, gratias da, & spirituales concede Indulgentias promittentibus eius Immaculatam Conceptionem, & à peccato originali præseruationem semper celebraturos, & defensuros. Gratificare spontanee vouentibus quod doces, & defendentibus quod cupis. Considera omnium hoc vnum esse votum: & quod illi non possunt, tibi soli reseruatam tantæ rei, & inueteratæ Controuersiæ vltimam adijcere digneris determinationem, vt & hi suorum votorum fine potiantur, & tanta tandem pacificè claudatur Controuersia.

S. Thom. cit. art. 6. in corpore.

Tractatus Decimitercij Finis.

Continuatio Historiæ.

His exhibitis Tractatibus Sanctissimo Domino significauit Episcopus qualiter ad Regis præscriptum sibi remeandum erat in Hispaniam dum hoc negotium protendebatur in lon-

gum, nec breui dierum momento optato successu potiri poterat Orthodoxus Princeps vt pio suo desiderio hæc grauis Controuersia tandem dirimeretur. Se vero dixit licita omnia, & quæ necessaria iudicauit, adhibuisse media, nullamque curam subterfugisse, aut diligentiam prætermisse, vt quod pro Oratoris munere flagitabat, obtineret. Et licet eorum non abiret compos, quorum nomine Legatus aduenerat, non proinde parum se debere Suæ Sanctitati fassus est ob beneuolentiam & benignitatem, qua eum aduentantem excepit, & quæ Legationis erant, proponentem audiuit. Se etiam ad plenum nosse adiunxit, rem hanc non adeo leuem esse, nec Controuersiam tam inanem, vt intra vnius anni curriculum, eius vel alterius cuiuspiam solicitudine possit terminari, & secum ab initio statuisse plures, modo opus esset, & Regi placeret, Romæ transigere, donec susceptam clauderet Legationem. Deum autem immortalem, qui res nostras prouide gubernat, fidei materias sua sapientia disponit, & cuius prouidentia in sua dispotione non fallitur, statuisse apud se tempora, personas, & modum, quibus hanc suæ Matris innocentiam reuelaret, & profligatæ maculæ erigeret trophæum. Homines vero secundum suum captum, temporum exigentiam, & debitum in Virginem obsequium, instare, interpellare, & rogare; vt pro pace & concordia inter Ecclesiasticos conciliandâ, & perpetuis scandalis amouendis, hoc vltimum & efficax, quod putant, definitionis adhibeatur remedium. Attamen expectanda & desideranda esse tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, quæ nostrum non est nosse, ac proinde se libenter & hilari animo regredi, vt quæ obiuit suæ Legationis munia, renuntiaret.

Placide & grauiter respondit Sanctissimus Dominus, sibi displicere, non posse se in his quæ proposita sunt, regijs votis & pietati adesse, eiusq; Oratorem re interminata redire. Verumtamen quod postulabatur, ex illorum genere non esse, quæ diligentia humana clauduntur, vel quæ ob necessitudinẽ aut mundanas instantias aut Regum potentias liceat illico concedi; donec Spiritus ex alto infuderit, quid in controuersia graui & diuturna, grauiter & mature debeat deliberari. Nec indignari aut commoueri debere Oratorẽ admonuit, quod non perfecta legatione, aut re infecta regrederetur ad suos; nam quod suũ erat, perfecit; causam dixit, solerter institit; in re tamen,

re tamen, cuius difficultatē nec ille ſuis viribus vel ſolertia poterat ſuperare, nec Suę Sāctitati licuit pro tunc definitiua ſentētia aperire.

Orator honorifice dimiſſus recedit ab Vrbe.

His alijſq; ponderoſis comiter & benigne vtrinq; dictis, honorificè Apoſtolicis indultis, & ſacrorū Martyrum Diuorumq; reliquijs, quod ſolum voluit & expetijt ſibi in hac Legatione beneficiū, ampliſsime donatus, ſacra pontificia benedictione ſibi ſuiſq; obtentâ, vtramq; precatus Suæ Sanctitati fęlicitatē, vltimum dixit vale Nonis Maij, & ſalutatis Cardinalibus Principibuſq; Romanis ab ijſdem viciſsim reſalutatus ab Vrbe receſsit 14. Kalen. Iunias.

Quomodo Legationē non abſoluerit.

Neminem admirari velim quomodo in tanta Epiſcopi ſolicitudine & ſedula ſuæ Legationis functione, ad quā deſtinatus eſt Orator, non impetrauerit ſeu exorauerit controuerſiæ deciſionē. Nam dum hanc oraret, perturbatæ res Germanici & Rom. Imperij pientiſsimū & prouidum Suæ Sanctitatis animum totum ſibi vendicarunt. Hiſpaniæ viciſsitudines, gubernarcharum, & curiæ mutationes interturbarunt aliquantulū huius myſterij feruorem. Demum, quod caput eſt, & ſępius Sua Beatitudo reſpondit, Spiritus ille Paraclitus, qui in omnē inducit veritatem, per quem loquuti ſunt S. Dei homines, & cuius indefectibili ſuggeſtione Summi Pontifices depromūt arcana ſancta myſteriorum fidei; in aliud cōmodius tempus diſtulit hanc quæſtionem reuelandam. Curam agit & tutelam Eccleſiæ ſpiritus omniſcius, cui & quæ opus habet, pandit arcana; & quando opus eſt, ſecreta reuelat. Nouit quibus indigeat ſponſa, nouit & diem quando alloquenda eſt, ſuo tempore eam aureis cohoneſtat murenulis; & inauribus lenis ſuſurri perornat; commodo tempore, quæ ſunt credenda, proponit.

Ioan. 15. 13. 2. Petr. 1. 21. Cant. 8. 8 Cant. 1. 11.

Legati non ſtatim impetrant quod orāt.

Multa ſunt, quorum nomine plures aduenerant Legati, & pro quibus aperiendis vel Eccleſiæ vel ſæculi Principes interpellauerāt; nec tamen ſtatim, ſed temporis decurſu ea dignatus eſt Spiritus S. docere. Ad S. Pontificem Iulium I. Sancti etiam Marci I. ſucceſſorē, in controuerſia Athanaſij cum Euſebianis & Arrianis deſtinati ſunt vtrinq; Legati ex remotiſsimis terræ plagis, Aegypto, Tyro & Alexandria, nec tamen per integrum illum annum, aut plures ſubſequentes menſes litigij deciſionem obtinuerunt. Ad Ioannem I. delegarunt Iuſtinian. Imperator, & Epiphan. Conſtantinopolitanus Antiſtes, Hipatium Epheſiorum, & Demetrium Cæſarienſem Epiſcopos, vt de aperienda grauiſsima illa quæſtione, an catholicè dici poſſet, vnū de Trinitate paſſum eſſe in carne, & conſequenter, an poſſet

Vide Baron. ann. 339. 340. 341. Vid. eūd. an. 519. 533. 534. Ep. 1. Io. Pap. ad Iuſt. & Seuer. Bon. in not. ad Cōc. Ro. ſub eod. Ioan.

an affirmari natum in carne, & Mariam propriè Deum genuisse, quæ omnia negabant Pseudo-monachi Scythiæ, Aquimiti & Acametæ Nestoriani, & Origenistæ. Rem grauem & difficilem agnouit Pontifex, quæ diuturniorem inquisitionem & indaginem requirebat. Non ergo nisi præposito longo & serio eius examine, & exploratis Ferrandi aliorumque Transmarinorum sententijs, post longum elapsum tempus professionem fidei Iustiniani, & sententiam Epiphanij approbauit. Inter Cyrum Monothelitasque ac Sanctum Antistitem Hierosolymitanum Sophronium, magna illa orta est difficultas, de dicenda vna vel duabus operationibus in Christo; & quamuis per Sergium Constantinopolitanum, & tunc Catholicum, Archiepiscopum, Honorius Primus huius controuersiæ admoneretur, timereturque inter Episcopos Orientis seditio, quæ postea subsecuta est; nihilominus post plures annos & alijs sibi succedentibus Pontificibus definita est planè difficultas sub Martino Primo in Synod. Lateran. secret. siue consult. 5.

Vide Baron. ann. 633. 649. & 681. Bellar. de Rom. Pontif. c. 11. & secret. 1. Conc. Lat. sub. Mart. I.

Diuersa ratio Legationum de rebus secularibus, ac de spiritualibus.

Plura sunt huius generis, quæ non repentè & vt primum proposita sunt Pontificibus, ab eisdem statuta vel decisa leguntur. Nouum non est remorari Legatos apud Pontifices per plures annos pro terminandis fidei arcanis, vel eis interminatis recedere, & re infecta ad suos reuerti. Illud approbarim in sæcularibus, vel militaribus aut politicis legationibus Belagij Legati dictum. *Principem quempiam ad se missum Oratorem, non solum afficere contumelia, si vel illi caput percusserit, vel in eum quouis modo deseuiat, sed qui vel re infectâ, dimiserit ad se delegatum. Non enim homines Oratoris munere idcirco funguntur, vt honorem ab his consequantur, qui suscepturi se sint: quod vsui Reip. in posterum sit, peragendo, ad eos qui se legauerunt, mox redeant. vnde fit vt vel affectis iniuria longe magis conducat eorum aliquid effecisse, quorum ob causam venerint: quam Principum verbis benignioribus auditis, nihil pro se consequutos ad suos redire.* Attamen in ijs, quæ solum diuino spiramine, & non nisi ad Dei nutum & motum sunt peragéda, longe aliter philosophandum iudicarim. In primis illis Ecclesiæ definitionibus ab Apostolis editis; placuit, vel *visum est*, inquit Petrus, *Spiritui Sancto, & nobis.* Prius expetenda & expectanda est Dei voluntas: ad hanc mouentem & internè spirantem, vel per Scripturas & Patres docentem, subsequetur humana. Prius videbitur Spiritui Sancto, deinde Pontifici, expedire vt quidpiam terminetur de fide. Hinc euenit vt plures Pontifices plerosque Legatos non obtentis definitionibus,

Belag. apud Procop. l. 3. de bello Goth.

Acto. 15. 28.

pro

pro quibus impetrandis missi erant dimitterent, dum à Spiritu Sancto non statim edocebantur quid alios docerent. Cor Pontificis in manu Dei est, & lingua eius in proponendis fidei mysterijs calamus est, & organum Spiritus Sancti; dum hic non mouerit & loquelam infuderit, nemo poterit expostulare Pontificis cuiuspiam in rebus fidei dicendis diuturniorem taciturnitatem.

Non obinde tamen omnem deponendam iudicauerim solicitudinem, & instantiam circa hanc definitionem, vel huius controuersiæ decisionem; sed secundum tumultuum varietatem & scandalorum molestiam vrgeri debere, & vltimum malorum exposcendum esse remedium, non ab alio quàm à Summis Pontificibus, quorum est Ecclesiarum vlcera medicari, & malis obuenire. Christiani etenim populi, & orthodoxorum Principum precibus flecti & superari se permittit, *qui ambulat super pennas ventorum*, & cui nomen *accelera*, vt festinet & acceleret; & citius præbeat remedium, qui in aliam ætatem differebat solatium. Sacramentum illud maximum dispensationis Incarnationis Dominicæ, mundi miserrimè peccatis obruti singulare solamen, & vnicum remediũ, quod nullum exegerat meritum, accelerauit tamen Sanctorum Patrum precamen. Quæ mereri non possumus, accelerare aliquando valemus. Festinabit certè consolator ille optimus, dulce calamitatum refrigerium, & placida Ecclesiæ in labore requies, sponsam suam liberare à tot calamitatibus à tantis tumultibus, à grauibus scandalis, dummodo debite interpelletur, dummodo syncerè ad Ecclesiæ pacem, ad Christianorum concordiam, & non ad contentionem, vel victoriæ de Aduersarijs reportandæ emulationem, fidelium precibus contendatur, & apud Christi Vicarium debito, & quo decet modo, pro malorum aut temporum conditione instare non desinant.

Vlterius instandum in hac controuersia.

Psal. 103.3 Isa. 83.

Magna illa confidentia, & laudabilis perseuerantia Catholici Principis Philippi in deprecando, orat, instat, flagitat, tam in suorum Regnorum leuamen, quàm in Deiparæ Virginis tutelam. Instigat ad supplicem hanc flagitationem, & constantem supplicationem Regnorũ calamitas: sed ignem submouet, & ardentes faces subijcit feruenti Principis desiderio de Mariæ honore tuendo ardor, & studium de profliganda à tanta innocentia & puritate, fœda illa communis maculæ spurcitiâ. Perseueranti victoria non deerit, securè repositum tantæ deuotionis tandem eriget trophæum. Spi-

Laudabilis Regis in deprecando perseuerantia.

 ritus

ritus Sanctus suæ sponsæ maculas deterget; Pontifex in Dei Matrem propensus cito & libenter eructabit verbum bonum; Ecclesia præcipuum suum, & optimum sub Christo capite membrum dignâ donabit laude, cuius arrhas iam obtulit, & sponsionem dedit expresso & communi suo cultu, vt Mariam semper sanctam testetur. Aderunt Regi & eius subscribent petitioni vniuersæ Ecclesiæ, illustres Academiæ, selectissimi Reges, incliti Principes, Ecclesiæ, Religiones, integra Regna, florentissimæ Respublicæ; totus fermè vndique mundus, quorum pium votum & laudabiles preces
Rom.8. 26. non reijciet, qui pro cœtu Christianorum, gemitibus postulat inenarrrabilibus. Oret semper, dum non exorat pius Princeps, & donec exaudiatur precari non desinat per suos Oratores, qui nouas etiam nunc (vt audio) parat instantias.

Eius zelus & verba. Tam ingens eius est in hac re desideriũ, vt si hæc non sufficiant adijciat maiora, & licita quæque adhibere velit media, vt pro Maria vincat. Illud eius zeli magnum & laudabile argumentum; illa eius vox tanta pietate digna; *Quod si per Oratores obtinere se non posse putaret pro Maria dici sententiam, & eius causæ conuenire vel omnino necessarium iudicaret vt ipse Romam peteret, ad pedesque Sanctissimi Domini supplicis Oratoris partem ageret, vt adhibita hac diligentia & exhibita supplicatione Pontifex litem terminaret; se confestim in Vrbem venturum; nec vllam esse adeo grauem difficultatem, aut suarum rerum molestiam, quæ ab hoc itinere aggrediendo eum valeat deterrere.* Verba certe magnis & priscis illis Imperatoribus Ecclesiæ tutoribus & defensoribus vel inuidenda, vel eorum in res fidei affectibus paria. Philippi pro Maria zelus præcipuis anteferendus, vel cum omnibus non iniustè comparandus. Tantum orthodoxi Principis desiderium non peribit, votis tandem potietur, egregio studio Deipara Virgo fidelis remuneratrix, quæ sibi impenduntur, obsequiorum egregiũ parabit triumphum, inuicto labori sublime eriget monumentum, Catholicum conatum desiderato claudet successu, & immortalem immortali laude digno adijciet huius facti memoriam.

SECTIONIS TERTIAE FINIS.

LEGA-

LEGATIONIS
PHILIPPI III. ET IV.
Hispaniarum, & Indiarum Gloriosissimorum Monarcharum
DE
Definienda Controuersia
IMMACVLATAE CONCEPTIONIS
B. VIRG. MARIÆ,
SECTIO QVARTA.

1 STATIM post Episcopi recessum, accepit Dux Alburquerquius ab intimis Regis Cósiliarijs, quod opperiebat, responsum, de non instando vlterius circa cœlandas, vel liberè publicandas Imagines, seu sacra numismata, (de quibus in præcedenti Sectione locupletior factus est sermo) neque enim tanti ponderis hæc res iudicabatur, vt propter eam non procederetur ad primum, & præcipuum, quod erat in votis, definitionis negotium; licet enim toties postulata obtineretur, parum prodesse; & omnino negata, minùs obesse potuit huiusmodi sacras imagines cudendi, & publicandi facultas. Non hærendum proinde in tricis, neque exigui momenti rebus statutum est, neque obuias quasque quæstiunculas huius controuersiæ ventilandas, & vincendas esse: sed ad rei medullam constanter pergendum; quippè huiusmodi nugæ, & inanes lites, sæpius prorumpunt, vel consultò offeruntur, vt circumducant & suspendant hominem, ne quem sibi principalem statuit, aliquando pertingat ad finem.

Rescribit Rex non esse vlterius instandum circa Imagines.

2 Circa hæc etiam tempora Augustinianus ille Theologus ad suæ Prouinciæ regimen euocatus abcesit, iamque alius statutus

erat

Commendantur Oratori Hispalenses Viri, & Theologus Minorita.

erat à Rege Vir doctus, Iosephus Vazquez Minorita, litteris, & præcipuis sui sodalitij munijs satis vndique notus, quique tunc suorum sodalium res curabat Commissarius in Curia, cuius doctrina, & litterario studio vteretur Orator. Virorum etiam Hispalensium, sæpius supra nominatorum, Consilium audiendum, & affectum fouendum in hac re ordinauerat Rex, scriptis de hac ipsa re litteris, in quibus ait se nihil, quod ad fælicem huius Legationis exitum conducebat, velle omittere, nec quoquam necessario Oratorem velle carere. Ipsas litteras subijcio.

REX.

3 DVx Consanguinee. Iam intellexeris D. Matheum Vasquez de Leua & Bernardum de Toro Hispalensis Ecclesiæ viros in illa Romana Curia residere, vt purissimæ Conceptionis Dominæ Nostræ negotium promoueant. Dum autem recedente Episcopo Carthaginensi, tui erit muneris hoc idem curare, expediet, vt his te familiarem exhibeas, quæ huius rei sunt communicando, vicissimque ab eis libenter accipias, quæ ad eandem conducunt, & toto, quo illic permanserint tempore, eorum votis adsis, sedulam tuam adhibens operam in ijs, quæ tractant. Similiter tibi aderit Frater Iosephus Vasquez instituti Sancti Francisci, quem secum detulit in Vrbem Episcopus Carthaginensis, vt pro sua doctrina & secundum accuratum, quod in hac Controuersia adhibuit studium, te moneat, & suis scriptis iuuet in rebus litterarijs. Pro magno namque meo desiderio de fælici huius rei exitu, vellem, vt nihil tibi deesset, quod posit esse auxilio, vt maiori constantia & grauiori cum fundamento prosequi posis, quod tantoperè tibi commendaui. Ex S. Laurentij Regij 16. April. 1620.

EGO REX.

De mandato Domini nostri Regis,

GEORGIVS DE TOVAR.

Nouiter instat Orator circa definitionem.

4 Stimulos addiderunt Oratori hæ litteræ, & exploratus varijs indicijs Regius feruor. Quare inito sæpius Consilio cum prædictis Viris, meque, omnium humillimo, cum eisdem accersito, instantius iterum, repetitisque precibus egit apud Pontificem de Controuersia definienda. Semper tamen eandem fermè, quam Episcopus, accepit negandi formulam, videlicet non licuisse tunc per tempus,

nec

nec per ipſam Controuerſiæ grauitatem, ad definitionem procedere, expectandamque eſſe potiorem oportunitatem. Nihil non reſcribebat Orator ad Conſiliarios Regis, vt cum eodem agerent de modo, quo tanti negotij ſuperaretur difficultas.

5 Verum enimuerò infirma Regis valetudo, qua grauiter laborabat penè integro illo anno, & ex eo tempore quo è Luſitania regreſſus eſt, præpediebat nouos ſuperaddendos huic rei feruores, nec enim commodè Rex ſuum exequi, nec aliorum excipere potuit conſilium. Siluit proinde Orator, nec abſque recentibus ad Pontificem deſtinatis à Rege litteris importunè, & infructuosè inſtandum iudicauit, donec ſexto Kal. Ianuarij, Ioanni Euangeliſtæ ſacro, præceptum accepit ſub ipſo Regis Chyrographo vt vlterius pergeret, in deprecando Pontifice, nec deſiſteret, donec perficeret. Rerum quippe ſtatus, populi deuotio, & Prouinciarum ſcandalis commotarum neceſsitas, inſtantem hanc expoſcebat ſolicitudinem. Sub feſtiuis tamen tunc occurrentibus diebus nihil licuit Oratori peragere; verumtamen his elapſis, ſecum cogitabat in primis ſuæ Legationis functionibus renouare preces, & inſtantiam apud Sanctiſsimum Dominum, quando infauſto omine & magno Eccleſiæ malo, repentino correptus eſt Sanctus Pontifex Lethargo, ſenſibuſque ſopitis, poſt integram hebdomadam ad meliorem vitam, vt piè credimus, plenus dierum & meritorum tranſmigrauit 4. Kalen. Februarias, anno 1621.

Intercipit controuerſiam Regis inſtantiam infirma valetudo.

Scribit vt iterum inſtet Orator.

Moritur Paulus V.

6 Expectandus ergo erat tanti Pontificis Succeſſor, quem vnanimi electorum ſuffragio, ſumma pace, & vniuerſali omnium lætitia accepit Sancta Mater Eccleſia 4. Idus Februar. duodenis dumtaxat diebus ſummo orbata Paſtore. Alexander is erat Ludouiſius, Archiepiſcopus & ciuis Bononienſis, quem ſua merita per varios honorum gradus ad purpuram euexit, in ſolio renunciatus Gregorius X V. Peracta ſunt ſub illo menſe ſacri huiuſmodi inaugurationis ritus, & gratulati ſunt nouo Pontifici vicini populi, & reſpublicæ, debitam ex more præſtantes obedientiam.

Creatur Greg. XV.

7 Ad ſequentis menſis Martij finem ſupranominato ſecum vocato Theologo, negotium hoc nouo propoſuit Pontifici Orator, quod benignè & libenter audiuit, Regis laudans pietatem, cui ſe ſubſcripturum, quando per tempus, & rerum circumſtantias graui præmiſſo examine liceret, fidem fecit. Approbauit etiam Theologi ſtudium, qui Regi, & conſequenter Deo (à quo nihil alienum, Regem

Inſtat Orator apud nouum Pontificem.

Regem petiturum fidenter ſibi promittebat) in re adeo graui inſeruiret. Ad Idus vero Aprilis dum Orator denuò de hac re loqueretur, nihilque aliud tunc petijſſe diceret Regem, quam vt pro pleniori totius negotij informatione, quoſdam ſignaret Sua Sanctitas, qui rerum ſtatum, & Prouinciarum neceſsitatem exciperent; Aequum & iuſtum reſpondit Pontifex Regem poſtulaſſe, neq; enim, inquit, inſolens aut iniuſtum petit, qui hoc ſolum rogat, vt audiatur: ſeque curaturum dixit, vt tam rationabiliter petenti, quantum liceret, ſatisfieret. Dedit Orator de his omnibus ad Regem litteras 6. Idus Martias & ſub menſe Aprili, plenè recenſens quantum compererit, & ſecreto intellexerit, adhuc ſuperaſſe in hac re conſeſequenda difficultatis.

8 Paucis poſtea diebus innotuit in Curiâ, pijſsimum & verè Catholicum Principem Philippum tercianula febri à nono Kalendas Ianuarias laborantem, & extremo ſermone ſuum dolorem explicantem, quod maiorem non poſuerit in hac re conatum, nec meruerit ſuo tempore puritatem Virgineam videre omnino ſtabilitam, è viuis exceſsiſſe pridie Kalendas Aprileis, tranſmiſſo ampliſſimo regnorum dominio, quo maius nullus hominum poſſedit, ad Philippum IV. ſuum primogenitum, quem pio & ſalutari documento, ſcriptis ſua manu notulis, ad pietatem & regiminis iuſtitiam adhortantibus, moribundus inſtruxit. Sed illa adoleſcentuli Principis ad auguſtiſsimum imperium euehendi eo potior inſtitutio, quo altius infiguntur exempla, quam verba, quod pius pater contempta regia purpura & Principum faſtu, vocato ad ſe ordinis Minorum Generali miniſtro, leucophea aut murina Franciſcanorum donari veſte petierit, eaque ſuper inducta mundanas pompas ſpernandas eſſe, religioſo docuerit exemplo. An non hic conſiderare liceat, quam tenui clauduntur exitu ampliſsimi Regum ſplendores, quam ſub paupere euaneſcit ſago, tanta rerum magnitudo? Qui paulo ante adorabatur ſub oſtro, ſplendebat in purpura, cuius poteſtas pertingebat à mari vſque ad mare, & tendebatur ad vltimos fines terræ, iam exiguo clauditur ſarcophago pauperculi monachi humili lacerna contectus? Ita ſupera inferis, grandia paruis mutat mors; imperium neſcit, Principes non agnoſcit adæquatrix optima.

Philippus III.

Ante Mortem ſumit habitum Minorum.

Ouid. 3. Amor. 8.

Scilicet omne ſacrum mors importuna profanat;
Omnibus obſcuras inijcit illa manus.

Omnes

9 Omnes in ea sunt conditione, in qua nemo non est. *Vnus est introitus omnibus ad vitam & similis exitus*. Rectè Seneca; *Mors par est, per quæ venit, diuersa sunt; in quod desinit. vnum est; Mors nulli maior, nulli minor.* Nec minus rectè Alphonsus Rex interrogatus, quæ res Reges ac priuatos, diuites ac pauperes, claros & obscuros, deniq; prorsus omnes exæquaret? Respondit, mors: indicans pari apparatu omnes ab hac vita auocari, mortemq; æquo pulsare pede pauperum tabernas, regumq; turres. Aeterna lex est, vt qui nascũtur quamuis sublimes, humiles denascantur; qui oriuntur quamuis locupletes, pauperes aboriantur, nec quicquã stabile aut firmum arbiter ille rerum esse voluit præter ipsum; nec tamen de Numine conquerendum, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit; demerenti abstulit; benemerenti demum exuta mortalitate non negabit. Sap.7.5. Seneca Epist.67. *Aequa omnibus mors.*

10 Sperabatur, vt euenit, ad tanti Principis mortem magna in Hispanico dominatu, & Regni administris vicissitudo. *Vsitatissimum quippe est, vt ab interitu Summorum Principum magnæ fiant rerum conuersiones, dum alij crescunt & locupletantur, alij vero detrimentum accipiunt, & in varias acerbitates incidunt*. Porro neque id mirum, *quoniam Regum voluntas, vt vehementes, vt mobiles, sæpe sibi aduersæ* *Vicissitudo administrationum in Aula Hispanica.* Plutar in Moral. Salust. in Tugur.

—— sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere pondera gentes
Concidere has. —— Ouid. 13 Metam.

Ad nutum regnantium aulici surgunt, cadunt; imperant, seruiunt; occultantur, emergunt; *reuera adsimiles abacorum calculis qui vt secundũ voluntatem calculatoris modo obolum æreum, modo talentum valent; ita Aulici ad nutum Principis, modo beati, modo miseri sunt.* Illorum solet esse in his vicissitudinibus potior conditio, & diuturnior fælicitas, qui procul Regibus adlaborant, quam qui propè administrant; nam proinde *spectatissimus quisq; regum consuetudinem, flammarum naturæ bene comparat; quæ sicut paululum à se remota illuminant; ita satis admota sibi, comburunt*. Ita sensère qui corâm in aula, & qui longe ab aula in exteris Prouincijs erant Regni administri; illi repedarunt, hi cursum continuarunt. Polyb. lib.5. Claudia. lib.3. Epist.3.

11 Inter cæteros vero, quibus regio chyrographo Principis innotuit voluntas, vt acceptis à patre honoribus fruerentur, iniunctisq; fungerentur Legationibus, vnus fuit præ cæteris Alburquerquius, cui peculiari schedula intimatum est, vt easdem regni causas prosequeretur; & iustas pij prædecessoris, & desideratissimi parentis preces apud S. Dominum amplius vrgeret. Præcipuas intellexit Orator, *Confirmatur in Legatione Romana Alburquerquius.*

tor,quas eouſq; effudit pro definienda hac Controuerſia,nec quippiam nouo Regi potius eſſe in votis, quam vt hæc obtineretur definitio. Proinde inito conſilio, & ſecum introducto ad Pontificē ſupranominato Theologo inſtitit tertio, ſed nunc primum Philippi IV.nomine de hac re terminanda.Plenū diſtulit reſponſum Pontifex,donec in negotio adeo graui, quid adhuc cogitaretur in Hiſpania,quonam vltra proceſsêre tumultus,quantū ac quale expeterent remediū, & quam inſitum Regi de claudendo hoc negotio deſideriū clarius expreſsiuſq; ſpecialibus de hoc deſtinatis litteris conſtaret.

Iubetur Orator vt ab instando desistat.

12 Scribit hoc ipſum Alburquerquius nouo Regi,largiorem ſubtexens rei ſtatus & ſuæ, eouſq; præſtitæ curæ, relationē. Sub menſe autem Iunio reſcriptū accepit non harum, ſed illarum quas 6. Idus Martias dedit ad Philippū III. cuius mors & filij inauguratio celeriorem impediêre expeditionem, in quo propter expenſas ſecum & intimis Conſiliarijs rationes, dicebat Rex pro illo tempore deſiſtēdum eſſe paululū ab vlteriori in hac re inſtantia. Epiſtolæ tenor eſt.

R E X.

13 DVx Alburquerqui Conſanguinee, mihi à Conſilijs & Romæ Legate. Vidi tuas litteras datas 10. Martij quibus reſpondes ad ea,quæ Dominus meus & Pater (cuius anima in gloria requieſcat) tibi ſcripſit circa puriſsimam Conceptionem Dominæ Noſtræ. Attamen quamuis ego non minori ferar deuotionis affectu in hoc ſanctum myſterium, volui tibi intimare, hic iudicari, quod modò expedit ſuſpendere vlteriores diligentias & inſtantias in hac re; Interim dum rerum ſtatus & conditio permiſerit, ſtabitur vltimo & fauorabili Decreto Sanctiſsimi D.Pauli V. dum turbatis rebus neceſſario efficacius adhibēdum ſit remedium, certior fies. Madriti 12. Maij 1621.

EGO REX.

De mandato Domini Regis

ANT. DE AROSTIGVI.

Idē denuo statuitur.

14 Hoc idem repetitis litteris datis Madriti 17. Kalen. Iulias reſpondit Rex ad alias Oratoris litteras ſcriptas ad eundē Philippum III. ſub menſe Aprilis. Priores prodierunt ex Conſilio ſupremi ſtatus regij, poſteriores ex alio Conſilio, quod vocāt Cameræ, ſcriptæ per Regium Symmiſtam Georgium Touarium. Ad vtraſque ſigilla-

ſigillatim reſcripſit Orator ſe nihil amplius peracturum in hac cauſa abſq; nouo præcepto; deſideraſſe tamen vt ſibi liceret Hiſpalenſibus & Franciſcani ſodalitij viris, qui indefeſſo & continuo ſibi euſque ſolerti in Curia cura adlaborarunt, & cauſæ profectui inhiabant, quotidianaſque adhibebant in ea promouenda diligentias, expandere has litteras, ne ſuſpicarentur in tam pio, & laudabili negotio ſe tepuiſſe, eiuſque ignauiæ aut tepori, non regis præſcripto, tribuerent, rem vndequaque eſſe neglectam. Horum etiam pietas fouenda, ſolertiaque iuuandane, an interim præpedienda eſſet; orauit vt ſcriberetur; nec enim quippiam ſe tentare auſum in re adeo graui, dixit, abſque peculiari inſtituto.

15 Neque inane profecto fuit viri Conſilium, aut temeraria ſuſpicio, etenim vt Domini Hiſpalenſes Minoritici inſtituti Patres, & qui idipſum nobiſcum cooptabant, viderunt tepeſcentem in precibus, & omnino deſiſtentem ab vlteriori inſtantia apud Sanctiſsimum Dominum, velut ipſe ante opinatus eſt, iudicarunt, fueruntque qui innocentem taxarēt, & apud plures optimates in Pontificia & Regia Curia verbis, & ſcriptis de eius incuria conquererentur. Ille tamen ſæpius apud ſe congregatorum demulcebat animos, longaminitatem & ſufferentiam commendabat; ſacro etiam ſæpius interpoſito iuramento, ſuum de perficiendo hoc opere deſiderium, nullo minus eſſe ſpondebat, neque quicquam huic muneri opportunum ſe omiſiſſe, omiſſurumue, quod Regi placeret. Neque vero inter varias opiniones, diuerſaque de eius taciturnitate efformata iudicia fluctuantibus quicquam ſibi à Rege interdictum planè depromplit; quod omnes tenuit ſuſpenſos, donec hanc, quam ſubijcio, Orator accepit Epiſtolam.

Accuſatur, ſed immeritò ſuis ſibi-ij.

R E X.

16 DVx Alburquerqui, Conſanguinee, mihi à Conſilijs & Legationibus Romanis. Percepi quę in tuis litteris 20. menſis Iunij reſpondes ad ea, quæ ſtatui circa ſuſpendendam ſolicitudinem in cauſa puriſsimæ Conceptionis Sanctiſs. Virg. Mariæ. Retulit etiam mihi Antonius de Aroſtegni, quæ ipſo eodem tempore circa eandem materiam ipſi ſcripſiſti. Nihil vero occurrit, quod modo tibi præſcribam, quam quod illorum, qui in Vrbe huic muneri aſsiſtunt, diligentias ſeu ſolicitudines non interrumpas, aut præpedias, conſtitutū tamen in nuperioribus meis litteris ipſemet

obſerues. Quale tamen ego tibi præſcripſerim, ſi illi ad tuam in hac cauſa taciturnitatem explorare, vel ſcire inſtanter cupierint, reuelare poteris, meliori quo iudicaueris modo. Madriti 3. Auguſti 1621.

EGO REX

Ex mandato Domini Regis

ANT. DE AROSTEGNI.

Solatur Hiſpalenſes & Minoritas Orator.

17 Vt hanc recepit epiſtolam Orator ſub menſe Septembri, licet ipſe ſuam ad Regis præceptum intermiſerit de hac re curam, non deſtitit tamen noſtrum omnium laudare, & probare votum, & ſolicitudinem. Vt tamen ipſe vlterius pergeret, expectandum ſibi eſſe dixit Regis præceptum; nec mirandum, addidit, inter tot Regni & belli Germanici, exorienteſque Belgicos tumultus, regem quantiſper turbulento hoc tempore grauiſsimis curis circumſeptum, animum huic occupationi quantumuis ſacræ, non applicuiſſe, eamque in commodius & liberius tempus diſtuliſſe tractandam, imo voluiſſe, quæ moras non patiebantur, expedire, rem deinde hanc à curis ſolutum ſolicitius perficere.

18 Alijs hoc genûs rationibus languentes excitabat animos Illuſtris Vir D. Aug. Daza oratorius in rebus Legationis Symmiſta, Canonicus & Decanus Eccleſiæ Segobienſis, necnon eius Secretarius, Vir pius, & in hoc Myſterium ſumme propenſus, qui nulli aliquando pepercit labori, qui cauſæ noſtræ promouendæ conduceret, ſæpiſsime miſſus ab Alburquerquio vt ſuo & Regis nomine de eadem ageret cum Pontifice & Illuſtriſsimis Cardinalibus. Admouit viro, licet minime pigro, calcaria Antonius Daza Minorita germanus frater, qui hoc tempore peruenit in Vrbem, coaptatus in Comitijs generalibus intermedijs Segouiæ à ſui inſtituti viris celebratis, in huius Curiæ Commiſſarium.

Iterum referueſcit Conceptionis Immacul. deuotio in Hiſpania.

19 Conciderunt nihilominus animo, qui olfecerunt interdictã à Rege vlteriorem ſuo nomine inſtantiam apud Summ. Pontificem, donec iam denuo nouis ſcãdalis commoueri aliquas Hiſpaniæ vrbes acceperunt, & referueſcere fortiuſq; ebullire in Hiſpanorũ cordibus puritatis Marianæ declarandæ deſiderium: egiſſe etiam viros Principes apud Regem ſibi liberius vacantem, vt quod pijſsimi ſui progenitores aggreſsi ſunt, fæliciter clauderet, optatumq; & vnicum malorũ ſui regni remediũ efficaciter, & humiliter à Sum. Pontifice poſtularet. Opportunam deinde admonuerãt oblatam fuiſſe occa-

occaſionem huius gratiæ deprecandæ, dum tunc Romam mittebatur Comes Montis-regij extraordinarius Legatus, vt quanta erat & Regis & ſibi ſubditorum regnorum erga Sanctam Sedem filialis obedientia nouo Pontifici præſens ſignificaret. Iniungendum ergo conſuluerunt Comiti hoc munus, vt pro primo & omnium maximo, hoc donum à Sanctiſsimo peteret Antiſtite, vt vel vltima definitione Controuerſiam clauderet, vel illud adhiberet temperamentum, vt iam amplius non ageretur de contraria ſententia, ad quam omnes conturbabantur.

20 Acquieuit horum conſilijs Rex, & pijs efficacibuſque verbis commiſſa hac cura Comiti ad iter accincto, ſcribi iuſsit ad Alburquerquium ſequentes litteras, vt noua interpoſita prece melius diſponeretur & facilius obtineretur quod erat in votis, accedente nouo Legato.

Commendatur nouo Legato eiusdem rei ſolicitudo. Iubetur Alburq. vt pergat orando.

R E X.

DVx Alburquerquij, Conſanguinee, mihi à Conſilijs & à Legationibus Romanis. Quantumuis ſtatim vt in horum regnorum dominatu ſucceſsi meis progenitoribus, iuſsi tibi ſcribi, quæ accepiſti circa puriſsimam Conceptionem Virginis Mariæ, nihilominus quia modo aliter res poſtulat, & quia ſingulari feror deuotione in hoc ſanctum Myſterium, decreui deſtinare Suæ Sanctitati hanc, quam mitto, Epiſtolam, cuius etiam exemplar ad te mitto. Eam præſens dabis ipſe, & conformiter ad ea, quæ ſcribo loquêris Suæ Beatitudini ſignificabiſque quanto me afficiet conſolatione & gaudio, ſi tandem hoc opus perfecerit, quod ex ſanctis ſuis manibus me accepturum confido. quicquid fiat, ſtatim reſcribe. Madriti 10. Nouembris anno 1621.

EGO REX.

De mandato Domini Regis

ANT. DE AROSTEGNI.

21 Communi omnium noſtrum, & ſuo gaudio accepit has litteras Orator ad nonas Decembris, reaſſumptoque animo, & concepta meliori ſpe cœpit ſolicitus ſecum cogitare, congregatiſque ſæpius in vnum viris Hiſpalenſibus, ſupranominato Theologo, Antonio Daza ſui ordinis Commiſſario, Bernardino de Areualo, ſibi

Init Alburq ſæpius in hac re Conſilium.

 à ſecre-

à ſecretis conſcientiæ, eiuſdem inſtituti viris Theologis, meum omnium minimo, anxius tractare quomodo, & quibus rationibus poſsit hoc opus ad perfectum deduci. Ponderatis, præmeditatisq; quæ proponenda erant Sanctiſsimo Domino, iniunctam de hac re Legationem obiuit ad Idus Decembris, præmiſsis de more officioſis, & humilibus Regis ſalutationibus, pium eius, & feruens expandit de terminanda hac Controuerſia deſiderium, vel de quouis adhibendo ſcandalis remedio neceſsitatem. Largum de his produxit ſermonem, & benignè exauditus, quas ſubiungo Regis litteras Sanctiſsimo Domino porrexit.

Regis Pontifici porrigis litteras.

SANCTISSIME PATER.

22 HOrum Hiſpaniæ Regnorum Reges, mei Prædeceſſores magno colebant affectu puriſsimam Conceptionē Dominæ Noſtræ Virginis Mariæ, ſed præ cæteris Rex Pater, & Dominus meus magno feruore eandem veneratus eſt. Inſtillata etiam mihi à progenitoribus peculiaris huius ſacri Miſterij, & ſanctæ feſtiuitatis deuotio, quam Veſtræ Sanctitati propalandam duxi, humiliter deprecans, vt in fælici tuo Pontificatu id curare digneris, vt exaltetur, & extendatur in populo Chriſtiano hæc pietas in Virginem, ijs appoſitis remedijs, quæ ſancto tuo zelo, miræ eruditioni, & rerum experientiæ potius expedire, & magis ad obſequium, & honorem Dei, & Domini Noſtri, ſuæq; benedictæ Genitricis conducere videbuntur. Deus Sanctam Tuæ Beatitudinis perſonam cuſtodiat incolumem. Datum Madriti 10. Nouembris anni 1621.

SANCTITATIS VESTRÆ.

Deuotus admodum & Humilis filius, PHILIPPVS *Dei gratia Rex Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, vtriuſque Ciciliæ, Hieruſalem, Portugalliæ, Nauarriæ, Indiarum &c. qui ſanctos tuos pedes, & manus oſculatur.*

REX.

De mandato Domini noſtri Regis,

ANT. DE AROSTEGNI, Secretarius.

23 Congratulatus eſt Sanctus Pontifex Adoleſcentis Regis laudabili pietati, quippe qui inter bellorum ſtrepitus, & ampliſsimi Dominij curas, de pio erga Sacratiſsimam Virginem cultu tantopere

pere cogitaret. Porrò ſe etiam cogitaturum dixit, quatenus pijs deuoti Principis votis poſsit ſatisfieri. Reſcripſit omnia Orator ad Regem animaduertens negotij grauitatem, vincendaſque difficultates piorum orationibus, & diuino adiutorio, quod vt Religioſis ſupplicationibus imploraretur, orauit; interea egit cum præcipuis expurpuratis Patribus, qui auxilio poterant eſſe, & fauori, vt ſuam etiam opem vellent præſtare; aliaq; exercuit munia, quæ aſſequendæ huic rei videbantur opportuna.

24 Sua etiam tunc putarunt intereſſe Iſabella Regina, Ferdinandus Cardinalis, germanus Regis frater, & Margarita Auſtriaca, Maximiliani Imperatoris filia, eiuſdem Regis Amita, ſtrictius Clariſſarum inſtitutum profeſſa, Regijs precibus ſuas adiungere, multiplicatiſque intercesſionibus oſtendere omnium, & ſingulorum vnum eſſe in hac re affectum, atque vnanimi tot Principum ſubſcriptione ſacrum præbere teſtimonium (cui plenam fidem denegare ipſa regibus debita prohibet religio) de magna reſcindendorum ſcandalorum neceſsitate; & huius Controuerſiæ fælicem exitum, ſummam, & vniuerſalem pariturum in fidelium cordibus exultationem. Subiunxerunt & ſuas preces alij Dynaſtæ, & ex Silentiarijs, qui à latere Regis, alij, ſed præ cæteris orauit inſtantius propter emiſſum votum de recuperata extemporaneè valetudine ad inuocationem B. Virginis ſub huius Miſterij veneratione, Comes Oliuarenſis Regis fauoritius, datis ad Sanctiſsimum Dominum, eiuſque Nepotem Illuſtriſsimum Cardinalem Ludouiſium epiſtolis. Principum litteras ſubijcio.

Scribunt de eadem re, Regina & Princeps Hiſpaniæ.

Beatissime Pater.

25 Antiqua deuotio, qua vniuerſa noſtri dominij regna ſemper proſequuta ſunt Angelorum Reginam, & Dominam noſtram, excitarunt in eiſdem & in me feruida deſideria, vt foueatur Apoſtolica determinatione, pia, & ſecura veritas, de pura, & munda eiuſdem Virginis Conceptione. Et quantumuis iam pridem feruenter de hoc ipſo inſtitutum eſt, glorioſum hoc facinus reſeruatum iudico fauſto, & fælici Veſtræ Beatitudinis tempori, quæ tot ſignis deuotiſsimum ſe exhibuit erga Immaculatam Conceptionem; proinde ſumma ſecuritate & confidentia, omni quo poſſum affectu (vt aliqualis ex hac parte meriti particeps fiam) humiliter obſecro Veſtram Beatitudinem vt dignetur vniuerſa hæc Regna

Reginæ Epiſtola.

consolari per vltimam determinationem in causa adeò rationabili. Porrò si propter rei grauitatem longiori mora opus fuerit, affectuosius, & supplex oro, vt Vestræ Beatitudini complaceat statuere, quod dum non peruenitur ad vltimam definitionem, non liceat nec disputando, nec altercando contrariam defendere sententiam in publico, nec in secreto. Adeò etenim aduersa est vniuersali deuotioni harum Prouinciarum, vt iam in illis euaserit scandalosa. Magnum induo confidentiam de consequenda hac gratia à Vestra Beatitudine cuius sanctissimam personam Deus custodiat incolumem ad fælix & prosperum vniuersæ Ecclesiæ regimen. Madriti 5. Nouembris anno 1621.

VESTRÆ BEATITVDINIS

Humilis admodum & deuota filia D. ISABELLA *Dei gratia Regina Hispaniarum, vtriusque Ciciliæ, Hierusalem, Nauarræ &c. quæ Beatitudinis Vestræ sanctos pedes, & manus exosculatur.*

REGINA.

SANCTISSIME PATER.

Cardinalis Infantis supplex Epistola.

26 ADeò antiqua, & recepta est in his Regnis pia deuotio erga mundam, & puram Virginis Mariæ Dominæ Nostræ Conceptionem, vt quicumque velit contrarium etiam per modum disputationis tueri, notorium excitet scandalum. Propterea toties & tam instanter supplicatum est vt vellet Sedes Apostolica infallibili sua determinatione tollere omnem libertatem contra Immaculatam Conceptionem sentiendi. Quod vero hucusque factum non sit, ego tribuendum puto diuinæ voluntati, quæ ita disposuit vt gloriosum hoc facinus fælicissimo Vestræ Sanctitatis Pontificatui seruaretur; quæ alias tot signis suam in Immaculatæ Conceptionis Mysterium deuotionem ostendit, eadem etiam ego commotus, necnon feruidis desiderijs omnium incolarum horum Regnorum, securus, & supplex oro Vestram Beatitudinem vt dignetur totaliter resoluere negotium, quod in omnium votis est, & magni censetur momenti. Si vero rei grauitas moram exegerit, deprecor vt interim prohibeat Vestra Beatitudo defendi contrariam sententiam tam in publico quam in secreto; adeo etenim aduersatur communi hominum deuotioni, vt in omnibus scanda-

ſcandalum generet. Dominus noſter Sanctiſsimam perſonam Veſtræ Beatitudinis cuſtodiat incolumem ad multas, & fælices annos pro Chriſtianæ Reipublicæ emolumento. Madriti quinta Nouembris anno 1622.

SANCTISSIME PATER.

Oſculatur Sanctos Tuæ Beatitudinis pedes ſuus Humillimus filius

CARDINALIS INFANS.

SANCTISSIME PATER.

27 MEi officij, & obligationis eſſe iudicaui intercedentibus Rege & Regina pro definienda B. Mariæ Virginis Conceptione cuius deciſionem diſtulit Deus ad Veſtræ Beatitudinis tempus, vt & ego humiles meas intermiſceam ſupplicationes. Supplex ergo deprecor, quo poſſum affectu, vt iam tandem determinare dignetur Veſtra Beatitudo pro omnium deſiderio, quid in hoc ſancto Myſterio tenendum, & credendum ſit, per quod ſcandalorum cauſæ tollentur & omnium ſumma, & vniuerſalis erit exultatio. Hoc mecum deprecantur omnes huius religioſæ ædis piæ Sanctimoniales, quibus & mihi vt Veſtra Beatitudo ſuam impartiri dignetur benedictionem humiliter obſecramus. Sanctiſsimam Veſtræ Beatitudinis perſonam ad proſperum vniuerſæ Eccleſiæ regimen Deus Opt. Max. ad fælices annos cuſtodiat. Madriti 10. Nouembris anno 1621. *Margarita Auſtriaca Epiſtola.*

SANCTISSIME PATER.

Oſculatur Veſtræ Beatitudinis pedes Humilis & obediens filia, ſoror

MARGARETA A CRVCE.

28 Ad tot tantorumq; Principum intercesſiones animum applicuit Sanctiſsimus Dominus ad cogitandũ ſerius de tollendis ſcandalis fidelium, quod ex hac Controuerſia oriri Principes conteſtabantur: diſtulit tamen ad aduentum Oratoris extraordinarij, cui etiam mandatam huius rei pertractandæ Prouinciã eſſe cognouit, voluit etenim plenius informari ab oculato & aurito teſte de rerum ſtatu, & Prouinciarum neceſsitate, & experiri an forte longiori diſſimulatione, & protracta mora, rerum ſtatus mutaretur.

Ductis ſecum Minoritis iterũ inſtat Alburquer.

29 Doluit Dux Alburquerquius non iam tractari, aut ſaltem inchoari, quod vlterius differri non poſſe iudicauit, tum ob rerum exigentiam, tum ob continuam & multiplicem Principum inſtantiam. Quare peractis Natalis Dominici ſolemnibus Pontificem adijt, conuocatis, & ſecum introductis præfatis Commiſſario & Theologo, meaque humilitate, vt ſimul omnes comprecaremur, & deinde quiſque ſigillatim eas promeret rationes, quibus efficacius rem obtinendã eſſe videretur. Proſtratos ſe coram, Sanctus Pontifex benigne complexus, piè & leniter noſtras preces excepit, ſuas præmittente & opportune interponente Alburquerquio, qui è regione ad Pontificis læuam in ſcamno conſidebat. Oraculum eructauit Sanctiſsimus Pater ſat fauorabile, ſe videlicet, iam nihil tam animo reuoluere, quam vt ſcandalis occurreretur, adeo continuis & efficacibus deprecationibus, quantum æquitas permitteret, ſubſcriberetur, & religionum moleſtijs diuturniſque perturbationibus poſsit ſubueniri. Hilari deinde fronte Pontificiam addidit benedictionem, & multam ſpem de quantocius componenda Controuerſia.

30 Magno omni gaudio affecit affabilis Pontificis reſponſio, & pia dirimendi huius dubij reſolutio: expectaturum tamen facilè iudicauimus aduentum Comitis Montis-regij, quem iam Barchinone ſoluiſſe, breuique adfuturum in Vrbe perſonuit. Interim priuatim & abſque ſtrepitu verſabant quæſtionem pij, & docti viri in Curia, & vtriuſque partis fautores ſua denudabant fundamenta & præparabant reſponſa. Superuenit deinde nouus Legatus, poſt longiorem Genuæ moram protractam, ipſo profeſto Sancti Gregorij Papæ, præcipuis, & frequentibus Romanæ Nobilitatis & Hiſpanicæ confederationis ſtipatus optimatibus, præſalutatus per internuncios in ipſo itinere, vt Romanis moris eſt, ab Illuſtriſsimis Cardinalibus alijſq; Dominis Eccleſiaſticis, miſsis ad Comitiuam ſuis aulicis & ſeiugis vehiculis. Sequenti die inſigne & ſacrum ingreſſus Theatrum, ad Verticis Apoſtolorum confeſsionem erectum, myſterioſas illas vidit cæremonias, quibus Pontifex Sanctis adnumerauit Iſidorum Madritenſem, Ignatium Loyolenſem, Franciſcum Xauerium, Tereſiam à Ieſu Hiſpanos, & Philippum Nerium Florentinum.

Nouus appellit Legatus.

Aſsiſtit Canonizationi Sanctorum.

Magnificentia eius apparatus.

31 Idibus deinde Martijs ſpecimen dedit, (vti inoleuit conſuetudo) magni apparatus ampli & ſplendidi Comitatus, quibus hanc

aggreſſus

aggreſſus eſt Legationem à Porta Flaminia, vulgariter *Del Popolo* dicta, & numeroſa ſerie Equitum & vniuerſorum optimatum Romanorum medius inter Pontificis fratrem & nepotẽ, multo auro, gemmis, ſerico ſplendeſcens ad Alburquerquij ædes, ſui Hoſpitij ſedem, deductus. Poſtridie ſimili faſtu & magnificentia Pontificium in Vaticano conſcendit Palatium, cauſam dicturus, obedientiam præſtiturus. Deinde vndecimo Kalendas Aprilis à Sanctiſsimo Domino illum dumtaxat pro Regis inſtructione petijt ſibi exhiberi fauorem, vt quam primum fieri poſsit pro malorum quotidie exorientium remedio, pro ſumma Regis pietate, & communi regnorum prece vltimam apponat manum moleſtæ, & iam ſatis diſcuſſæ quæſtioni, vel dum differenda ſit definitio, ſopienda ſint ſcandala, & præuenienda imminentia mala illius opinionis ſilentio, quæ peccatum ſtatuit in Virgine Deipara. Retulit etiam rei ſtatum in Hiſpania, & grauiorum euentuum narratione, ſuam poſtulationem æquam & Pontificis aſſenſum neceſſarium eſſe, verbis, & ſcripto probauit. *Petit huius negotij resolutionem.*

32 Iam tandem Regijs precibus, publico ſubditorum extortis periculo, & ab altero, imo iam tertio & quarto Oratore propoſitis, annuendum iudicauit ſacer Antiſtes, & ante Comitis receſſum aliquid in hac re ſtatuendum promiſit. Illis ipſis diebus Paſchalibus intellexit Orator rem hanc tractandam coram Illuſtriſs. Dominis Cardinalibus fidei ſpeculatoribus in Sacroſanctæ inquiſitionis ſupremo Senatu, & hunc conuocãdum proximo die Iouis poſt lapſa Paſchalia; miſitq; die Mercurij nobilem ſibi à Secretis virum, qui ſuo nomine dato libello ſupplici deprecaretur, vt hæc res proponeretur in craſtino. Ita factum eſt, ſanctum & ſummè venerandum illum cætum grauiter, ea, qua Pontificem decet, Maieſtate, ipſo Sanctiſs. Domino alloquente, & explicante Regis Principumque deuotas & continuas inſtantias, Prouinciarum commotionem, remedij neceſsitatem. Qua ratione in tanta re procedendũ ſit, quidue faciendum vt malis obueniatur, & ſatisfiat Regi iuſtè petenti, vt turbatis ſuis regnis prouideatur, iuſsit vt vnuſquiſque ſecum meditaretur, & octiduo poſt, eodem ipſo in loco referret. *Subſcribere intendit Pontifex Regijs precibus.* *Proponit rem Sanct. Dominus Illuſtriſs. Cardinalibus.*

33 Non latuit Comitem, quam bene ſecum actum ſit, quod optimis iudicibus & candidis viris iam commiſſa ſit, ſaltem diſcutienda, vel præmeditanda, quam deſiderabat, negotij reſolutio. Vt autem feſtiua eſſet, & feſtina omnes & ſingulos alloquendos &

plenè

plenè inſtruendos duxit de commendata ſibi Prouincia, & deprecandi neceſsitate. Adhibuit ſibi comites Gondiſaluum Albernozium Societatis IESV virum doctum & grauem, ſibi à confeſsionibus, & prænominatum Franciſcanorum Commiſſarium. Ille quod politicum & Regium, hi Eccleſiaſticum & Theologicum proponebant; ſi Controuerſia diffiniri poſsit, hoc conſultius addiderunt, ſin autem, ob temporis anguſtias à confabulationibus, & cultu in quibuſcumque actibus tam publicis, quam ſecretis interim relegandum eſſe, quod immaculatæ videretur contraire Conceptioni, neque enim aliter pacari poſſe res Hiſpanicas, neque Regem poſſe à prece deſiſtere, plenam faciebant fidem. Copioſum de his porrexerunt vnicuique ſcriptum, ex quo illud collegerunt vniuerſi purpurati hi Patres, illud dumtaxat peti, vt dum non procederetur ad definitionem, neque defendi vllo modo publico, aut ſecreto, poſſet affirmatiua ſententia, neque in cultu diuino amplius liceret vti voce aut ritu Sanctificationis.

Aequam iudicant Regis petitionem.

34 Collatis inuicem Prouinciarum commotione, ſcandalorum multitudine, populi deuotione, & Principum inſtantia, cum modica, imò nulla vtilitate, aut neceſsitate vt affirmatiua doceretur opinio, Chriſtianumque, & religioſum iudicantes, vt ſub vnanimi voce idem eſſet in ſolemni cultu ritus Eccleſiæ, indicto Conuentu, vt moris eſt, die proximo Mercurij, omnes qui interfuerunt, rationabile & iuſtum dixerunt quod poſtulabatur, atque vt concederetur, conſulendum eſſe Pontifici. Sperabatur ſolemnis Pontificis in craſtina congregatione conſeſſus, vt auditis Cardinalium ſententijs, ſuam ederet, quando illa nocte grauioris ſequelas ætatis, varios ſenſit dolores; his per aliquot laborauit dies, ſub quibus Comes Neapolim contendit, tum vt inſigne illud emporium conſpicaretur, tum vt quæ habuit in mandatis à Rege, perficeret.

Aegrotat Pontifex.

It Neapolim Comes.

Commouentur contrarij ad vnanimem Cardinalium ſententiam.

35 Sed ante diſceſſum ſenſit ſtrepere aduerſæ opinionis tutores, qui dum olfecerunt Illuſtriſsimorum Cardinalium conſenſum ſibi aduerſum, nullum non mouebant lapidem, vt concordes diſſoluerent, & præcipuos eò ducerent, vt aliter ſentirent. Id aggreſsi ſunt diuerſis, ſed vt plurimum exſoletis iam rationibus, tum in Illuſtriſsimorum domibus, dictis, tum in varijs opuſculis porrectis, ſæpiuſque repetitis. Ad has illorum commotiones adeſſe debere iudicauit Comes, qui ſuo nomine faciliorem haberent acceſſum ad Illuſtriſsimos Dominos, & plene ſatisfacerent contrarijs obiectionibus.

nibus. Prouinciam hanc demandauit supranominato Franciscano Theologo, & mihi prorsus indigno: cuidamque suo palatino iniunxit, vt præsens nobis, & socius adesset, suumque adhiberet officium in ijs, quæ nobis viderentur opportuna.

36 Post abscessum Comitis, plures in contrarium adhibitæ diligentiæ, vrgentiores acrioresque in suo sensu, qui affirmatiuæ cauebant. Sed & diuulgatum scriptum quoddam anonymum Pontifici, & Regi infensum, in quo omnes etiam ipsi, qui ex aduerso sentiebant, modestiã, & pietatem, ne quid amplius dicam, requirebant. Sibi incumbere iudicauit Dux Alburquerquius contrarijs his conatibus, & huiusmodi ausibus semet opponere, nobisque præsentem adesse. Quare conuocatis etiam viris Hispalensibus, Minorum Commissario, singulos inuisit Cardinales, quibus nostræ iterato patefactæ sunt rationes, & pro virili satisfactum eis, quæ propositæ erant ex aduerso. Scripta etiam opposuimus scriptis, easdem ipsas ferme continentibus obiectiones, quas sæpius elusimus, & largius refellunt Tractatus, qui in secunda offeruntur Sectione. Nihil fermè non plene à contrarijs dictum, & pro arbitrio obiectum per integrum mensem, & amplius, dum non redijt Legatus, nec conualuit Sanctiss. Dominus, ita vt rectè perceperint Illustr. Cardinales constituti in causa Iudices, quibus nitebatur fundamẽtis vtriusque partis sententia, & quam sine veritatis iniuria ad populorum quietem, & ædificationem taceri posset affirmatiua.

Alburquerquius contrarijs obuiat diligentijs.

37 Interim vt ad Dei gloriã, & veritatis manifestationem sanctũ haberet hæc Controuersia exitum, indictis publicis precibus à suo primicerio, oblatis solemnibus missarum sacrificijs, & quotidianis Processionibus in suis templis orabant Minoritæ, donec regresso Comite sub Idibus Maij, & recuperata iam valetudine, rei curam reassumpsit Sanctiss. Dominus, & serius de ea iterum egit. Nono deinde Kalẽdas Iunias, in Monte Quirinali, in plena Sacrosanctæ Inquisitionis Congratione, Purpuratorum Patrum vnanimem sententiam de interdicenda in quibuscumq; actibus illa opinione, ad quam populi commouebantur, & de tollendo è cultu Ecclesiastico nomine *Sanctificationis*, Apostolica auctorita plene approbauit, & firmiter stabiliuit. Qua tamen forma, vel quibus clausulis Decretum hoc esset edendum Illustriss. Dominis Cardinalibus determinandum commisit. Hic exorta noua dubia, & controuersiæ, quibus fauorabiliter terminandis iterum serio nobis

Serius iterum agitur de hac Controuersia.

laborandum fuit, & sigillatim alloquendi Illustrissimi Domini, ne à quibusdam inculcatæ admitterentur, aut aliæ apponerentur clausulæ, quæ dubiam redderent Decreti intelligentiam, aut noua præberent scandalis fomenta.

38 Adfuêre semper in his, & in cæteris omnibus suo consilio & adiutorio duo Illustrissimi Cardinales Hispani D. Gaspar tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem de Borja, & D. Gabriel tituli Sancti Bartholomæi in Insula de Trejo, quorum sæpius per suum Confessarium desiderabat Comes in agendis sententiam, & quos Domini Hispalenses, & Minores habuimus semper in hac causa fautores præcipuos. Interuenerunt etiam Patres Societatis IESV (qui multam præstiterunt operam doctis editis scriptis, & pijs exhortationibus ad populum, in hoc promouendo negotio) apud Cardinales beneuolos & amicos, vt fauorabiliter, & absque ambiguis exceptionibus conderetur Decretum. Egerunt non semel de hac re Illustrissimi Iudices, & tandem 3. Kalendas Iunias bonam & ratam hanc quæ sequitur habuerunt Decreti dispositionem, dummodo Sanctissimo Domino placeret. Paucis antea diebus secessit in ciuitatem Tusculanam Sanctissimus Pater animi refocillandi gratia, ad quem transmiserunt compacti à se Decreti exemplar Illustrissimi Cardinales, vt pro supremo suo iudicio, additis vel subtractis, quæ placerent, in omnium ederetur conspectum. Approbatam remittit postridie Sua Sanctitas Constitutioné ad Illustrissimum Dominum Cardinalem Bandinum Sanctæ Congregationis primicerium, diuulgarique iussit ritu solito typis excusam. Prodijt ex typographia Camerali vltimo nonas Iunias, & eodem die affixa est ad valuas Basilicæ Apostolorum, & in acie Campi-floræ, summo nostro desiderio, & magna omnium exultatione.

Forma Constitutionis hæc est.

39 F*Eria* III. *die* XXIV. *Maij, Anno à Natiuitate Domini Nostri* IESV *Christi* M. DC. XXII. *In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram S. D. N.* GREGORIO *diuina prouidentia Papa* XV. *ac Illustrissimis, & Reuerendissimis* DD. *S. R. E. Cardd. aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SANCTIS-

SANCTISSIMVS D. N. auditis votis Illustrissimorum & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum Decretum alias editum à fæl. rec. Paulo V. eius Prædecessore tenoris sequentis, videlicet.

Sanctissimus Dominus noster post longam & maturam discussionem auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorũ DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accurate & diligenter perpensa, prouide considerans, quod quamuis in constitutione fæl. rec. SIXTI IIII. super CONCEPTIONE Beatæ Virginis MARIÆ, pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis & contentionibus edita, à Sancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia constitutione san. me. PII V. super eadem re, quas similiter Sanctitas Sua innouauit cum quibusdam prouisionibus & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obseruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra veluti erronea, aut hęretica damnetur, nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuę in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia & dissentiones. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit & pręcepit, ac pręsentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusuis ordinis, & instituti Regularibus, & alijs quibuscumque tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus personis cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Sæcularis, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio facienda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, aut per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contra facientes autem, eadem Sanctitas Sua voluit, & declarauit, subiacere debere, & subiecit Censuris, & pænis contentis in supradictis Constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per

huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec illi vllum prorsus præiudicium inferre eam relinquens in eisdem statu & terminis in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supradisposita. Vlterius sub eisdem censuris & pænis mandans, quod negatiuam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit & expresse mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè obseruentur, perinde ac si præsens Decretum non emanasset, & ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus & alijs omnibus in contrarium facientibus, &c. HOC suo præsenti DECRETO ex eisdē causis euitandi scandala, dissentiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possūt, & vt accepit, in aliquibus Regionibus iam ortæ sunt, ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ, extendit & ampliauit etiam ad priuata colloquia & scripta, *Mandans & præcipiens omnibus & singulis supradictis, ne de catero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus & per Sanctitatem Suam & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neq; etiam in sermonibus & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere seu tractare, exceptis tamen, quibus à Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc simpliciter indultum.* Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fæl. record. Pauli V. & hoc suo Decreto disposita. Eademque Sanctitas Sua voluit & expresse mandauit vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi Decretis non aduersantur, Constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius Prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ firmæ & illibatæ remaneant, ac exacte obseruentur, perinde ac si huiusmodi Decretum non emanasset. Et insuper eadem Sanctitas Sua cum Sancta Ro-

cta Romana Ecclesia de Beatissimæ & intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter, & officium celebret, omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quam cuiusuis ordinis & instituti Regularibus, *Mandat ac præcipit, vt in Sacrosancto Missæ Sacrificio ac diuino officio celebrandis, tam publicè, quam priuatim non alio quam Conceptionis nomine vti debeant.* Contrauenientes autem Sanctitas Sua voluit & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato Decreto suorum Prædecessorum ipso facto incurrendis. Et ita decreuit & mandauit vbique inuiolabiter obseruari; non obstantibus in hac parte constitutionibus suprascriptis, Decreto præfato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus & singulis, quæ Prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac alijs quibuscumque in contrarium facientibus. Volens & decernens pro obseruatione & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores etiam Regulares cuiusuis ordinis & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas & Sæculares personas, cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Sæcularis, tam Episcopi & Prælati Superiores, alijque ordinarij locorum, quam hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuere animaduertant, tribuens eis & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem Transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi & puniendi. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi posit, quod præsens Decretum, seu illius exempla ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi-floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimata fuissent, quodque præsentium transsumptis etiam impresis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

ANDREAS DE PETTINIS *Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.*

„ Anno à Natiuitate Domini Nostri IESV Christi millesimo sex-
„ centesimo vigesimo secundo, Indictione V. die verò secunda men-
„ sis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D.N: GRE-
„ GORII. diuina prouidentia Papæ XV. anno eius secundo, supra-
„ dictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valuas Basilicæ
„ Principis Apostolorum de Vrbe & in Acie Campi-floræ, vt moris
„ est per me Brandimartem Latinum S. D. N. Papæ Curs.

OCTAVIVS SPADA *Mag. Curs.*

Vniuersale gaudium ad publicationem Decreti.

40 Ipso eodem die gratulati sumus omnes, qui causæ adlaborabamus, Excellentissimis Oratoribus, ad quorum preces tot nostri labores, & vota optatissimum sortita sunt exitum, & nobis ipsis inuicem gaudebamus, quod adeo fæliciter in tantam Dei Genitricis laudem nostra cesserint continua studia, & longanimis tot annorum inter varias contradictiones sufferentia. Oratores vero Sanctissimo Domino & Illustrissimis DD. Cardinalibus, quas potuerunt, habuerunt gratias, tum Regis, tum peculiari suo nomine, propter auditas suas preces & vniuersale beneficium in vniuersa Hispaniæ, imò & Christiani orbis dominia concessum. Non potuit non lætari Sanctissimus Antistes ad communem omnium lætitiam, quam vel hoc ipso facto testati sunt, quod sudantia adhuc sub prœlo Decreti expectabant exemplaria, & pretio non vulgari omnia ab ipso ferè torculari pia auiditate redemerint, & in vniuersas miserint nationes. Minores, quorum præ omnibus intererat, dum tercentum annorum vota & indefessa studia hac solemni constitutione viderant completa, peculiarem suam lætitiam pio ausu, licet in huiusmodi euentibus in vrbe insolito, condonando tamen magno in Virginem Illibatissimam affectui, significarunt in præcipua sua æde Aracæli in ipso Capitoli vertice, & in alijs grauioribus tam Fratrum, quam Monialium Cœnobijs, accensis luminaribus innumeris, varia strue extructis focis, alijsque in tenebrarum caligine splendentibus signis, per tres continuas noctes ab edito Decreto. Ad aras etiam solemnes intonarunt hymnos, ordinatis etiam processionibus, & grauiori ritu sacris celebratis in gratiarum actionem, & immaculatæ Mariæ publicum honorem ob stabilitam ab vniuerso peccatorum genere immunitatem. Similiter vt factum personuit, fecère in circumuicinis ciuitatibus Tyburtin., Viterbien., Parthenopæa, in ditionibus Ducis Vrbinatis, & Pisauri,

alijsque

alijsque Sabinæ, Romaniæ, Marchiæ vrbibus, quorum statim peruenerunt relationes in Vrbem. Quid autem facturi sint in omnibus Hispaniæ Prouincijs, & angulis, necnon cæteræ religiones, imò & quæuis hominum communitates, prædiuinare poterit, qui ea vidit spectacula & immensa trophæa, solemnesq; ludos, quæ ad primum edidêre Decretum, in quibus pauperum inopia certabat cum diuitum opulentia, dum hi omnia in Virginis obsequium profundebant, illi dolentes, quod diuitias erogare nonpoterant, affectum consecrabant.

41 Ex tempore, vt beneficium hoc impensum, destinauit Comes tabellarium ad Regem, qui Decretum ferret, & omnem rei euentum referret, neq; quicquam amplius sibi expectandum iudicauit, iam perfuncta Legatione, & obtento, quod præ omnibus Rex sibi commendauit & ipse habebat in votis. Quare acceptis Suæ Sanctitatis benedictione sacrisque diuorum reliquijs, licentiam & placitum Sanctissimi Domini petijt vt regrederetur; vt qua functus est, Legationem renunciaret. Non prætereundam absque Sanctæ Sedis Apostolicæ laude pij Regis in Virginem deuotioné, & cordatam humilemqne eius apud Summos Pontifices intercessionem, Pontificijs etiam encomijs celebrandam, iudicauit Sanctissimus Dominus; quare per eundem Oratorem graue & honorificum nomini Hispano, Breue Apostolicum, quod sequitur, remisit. *Remittitur Regi Decretum.*

PHILIPPO REGI
HISPANIARVM.

GREGORIVS PP. XV.

CHarissime in Christo fili noster salutem. Catholicæ Religionis decus & Austriacæ pietatis argumentum est, Regem potentissimum, Cui vtriusque orbis Prouinciæ amplissimæ famulantur, tanto studio Sanctorum laudibus, & Beatissimæ Virginis dignitati inseruire. Benedicimus Maiestati Tuæ charissime fili, dignamque tibi à Dominantium Domino Regia pietate fælicitatem precamur. Sane tibi & populorum fidem, & hostium oppressionem polliceri haud temere possumus, cum eius tibi Virginis patrocinium conciliare studias, quam terribilem esse, vt castro-

rum aciem ordinatam, diuina oracula testantur. Vix dici potest, quanto nos gaudio cumularint nuperæ litteræ Maiestatis Tuæ de Immaculatæ Deiparæ Conceptione differentes. O curam Catholico Rege dignam, & Christi Vicario gratissimam! ne quid tamen noui tanta in re decernatur in præsentia, monet tum negotij magnitudo, tum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplum. Spiritus Sancti enim voci auscultare; non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in diuinæ sapientiæ cathedra Christiano orbi à Deo præfecti sumus. Quare cum nondum æterna sapientia Ecclesiæ suæ tanti Mysterij penetralia patefecerit, in Dei Romanorumque Pontificum authoritate debent fideles populi conquiescere. Magni tamen apud nos ponderis fuerunt preces Maiestatis Tuæ, tantumque negotium iterum accuratiusque pensauimus, aliquod tibi Regnisque tuis solatium afferre cupientes. Tum autem valdè timuimus ne veterator ille serpens, qui boni malique scientiam proprijs parentibus pollicens, maximis humanum genus miserijs cumulauit, ipsius pietatis armis abutatur ad Christianæ plebis pacem dirimendam. Quæ enim opinionum dissentio est, fieri potest animorum contentio, dum magnificum victoriæ genus plerisque videtur, vbi quid in controuersiam venit, de aliorum ingenijs triumphâre. Quare dissidiorum semina extinguere cupientes, antequam asperior in istis Prouincijs pullulet zizanij prouentus, ingeniorum peruicaciam, libertatemque differendi Pontificio Decreto coërcendam censuimus. Ex eo, & ex dilectis filijs nobilibus viris Oratoribus tuis Comite Montis-regij, & Duce Alburquerque mentem nostram vberius cognoscet Maiestas Tua. Cum enim nobis Regiam petitionem elegantissimè exponerent, luculenter intelligere potuerunt, quam inuiti refragemur, & quam alacriter semper gratificaturi sumus tanto Regi, quem Europæ ornamentum & Catholicæ Ecclesiæ gaudium esse arbitramur, ac Maiestati Tuæ Apostolicam benedictionem amantissime impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 4. Iunij 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

Peruenit Nuntium ad Regem.

42 Ante Kalendas Iulias summa omnium lætitia peruenit bonum Nuntium Madritum, ad quod summe exhilaratis, rege, regina principibus & Curiæ dynastis, ad omnes Hispaniæ Prouincias transuolarent cursores, quid Decreti exempla perferrent.

Confe-

Confeſtim gratias habendas Sanctiſsimo Domino, tanti beneficij authori, duxit pijſsimus Rex, proinde paucis à recepto Decreto diebus, quæ ſequuntur dedit ad Oratorem litteras, vt porrectis alijs Beatiſsimo Patri, coram, quas poſſet maximas; redderet gratias, adderetque adhuc magnam de definienda hac Controuerſia ſpem & deſiderium Regi ſupereſſe. *Gratias habet Pontifici.*

REX.

DVx Alburquerqui cognate, mihi à Conſilijs & Legatione Romana. Per veſtras datas 4. menſis præteriti, vidi Decretum Suæ Sanctitatis circa myſterium puræ Conceptionis Dominę noſtrę, & ſummè lętatus ſum, vt fauorabilem hanc reſolutionẽ intellexi, in qua obtinenda bene veſtrum eluxit ſtudium & diligentia. Incluſas ſcribo Suę Beatitudini debitas ſoluens gratias, vt in earum conſpicies exemplari. Expediet vt confeſtim exhibeatur epiſtola, & quam feruenter ſignifices magnum quod ego & regina ex hoc ſucceſſu concepimus gaudium propter ſingularem noſtram in hoc ſacrum myſterium deuotionem; cęteraque adiunges, quæ tibi videbuntur opportuna ad explicandam eam, quam fouemus, ſpem, quod Sua Sanctitas tandem definiet quęſtionem, vt firmetur hęc doctrina in Dei & Genitricis eiuſdem obſequium. Dabis etiam alias ſuper hac eadem re Cardinalibus iuxta authographum quod mitto, meoque dices nomine, quod conuenientius iudicaueris, vt intelligant, quanti fecerim illorum in hoc euentu adiutorium. Demum reſcribes quidquid in hac cauſa occurrerit. Madriti 14. Iulij anno 1622.

EGO REX.

De mandato Domini Regis

ANT. DE AROSTEGVI.

43 Illicò vt has accepit Orator litteras, iuxta pręſcriptum Regis Sanctiſsimo Domino & Illuſtriſsimis Dominis Cardinalibus Inquiſitoribus, quę ſequuntur, tradidit epiſtolas.

BEATISSIME PATER.

DVx Alburquerquius & Comes Montis-regij me monuerunt Decreti, quod à Sanctitate Veſtra emanauit in fauorem puriſsimæ Conceptionis Dominæ Noſtræ, ad quod peculiari affectus

ſum

ſum lætitia, dum conſidero, quàm ſancta & Veſtra Beatitudine digna fuerit hæc reſolutio, quantaque gloria hinc reſultabit Deo, Sanctiſsimæque Dei Genitrici, & fidelibus populis conſolatio, qui tanto feruore & fiducia expectarũt ſucceſſum hunc in fælici Veſtræ Beatitudinis pontificatu. Porro propter conſolationem & exultationem, quam concepimus ego, Regina, & Fratres mei ad bonum hoc nuncium Sanctas Veſtræ Beatitudinis exoſculor manus, ſanctè aſſeuerãs inter ſumme grata, hoc vnum me computare, & vltra quam dici poteſt magni me æſtimare, quod mea interceſsio aliqualem habuerit in hac re partem, ſicut largius ſignificabit Veſtræ Beatitudini Dux Alburquerquius, cuius relationi me remitto. Dominus noſter Sanctam Veſtræ Beatitudinis perſonam ſeruet incolumem ad bonum & proſperum totius regimen Eccleſiæ. Madriti 14. Iulij. Anno 1622.

VESTRÆ SANCTITATIS

Per quam deuotus & humilis Filius PHILIPPVS
Dei Gratia Rex Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, &c.

REX.

Ex mandato Domini Regis
ANT. DE AROSTEGVI.

Exemplar Epiſtolæ ad omnes Cardinales Inquiſitores repetitæ.

44 PHILIPPVS Dei Gratia Rex Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, &c. Per quam Reuerende in Chriſto Pater N. Cardinal. admodum chare & dilecte amice. Peculiare habui gaudium, propter Decretum, quod à Sua Sanctitate nuper emanauit in fauorem puriſsimæ Conceptionis Dominæ Noſtræ, cuius nec non Veſtræ in hac re præſtitæ operæ me monuerunt Dux Alburquerquius & Comes Montis-regij. Ego proindè cuius tantopere hoc intereſt, ſingulares vobis reddo gratias, quia adiuuiſtis & defendiſtis cauſam adeo iuſtam & piam. Et deinde effectuoſiſsime vos rogo, vt eandem adhibeatis operam in eo quod ſupereſt, donec Sua Beatitudo tandem dignetur Controuerſiam definire, in quo ſingulariter mihi complacebitis, ſicut particularius intelligetis ex Duce Alburquerquij, ad quem me remitto. Madriti. 14. Iulij. Anno 1622.

EGO REX

ANT. DE AROSTEGVI.

Comes

45 Comes Oliuarensis Regius fauoritius, qui suas etiam ante interposuit preces, modo addidit & gratias, datis literis ad Sanctissimum Dominum, & Illustriss. D. Cardinalem Ludouisium; similiterque alij fecerunt Dynastæ. Interim personuit vniuersa Hispania in iubilos & gaudium, ita vt fere nullus fuerit, qui conceptam lætitiam potuerit continere, quin exterioribus illud proderet signis. Ciuitates & Communitates publicis edictis, & statutis præmijs, omnes excitarunt incolas ad festa & trophæa, & ex publicis ærarijs veluti profusis thesauris, ingentem vim pecuniarum quàm libentissimè in festiuis distraxerunt spectaculis. Præ omnibus palmam tulit Hispalis vrbs celeberrima, Bethicæ prouinciæ emporium, ciuitatum omnium antesignana in celebrãdo hoc mysterio, vrbium regina in summo erga Immaculatam Virginem affectu, eidemq; proinde peculiariter dicata, & *Virginis Ciuitas* dicta. Primos suos indixit iubilos cum Archiepiscopo clerus, deinde ciuitas ipsa, demum, omnes omnium statuum ordines, nobilium, mercatorum, omnia artificum collegia; hinc Religiones omnes suis quæq; diebus, Communitates tandem aliæ Ecclesiasticæ, ita vt per integros menses nihil sonaret nec videretur, nisi iubilus, lætitia, triumphus, gratiarum actiones, nec esset qui inopiam, vel causam vllam prætẽderet, quin affluenter & pia prodigalitate facultates suas quascumque summo erogaret affectu, vt in signis & trophæis exterioribus appareret, quanti fecerint Virginis puritatem à summo Ecclesiæ pastore commendatam.

Lætantur omnes Prouinciæ propter emissum Decretum.

Præ cæteris Bethica, & vrbs Hispalensis.

46 Magna tamen hæc frequentia, & solemnitas gaudiorũ transfusa per cæteras ciuitates interturbata est Barchinone, Cæsaraugustæ, & in alijs partibus, propter publice affixam quandam concessionem rationabilibus de causis factam à Sanctissimo Domino, per quam iuxta clausulam illam præteritæ constitutionis; *Exceptis tamen quibus à Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum*; indulsit Sua Sanctitas, Sanctissimi Dominicani instituti viris, vt inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum alijs in priuatis colloquijs, & conferentijs, possint disserere, & tractare de materia Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, quod in primo Decreto omnibus affirmatiuæ sententiæ tutoribus erat interdictum. Forma constitutionis hæc est.

Indulgetur Prædicatorib. vt inter se hanc materiam tractent.

GREGO-

GREGORIVS PP. XV.

Ad futuram rei memoriam.

,, 47 EXimij, atque singulares fructus, quos dilecti filij Fratres
,, Ordinis Prædicatorum in militanti Ecclesia, cuius regi-
,, mini, diuina disponente clementia, præsidemus, attulerunt, & in
,, dies afferunt, promerentur vt eosdem Fratres, specialibus fauoribus
,, & gratijs, quantũ cum Domino possumus, libenter prosequamur.
,, Alias siquidem fælicis recordationis Paulus Papa V. prædecessor
,, noster, post longam & maturam discussionem auditis votis Ven.
,, Fratrum nostrorum, tunc suorum S.R.E. Cardinalium, contra hæ-
,, reticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accurate & dili-
,, genter perpensa, prouide considerans, quod quamuis in constit. fæl.
,, rec. Sixti Papæ IV. etiam prædecessoris nostri super CONCEPTIO-
,, NE Beatæ Virginis MARIÆ, pro submouendis inter Christi fideles
,, scandalis, rixis, & contentionibus, edita, à Sancta Tridentina Syno-
,, do innouata, & deinde in alia constitutione san. me. Pij Papæ V.
,, similiter prædecessoris nostri, super eadem re, quas idem Paulus
,, prædecessor innouauit, cum quibusdam prouisionibus & adiectio-
,, nibus pœnarum, pro efficaciori earum obseruatione; relinquebatur
,, vnicuiq; libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramq; partem,
,, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali,
,, dũ tamen neutra veluti erronea, aut hęretica damnaretur. Nihilo-
,, minus ex occasione assertionis affirmatiuę in publicis cõcionibus,
,, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Bea-
,, tissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriebantur in
,, populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dis-
,, sentiones. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui mu-
,, neris prouidere, decreuit, & pręcepit, omnibus & singulis cuiusuis
,, ordinis, & instituti Regularibus, & alijs quibuscumque tam Eccle-
,, siasticis, quam Sæcularibus personis, cuiusuis conditionis, status,
,, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Sæcularis,
,, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò men-
,, tio facienda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à Sancta
,, Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per eundem Paulum præde-
,, cessorem, & Sedem Apostolicam fuisset aliter ordinatum, non au-
,, deant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs
quibus-

quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contra facientes autem, dictus Paulus prædeceſſor voluit, & declarauit, ſubiacere debere, & ſubiecit Cenſuris, & pœnis cõtentis in ſupradictis Conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis. Per huiuſmodi tamen prouiſionem idem Paulus prædeceſſor non intendit probare alteram opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu & terminis, in quibus tunc reperiebatur, præterquam quoad ſupradiſpoſita. Vlterius ſub eiſdem cenſuris & pœnis mandauit, quod negatiuam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in præfatis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnarent, nec de ea aliquo modo agerent, ſeu tractarent. Inſuper voluit & expreſsè mandauit, vt extra hos caſus expreſſos publicorum actuum in reliquis omnibus ſupradictæ Conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & exactè obſeruentur, perinde ac ſi Decretum huiuſmodi non emanaſſet. Nuper vero nos ſub die videlicet 24. Maij, 1622. in generali congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico in Monte Quirinali coram nobis, & Cardinalibus præfatis, ex eiuſdẽ cauſis euitandi ſcandala, diſſentiones, atq; diſcordias in populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſsũt, & vt accepimus, in aliquibus Regionibus iam ortæ ſunt, ex ſermonibus priuatis occaſione aſſertionis affirmatiuæ, ſupradictum Pauli prædeceſſoris Decretum extendimus, & ampliauimus etiam ad priuata colloquia & ſcripta, mandantes, & præcipientes omnibus & ſingulis ſupradictis, ne de cætero donec articulus huiuſmodi à Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen non intendimus reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquentes in eiſdem ſtatu & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in ſupradicto dicti Pauli prædeceſſoris Decreto diſpoſita. Voluimuſque & expreſsè mandauimus, vt in reliquis omnibus, vbi huiuſmodi Decretis non aduerſantur, Conſtitutiones Sixti ac Pij & Pauli præfatorum, necnon rec. mem. Alexandri Papæ VI. Prædeceſſorum noſtrorum ſuper Conceptione Beatiſsimæ Virginis Mariæ, firmæ & illibatæ remaneant, ac exactè obſeruentur, perinde ac ſi huiuſmodi Decretum non emanaſſet. Et inſuper cum Sancta Romana Eccleſia de Beatiſsimæ & intemeratæ Virginis

„ Mariæ Conceptione Festum solemniter, & officium celebrent, o-
„ mnibus & singulis personis Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam
„ cuiusuis Ordinis & instituti Regularibus, mandauimus ac præci-
„ pimus, vt in Sancrosancto Missæ Sacrificio ac Diuino Officio ce-
„ lebrandis, tam publicè, quam priuatim, non alio quam Conce-
„ ptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem voluimus,
„ & declarauimus subiacere debere, & subiecimus, censuris & pænis
„ contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato Decreto
„ nostrorum Prædecessorum, ipso facto incurrendis. Et ita decreui-
„ mus, & mandauimus vbique inuiolabiliter obseruari. Non ob-
„ stantibus in hac parte Constitutionibus supradictis, Decreto præ-
„ fato Pauli Prædecessoris, consuetudinibus etiam immemorabili-
„ bus, necnon omnibus, & singulis, quæ Prædecessores præfati vo-
„ luerunt non obstare, ac alijs quibuscumque in contrarium facien-
„ tibus. Volentes, & decernentes pro obseruatione, & exequutio-
„ ne nostri huiusmodi Decreti, & omnium in eo contentorum,
„ quod contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares, cuiusuis
„ Ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quas-
„ cumque Ecclesiasticas & Sæculares personas, cuiuscumque sta-
„ tus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasti-
„ cæ, quam Sæcularis, tam Episcopi & Prælati Superiores, alijque
„ Ordinarij locorum, quam hæreticæ prauitatis vbique locorum de-
„ putati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant.
„ Tribuentes eis, & eorum cuilibet, liberam facultatem & auctorita-
„ tem, contra eosdem transgressores procedendi, ac pænis coërcen-
„ di, & puniendi. Nunc autem nos eosdem Fratres Ordinis Prædi-
„ catorum, quos in visceribus gerimus charitatis, specialibus fauo-
„ ribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à
„ quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijs-
„ que Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pænis à iure vel ab homine
„ quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innoda-
„ tæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum,
„ harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes. Motu pro-
„ prio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris omni-
„ bus & singulis dicti Ordinis Prædicatorũ Fratribus, vt de cætero
„ in quibuscumque priuatis eorum colloquijs seu conferentijs, inter
„ se dumtaxat, & non inter alios, aut cum alijs, de materia eiusdem
„ Conceptionis Beatissimæ Mariæ Virginis disserere & tractare,
absque

absque vllo pęnarum in dictis Decretis contentarum incursu, li- „
berè & licitè possint, & valeant. Apostolica auctoritate, tenore „
pręsentium, licentiam concedimus & impartimur. Decernentes „
Fratres pręfatos à quoquam, quauis auctoritate desuper molesta- „
ri, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, aut debere, sicque „
& non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & Delegatos „
etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, vbique iudicari & „
diffiniri debere, ac irritum & inanè si secus super his, à quoquam „
quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. „
Non obstantibus singulis pręmissis, ac Constitutionibus & or- „
dinationibus Apostolicis, cęterisque contrarijs quibuscumque. „
Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo „
Piscatoris, die 28. Iulij, Anno 1622. Pontificatus nostri Anno „
secundo. „

S. Card. S. Susanna.

48 Contristauit multos hoc indultum, qui desiderabant sartam & tectam piam opinionem, & extra opinionem fieri, ne in affirmatiuę, etiam clancula confutatione foueretur aliqua scandalorum occasio. Sed tantorum Virorum credendum est prudentiæ, speciali Apostolicæ Sedis gratia non abusuros, neque facile timere licet, in exteriora prorupturum scandala, quod interioribus & priuatis dumtaxat permissum est colloquijs.

49 Non sat se fecisse suæ exultationis indicijs iudicauit pijssima, quam supra memoraui, ciuitas Hispalensis, nisi Senatus, totius Ciuitatis nomine destinatis ad Sanctissimum Dominum litteris gratias haberet maximas pro superiori beneficio, tanquam si sibi specialiter esset impensum; ita enim peculiari fertur in Virginem affectu, vt quod commune erat donum, veluti proprium sibi vendicarit. Quas Hispanas dedit iuxta proprium idiotismum, subijcio Latinas.

Hispalens. gratias habent Sanctissimo Domino.

BEATISSIME PATER.

50 VRbs hæc, & vniuerſa adhærens Prouincia, ita ſe locupletatam agnoſcit, magno illo bono & fauore, quem reſultaſſe ex Sacro Decreto Veſtræ Beatitudinis circa Myſterium Immaculatæ Conceptionis Virginis Sanctiſsimæ Dei Genitricis, & Dominæ Noſtræ cognoſcit, vt proſtrata ad Sanctiſsimos Veſtræ Beatitudinis pedes, per quam affectuoſas reddat gratias, quales debentur immortali huic, & veluti diuino beneficio. Quod fauſto hoc Veſtræ Beatitudinis Pontificatu, cælitus impulſa adeo concupitam hanc gratiam præſtiterit Veſtra Sanctitas, fæliciſsimis Suæ Maieſtatis regnis, (per quam æternum ſuum reddidit nomen, nullo vnquam æuo à cordibus fidelium abolendum) Ciuitas hæc peculiari conatu, nulli ſecundo, iuxta debitæ gratitudinis, & perpetuæ obligationis menſuram, ſemper Dominum orabit, vt Veſtram Beatitudinem plurimis & fæliciſsimis annis tueatur incolumem, iuxta Chriſtiani orbis neceſsitatem. Datum Hiſpali, Iulij 12. Anno 1622.

BEATISSIME PATER.

Oſculantur Veſtræ Beatitudinis pedes
Humillimi ſui filij

HISPALENSES.

51 Litteras has porrexerunt Sanctiſsimo Domino Viri Hiſpalenſes, ſæpius ſupra nominati, coràm agente, & prçclariſsimam Metropolim laudante à pietate, à diuitijs, & maieſtate, & magnitudine, Excellentiſsimo Duce Alburquerquio. Nobiliſsimç & pijſsimç Vrbis deuotionem, ſingularemque erga Virginem Sacratiſsimam affectum ſua paterna benedictione, & grata reſponſione fouendam iudicauit Sua Beatitudo: quare Apoſtolicum, quod ſequitur breue, magnç Vrbis conſolationi & authoritati tranſmiſit.

Dilectis

Dilectis filijs Senatui Ciuitatis Hispalensis

GREGORIVS PP. XV.

DIlecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Opulentæ Indiarum classes, non tantum Vrbi vestræ decus afferre possunt, quantum Catholicæ religionis cultus, & Christianæ pietatis studium. Magnum quidem est alterius orbis diuitias in vestrum portum conuehi; sed profecto longe præclarius thesauris diuinæ gratiæ animas vestras locupletari, præterquam quod ea opulentia multas exterarum nationum homines ad Hispalensia littora conuocat, at enim pietas militiam cœlestis exercitus in vestras arces introducit, & Angelorum opem consuetudinemque pijs fidelium cordibus conciliat. Beati profectò estis, dilecti filij, cum intelligatis quanto perituris diuitijs præstantiora sint eloquia Domini, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum. Proinde nos, quorum fælicitas Christianarum nationū salute continetur, paterno solatio literæ vestræ cumularunt, quas nobis non ita pridem reddiderunt dilecti filij Matthæus Vasquez, & Bernardus de Toro. Ex illarum enim sententia, & ex horum sermone intelleximus, quo studio Beatissimæ Virginis gloriæ inseruiatis. Ita sentire, ita loqui par est Ciuitatem à dominantium Domino custoditam, & solidæ pietatis fundamentis innixam. Neque enim vera mortalium laus, atque gratulatio à cælestis aulæ gloria seiungitur. Vos autem scientiam salutis præclarè didicisse ostenditis, cum beneficium vobis tributū esse profitemini, eo Apostolicò Decreto, quo altercantiū Theologorum dissidia tollere, & cælestis Reginæ dignitati consulere nuper voluimus. Non deerit vobis remuneratio ab eo, qui diues est in misericordia, & beneficentia illius Virginis perfruemini, quæ causa est nostræ lætitiæ, & diuinæ vltionis flagella tam sæpe à Catholicæ plebis capite auerruncat. Nos autem paterna vos charitate in visceribus IESV Christi complectimur, ac super vrbem istam non minus virtutibus, quam diuitijs abundantem Apostolicæ benedictionis thesauros liberaliter effundimus, Deum Beatissimamque Deiparam orantes, vt Hispalensem Ciuitatem illustrioribus semper locupletent diuinæ beneuolentiæ documentis. Datum Romę apud S. Mariam maiorem die 4. Nouembris, 1622. Pontificatus secundo.

Huc vſque deducta eſt ſeries hiſtoriæ, & ad hos deuenit terminos Controuerſia. An hic hærendum, vel vlterius pergendum ad irrefragabilem doctrinæ definitionem, rerum ſtatus docebit. Nihilo magis creuit pietas negatiuæ ſententiæ, quam ipſa contradictione, & ſcandalorum frequentia. Si hæc ceſſant, definitionis ſitientiſsimos à curſu reuocabunt: ſi denuo prorumpant, calcaria addent currentibus, qui illam iam conceperunt ſpem, quod *Taurum tollent, qui vitulum ſuſtulerint.* Si iterum prouocentur ad bellum, ab illo iam reuocari non timent, quod per vniuerſum orbem doceri voluit Eccleſia. Multa ſæpius iactatum eſt eſſe fundamenta, vt aduerſa ſtabiliri poſsit de fide ſententia, *Sed etiam Alaudæ in nido latet gramen;* & tam firmas contendit ſibi ſubeſſe rationes pia opinio, vt propter eas vna, & ſola permiſſa ſit fidelibus, iamque in ſinu Eccleſiæ ſecura, & in omnium Academiarum præſidio certam habeat de vltima victoria fiduciam. Illud certe apud me habet authoritatis ponderoſa, & ſumma rectitudo Eccleſiæ in diſcernendis doctrinis, vt nullatenus induci poſsim vt credam, quod aliquando ablegauerit, quod verum ſit, vel vbique doceri voluerit, quod falſum. Multis iam retro annis definiuit errorem eſſe, hæreſis condemnare piam ſententiam: nullo ergo tempore poterit iſta condemnari. Vt autem periculum fieret, modeſto, & graui conatu, non æmulatoria contentione, aut irritatorio tumultu, nulli poterit diſplicere. Ego profecto, ſi id quod ſentiam, dixerim, id ſummis votis contendo, & iudicauerim ſola definitione perfectè reſcindi poſſe vltima germina ſcandalorum. Si quid autem hactenus retuli quod Sacroſanctæ Matri Eccleſiæ, imò cuicumque docto & ſincero Lectori diſpliceat, mihi etiam diſplicet, & indictum volo, 8. Kalend. Iulij, Anno 1622.

Extrauag. Graue nimis.

SECTIONIS QVARTAE FINIS.

QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

SECTIO PRIMA.

TRACTATVS I.

SECTIO SECVNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QVARTA.

Quæ hoc Volumine continentur.

PARTITIONES TRACTATVVM.

§ 5. Ter-

FINIS.





ERRATA.

P*Ag.2. Lin.7.* timeo ne, *adde*, non. *p.3. l.5.* inductum, *corr.* inductam. *p.ead.l.25.* iure, *corr.* vix. *p.22. l.20.* adderat, *corr.* adderet. *p.87. l.18.* rationis, *corr.* rationes. *p.99 l.8. deleatur* ma. *p.107. l.25.* cogitatiobus, *corr.* cogitationibus. *p.157.* pontius, *corr.* potius. *p.169.l 9.* in *corr.* tu. *p.187. l.11.* eosq;, *corr.* easq;. *p.189 l.28.* eadem, *corr.* eodem. *p.199. l.35.* Conceptiones, *corr.* Conceptionis. *p.240.* suspicientur, *corr.* suspicentur. *p.246. l.5. dele*, sibi. *Ibid l.6.* vera, *corr.* veram. *p.251. l.4.* sententiam, *corr.* sententia. *p.249. l.17.* Qui, *corr.* Si. *p.253 l.pen.* controuersia, *corr.* controuersa. *p.254.* potuit, *corr.* potuerunt. *Ibid.* solentia, *corr.* solertia *p. 261.l.11.* ostendit, *corr.* offendit. *p.264. l.35.* offerre, *corr.* officere. *p.269.* &. *ponatur post* ignominiæ. *p.278. l.7.* præscribam, *corr.* præteribam. *Ibid. l 17.* Alij, *corr.* Alijs. *ibid.* omnis eius, *corr.* omniscius. *p.282.* discorderit, *corr.* discordauerit. *p 280. l.vlt.* exceptis, *corr.* excerptis. *p. 281.* phralis, *corr.* phialis. *p.285.l.35.* victoriam, *corr.* victoria. *p.290.l.1.* maturitatem, *corr.* maturitate. *Ibid.l.26.post* iisq;, *adde*, qui. *p.293. in titulo deleatur* Tractatus 3. *Ibid. l pen.* promere, *corr.* pro more. *p.295.l.11.* videbātur, *corr.* cudebantur. *Ibid.l.16.* indicunt, *corr.* iri dicunt. *p.300.l.19.* conceptione, *corr.* concessione. *p.313.l.pen.* fautoribus, *corr.* fauoribus. *p.321.l.1.* affligendos *cor.* affigendos. *p.327.l.30.* multo. *cor.* multa. *Ibid.l.35.* ratio, *cor.* oratio. *p.330. l.34 sine aliqua distinctione debet continuari cum sequenti.* *p.341. l.14.* condemnato, *cor.* condemnatæ. *p.353. l.12.* in *ponatur post* detulit. *p.356. l.23.* completos, *cor.* completas. *p.376. l.7.* afferat, *cor.* afferant. *p. 393. l.29.* tanquam, *cor.* tamque. *p. 442. l.18.* omni, *cor.* omnes. *p. 451. l. vlt.* studias. *cor.* studeas.

